



~~102. 9. 62~~

47.

159

B

10



BIBLIOTHECA
BREMENSIS
NOVA
HISTORICO-PHILOLOGICO-
THEOLOGICA

CLASSIS TERTIÆ

FASCICVLVS PRIMVS.





BREMÆ & AMSTELODAMI

Sumptibus Bibliopolarum

G. W. RUMPII & H. VIEROOT.

MDCCLXIII.



VIRO

PERQUAM MAGNIFICO

HENRICO

KOEHNEN

JCTO EXCELLENTISSIMO,

REIPUBLICÆ PATRIÆ

CONSULI,

COGNATO SUO ET FAUTORI

MAXIME SUSPICIENDO,

FASCICULUM HUNC

BIBLIOTHECÆ

BREM. NOVÆ

SEPTIMUM,

EA, QUA PAR EST, OBSERVANTIA

INSCRIBIT.

PA-

PACISQUE
DEI DONO RESTITUTÆ,
ET
URBIS PATRIÆ,
A PEREGRINO QUOVIS MILITE
TANDEM LIBERATÆ,
HALCYONIDES,
INDE
LIBERTATEM REIPUBLICÆ
FERE PERDITAM
ET MORTUAM,
JAM FELICITER RECUPERATAM
ET REVIVISCENTEM
IMPENSE GRATULATUR,
ET VT
CLAVUM REIPUBLICÆ PATRIÆ,
QUEM TER IN PROCELLA
RECTUM TENUIT,
BREVI RECEPTURUS,
QUIETUS IN PUPPI TENEAT,
SÆPIUSQUE RESUMAT,
VALIDISQUE
IN ÆTATE SENECTA ET VIGENTE
VIRIBUS
AD REIPUBLICÆ SALUTEM,
BONO CUM DEO,
DIRIGAT
ET
PROPITIO FRUATUR IN CHRISTO
NUMINE
SUMMOPERE IN VOTIS HABET
EDITOR.

L. B.

S.

NICOLAUS BARKEY

S. TH. D. ET PROF. P. O. ECCLESIASTES STEPHAN.

Favorem eximium, quo Bibliothecam meam Bremensem Novam excepit Respublica Litteraria, gratissimus agnosco. Stimulum ille mihi nobilem admovit urgendi quantum pote institutum. Credas mihi velim ingenue, ampliorem jam adparuisse Bibliothecam, si res per me solum stetisset; mihique non fuisse integrum, uti constitutum erat animo, Classi Secundæ subjungere Indicem rerum binis primis contentarum, quamvis ad prelum paratus esset. Hinc ille, quum Lectores aliqui duas Classes una ligatura compingent, jam claudat oportet Classem Quartam,

qua-

quatuorque Classes priores, Deo vitam viresque conservante, comprehendet. Eundem ad modum quoque vides Bibliothecam Bremensem Veterem ad XII. Fasciculos adornasse Indices. Quemadmodum autem Auctoribus Symbolarum ad me ablegatarum, sive fidei meæ adhuc commissarum, Viris summe & plurimum Reverendis & Doctissimis pro auxilio, mihi in condita & condenda Bibliotheca hac præstito, me quam maxime obstrictum esse sentio: ita jure meritoque ab æquitate Tua L. B. contendo, ut semper memineris rarissimum eum esse librum aut tale scriptum, vel ab eodem Auctore editum, in quo non mediocria mixta sint Doctissimis. Unde facile colliges in hac quoque Bibliotheca unam symbolam, vel ab eodem Auctore profectam, altera esse præstantiorem. Ne vero tempora Tua morer, hic Tibi sisto

Se-

SERIEM
CONTENTORUM
FASCICULI PRIMI
CLASSIS TERTIÆ.

V.

Vale Lector Benevole, huicque operi in posterum favere perge. Scripsi Bremæ d. 4. Junii a. 1763.





I.

JO. HENR. VERSCHUIR,

S. THEOL. D.

ET V. D. M. APUD BOLSVARDIENSES

DISSERTATIO EXEGETICA

QUA

ORACULUM BILEAMITICUM

NUM. XXIV, 17-20.

NOVA RATIONE EXPLICATUR, EJUSQUE IMPLEMENTUM EX HISTORIA DEMONSTRATUR. *

NUM. XXIV, 27-20.

Vers. 17. Video illum, sed non nunc, intueor illum, sed non propinquum: procedit Stella ex Jacobo, & surgit Sceptrum ex Israele, & percutiet tractus Moabi, & exscindet omnes filios tumultus. v. 18.

* Mira cum voluptate hanc Dissertationem Amicis-

Vers. 18. Tum fiet Edom hereditaria poſſeſſio, & Seir erit hereditaria poſſeſſio hoſtium ejus; ſed Iſrael faciens robur.

Vers. 19. Et dominabitur (aliquis) ex Jacobo, qui perdet reſiduum ex urbe.

§. 1.



Iſraelitarum agmine in itinere verſus terram promiſſam appropinquante ad regionem Moabiticam, rex Balacus ac univerſus Moabitarum populus, non ignari maximorum facinorum ab Iſraelitica gente perpetratorum, maximo percellebantur terrore, quippe ſolliciti, ne regio ſua vaſtaretur ac

ſimi VERSCHUIRII legi, quia dudum in ea fui hæreſi in hoc vaticinio neutiquam de Meſſia ſermonem eſſe. Quod rem ſuam feliciter & non minus doctiſſime egerit *S. v. Auctor*, fatebuntur quotquot ex Interpretibus Veritatem magis quam præjudicia inſtitutionis aut factionum ſequuntur. Utinam tractentur Oracula Divina talibus ſemper manibus, talique ſtudio! Nexus argumentorum ut poſſit cognoſci, meliusque ponderari, adeoque grata Lectori erit lectio, ut eum ad finem uſque adtentum tenebit, nolui h. Diſſert. dividere. NB.

ac peregrinis hisce advenis in prædam cederet. Anxie itaque circumspicientibus auxilia ad hoc malum averruncandum, in mentem venit *Bileamus*, divinationibus ac vaticinandi arte clarus. Missa legatione, una alteraque, magnis eum invitant muneribus, & permovere conantur, ut Israelitas devoveat, sibi vero addicat victoriam; hac enim facultate Bileamum instructum esse stolide putabant. Bileamus prima vice rogatus venire recusat, sed iterum tentatus, magnis pollicitationibus succumbit, iter ingreditur, læte & honorifice a Moabitis recipitur, Vaticinandi arte candide utitur; sed minime ex Moabitarum voto. Non enim exsecratur Israelitas, verum Numinis Optimi Maximi revelationem fideliter proferens, prospera ac felicia Israelitarum fata canit. Magnis allectus promissis iterum iterumque tentat, num Moabitas voti compotes reddere possit; sed identidem a Deo impeditus, lætam omnique ex parte beatam Israeliticæ nationis prædicit fortunam. Hoc bilem movet Balaco regi, se a Bileamo delusum putanti, qui eum propere discedere jubet, cæteroquin male mulctandum. Impetrata tamen denuo regis venia vaticinari pergit, & cum hactenus generalius locutus fuisset, nunc ipsorum Moabitarum, aliarumque gentium vicinarum ultima fata, ac lethalia vulnera,

ipſis per Iſraelitas inferenda enarrat, v. 17. 18. & 19. deſtructionem gentis Moabiticæ & Idumeæ prænuncians.

§. 2.

Argumentum hujus vaticinii huc redit: poſt magnum temporis ſpatium multaque fata intermedia, orituros unum pluresve illuſtres Heroas ex Iſraelis progenie, qui Summa fortitudine præditi vicinos populos, ſibi hoſtiles, & inter eos præcipue Moabitas & Idumæos bello devincant; & tandem ita profligent, ut in poſterum omni nocendi vi careant; Imo Idumæos una cum Moabitis, ſed poſt multa demum ſecula lethaliter ab illuſtri quodam ex Jacobi proſapia Principe percuſſos, libertate privatos, nec quicquam præter ſolam obediendi gloriam reliquum habentes, Iſraelitis eſſe inſerendos, ita ut una cum iis unum conſtituant populum, ac perpetua & hereditaria eorum poſſeſſio evadant. Prædicitur itaque, tum feliciſſima Iſraelitarum conditio & regnum late extenſum, tum hoſtium interitus & ſubactio.

§. 3.

Quæritur jam, quinam ſit illuſtris ille Princeps, *Stellæ* & *Sceptri* epitheto inſignitus, quæ qualiſve præclara illa victoria, qui

qui hoſtes ab eo devincendi, Moabitæ & Idumæi proprie ita dicti, num vero alii, ſub eorum nominibus latentes, qualis victoriæ modus, quinam illi filii Sethi, inimici an amici, ſintne ſubigendi, an vero colligendi? Communis fere Chriſtianorum ac Judæorum (a) interpretum eſt opinio, Meſſiam, Ejus ortum ex Jacobo, Ejus regnum ac victorias hic prædici. Judæorum hanc in rem teſtimonia diligentiſſime ſunt prolata. Attamen cum percuſſio Moabitarum & reliqua proprie & ſecundum litteram Meſſiæ tribui non poſſint, hinc Chriſtiani ad ſenſum *myſticum* confugiunt. Cum vero propria Moabitarum & Idumæorum ſubactio omnino hoc oraculo quoque comprehendi videatur, & in Davide implementum nacta ſit, hinc ſtatuunt multi, vaticinium eſſe *typicum*, quod ſecundum litteram de *Davide*, myſtice vero de *Meſſia* ſit intelligendum, in quo etiam aſſentientem habent MAIMONIDEM, aliosque Judæorum magiſtros: nec mirum, quem enim illi exſpectant Meſſiam, is nullo modo priſcis illis populis dudum abolitis, oraculi implementum præſtare poterit, proprie & ſecundum litteram. Hanc ſententiam poſt alios haud ita pridem ingenioſe exornavit vir eruditus D. R. BUL-

(a) Hinc miſere a famoſiſſimo illo Barchocheba deluſi ſunt.

LERIUS in *diſſertat. Sylloge diſſ. I.* Sunt etiam, qui *ſolum Davidem* hic depictum putant. Ita ex veteribus JULIANUS, quem ſuo more refutat CYRILLUS *l. VIII, p.* 262. ex recentioribus JUNGMANNUS ad *Daniel. tom. II, p.* 197.

§. 4.

Ex dictis conſtat recepta & communis interpretum opinio, qua hoc oraculum ſecundum ſenſum *myſticum* omnino ad *Meſſiam* reſpicere putant, imo non niſi *tenuiter* admodum in *Davide*, ſed *vere* ſecundum intentionem Spiritus prophetici demum in *Meſſia* eſſe impletum. Vellem ſane hanc ſententiam firmis inniti rationibus; neminem majori gaudio hic depictum viderem, quam ipſum Dei Filium, Chriſtum Jeſum, Optimum Maximum Servatorem, illuſtriſſimum illud ſidus ac potentiſſimum Regem. Verum enimvero, quamvis eo animo oraculum hoc ſæpius legerim, relegerimque iterum, iterumque meditationi ſeveræ ſubjecerim hactenus mihi nullæ, vel probabiles, ſe obtulerunt rationes, quibus communis opinio mihi perſuaderi potuit. Cum ergo id quod quærimus, unice VERITAS ſit, cum non iſte, quem maxime cuperemus, ſenſus ſcriptoribus quibuscunque, multo minus Sacris, ſit adſcribendus, ſed qui ab ipſis ſcriptoribus intentus fuiſſe ex omnibus orationis

tionis inſitis criteriis liquet; hinc nemo cordatus & S. S. vere amans in ſiniſtram interpretabitur partem, ſi per firmas rationes demonſtrare aggrediar, nihil eſſe in hoc vaticinio, ejusque cum ſuperioribus nexu, ex quo Meſſiam a Spiritu prophetico per Bileamum deſignatum fuiſſe liqueat, adeoque temere eo referri. Laudo præſtantiſſimos interpretes, ex pietatis fervore & hic Meſſiam quærentes, eo magis, quod ipſos Judæorum magiſtros præſtantiores hic duces haberent; attamen, licet animo pio ad optimum ſane finem ita inſtituerint, inconſulto ac temere feciſſe videri poſſent. Si enim Judæis largiamur, Meſſiæ victorias hic prædici, profecto ipſis arma porrigimus, quibus nos profligare poſſint, cum nullo, ut mihi quidem videtur, modo demonſtrari poſſit, Jeſum noſtrum ea, quæ hic prædicuntur, præſtitiſſe. Sunt alia bene multa V. T. oracula, Meſſiam clariſſime canentia, omni exceptione majora, in Jeſu noſtro evidentiſſime accuratiſſimeque impleta; quare neceſſe non eſt, ut talia circumſpiciamus, quæ ne quidem probabilem admittunt demonſtrationem. Ne minima quidem danda eſt occaſio hoſtium cavillationibus. Quis demum ignorat capitalem illum religionis Chriſtianæ hoſtem, *Celſum*, ſub Judæi perſona, Chriſtianis peſſimum Pro-

phetiarum abuſum objeciſſe, & affirmaſſe Μυρίοις ἄλλοις ἐφαρμοσθῆναι δυνάσθαι πολὺ πιθανώτερον τὰ προφητικὰ, ἢ τῷ Ἰησοῦ. *Vaticinia Prophetarum innumeris aliis probabilius applicari poſſe quam Jeſu!* quam objectionem refutat ORIGENES *l. 2. p. 78: edit. G. Spenceri.* Mihi, æque ac POLYBIO *hiſtoriar. l. XIII, p. 937.* ΑΛΗΘΕΙΑ videtur μεγίστη θεὸς, cui ſoli in S. S. interpretatione litandum ſit, niſi velimus τῆς ῥινὸς ἕλκεσθαι, καὶ πιστεύειν ἅπαντα. Nullum ad religionis Chriſtianæ hoſtes devincendos efficacius telum eſt, quam rationalis S. S. interpretatio, non interpretis arbitrio, ſed firmis rationibus aut certe, ſi rei natura alias non admittat, probabilibus nixa, quam demonſtratio accurata oraculorum, eventu certiſſime probatorum.

§. 5.

Hac mente, ut ex diverticulo, longiore quidem, ſed ob nonnullos neceſſario, in viam redeam, me ad celeberrimi hujus Oraculi interpretationem bono cum Deo conferam. Ut jam adpareat, nihil me temere affirmaſſe, age argumenta, quæ pro hac communi opinione producuntur, in medium proferamus, excutiamusque diligenter. *Primum* argumentum ex nexu hujus vaticinii cum præcedentibus petitur. Putant nimirum nonnulli interpretes, ut Doctiſſ. MIEGIUS, in *the-*

thesauro Theol. phil. novo p. 427, ABARBANELEM secuti, Bileamum quatuor distinctis orationibus totidem distinctas Reipublicæ Judaicæ prædixisse ætates. Sed, sint vel maxime 4. distinctæ ætates Bileami vaticiniis comprehensæ, nihil tamen hoc juvabit eorum hypothesin. Errant enim manifesto, cum statuunt v. 5-10. comprehendi statum Judæorum ab occupatione terræ ad adventum usque Messiæ, ne dicam periodum hanc nimis esse magnam. Certe, quæ hic exhibentur criteria, neutiquam in totam illam Periodum quadrant, sed tantum in florentissimum Judæorum statum: sub Davide maxime, ejus ducuntur lineæ, confer Gen. 49. 9. ubi legendus Cl. VENEMA. Absurdum sane foret affirmare, populum Israeliticum ab ingressu in Cananæam usque ad Messiam gessisse imaginem ferocis ac strenuissimi Leonis a nemine excitandi, regnum eorum fuisse florentissimum, ac conditione gavisos omni ex parte beata, ut sit eo in loco. Certum hinc est, Bileamum in genere summam Israelitarum felicitatem, maxime cum respectu ad vicinas & hostiles gentes prædicere, quas Israel instar ferocis Leonis devinceret sibique subjiceret: quod factum est cum regnum floreret, maxime sub Davide. Sane quomodo Judæorum felicitas ita extolli potuerit post schisma X. tribuum, ma-

xime sub ultimis regibus, non video? ubi, quaeso, erat ille ferocissimus Leo, cum exterorum rapinis paterent, cum plane eorum respublica destrueretur, cum relicto patrio solo in triste exilium ire cogerentur, cum restituti in patriam tenui adhuc uterentur fortuna, nihilque a servis distarent? Si quatuor Periodi retinendae sunt, tertia saltem in Davide, aut florente Reipublicae statu ante exilium terminanda erit. Nihil ergo ex nexu pro communi sententia concludi potest. Postquam enim Bileamus in genere Judaeorum felicitatem praedixisset, nunc in specie in nostro vaticinio canit fata, quae Moabitis, & cum iis fere conjunctis Idumaeis, ab Israelitis manebant. Si quis instet & urgeat in nostro vaticinio omnino ultimam Reipublicae Jud. aetatem sisti, me non valde reluctantem habebit, cum ex mente mea extremo demum tempore plene impletum fuerit oraculum. Verum nihil inde lucrantur. Quae, quaeso, vis in eo est: Bileam loquitur de extremis Reipublicae Jud. temporibus, ergo necessario de Messia? Praeterea, quod aetates, quas Bileam comprehendisset suis oraculis, omnino male digerant, etiam ex eo apparet, quod primam aetatem cap. XXIII, 8. 9. 10. quaerunt in statu populi in Aegypto usque ad eductionem, & quae deinceps secuta sunt

usque

usque ad ingressum in Cananæam. Sed sic etiam præterita & præsentia cecinisset fata, quod absurdum.

§. 6.

Secundo provocant ad ipsius Bileami verba, quibus affirmat eventum hunc demum exstiturum באחרית הימים v. 14. Quasi vero illa phrasis tantum ultimum Reipubl. Judaicæ tempus, aut periodum, qua Messias veniret, designaret, qui sane crassus foret error, cum usu suo vel in genere tempus subsequens *indefinitum*, idem quod *postea*, sed post intervallum plurium dierum, vel in specie certæ alicujus periodi annorum *extremam partem*, magis minusve late sumtam denotet. vide Cl. VENEMA *ad Gen. 49: p. 206.* auctoresque ibi citatos. Deinde eo minus hæc me ferit objectio, quod & ipse in interpretatione ad extrema tempora descendo. Nec dicendum est, *Tertio*, omnia criteria hic occurrentia non quadrare in Davidem. Deinceps demonstrabo perfecte quadrare in Davidem & Maccabæos; nunc sufficit demonstrasse nullo prorsus modo ea Messiæ tribui posse, quod solum per se sufficit ad hanc opinionem refutandam. Attamen regeret quis; Bileamus in eo totus est, ut populi Israelitici felicitatem deprædicet & exaggeret, qui ergo id omit-

tere

tere potuit, in quo summa eorum felicitas consisteret, Messiæ adventum ejusque regnum. Sed & hoc argumentum vehementer claudicat; nego Bileamo propositum fuisse omnia gentis Judaicæ privilegia exhibere, describit tantum ejus felicitatem externam cum respectu ad gentes finitimas, ut ex ipsis phrasibus manifesto apparet, quæ populum Judaicum describunt tamquam Deo dilectum, quem ad summum honoris & potentiæ culmen gradatim, ringentibus, hostibus, eveheret, cui luculentissimas de hostibus, felicitatis suæ obstaculis, victorias concederet. Id etiam suadet occasio horum vaticiniorum, antea jam prolata. Nec quidquam hic Iudæorum & Christianorum consensus valet; priores enim de Messia externo ac bellicoso Principe somniantes, hunc suum Messiam hic facile invenerunt, hos hic nimis imprudenter secuti sunt Christiani.

§. 7.

Sed ut rem conficiamus, magna cum fiducia dico, nullam hic dari occasionem de Messia cogitandi; oraculum, si hoc admittatur, prorsus intelligi non potuisse, & Bileami intentioni adversari. Nullus 1.) hic Messiæ character est; *tituli stellæ* & *sceptri* egregie quidem in Messiam quadrant, ac aliis

aliis in locis ei tribuuntur, ſed de eo nulla quæſtio eſt, num ſeorſim ſumti in Ipſum conveniant, ſed num in hac orationis ſerie. Non enim habent Meſſiæ characterem diſtinguentem, poſſunt ad Eum, poſſunt & ad alios referri. Unde jam ſciemus ad quem pertineant? utique ex nexu & iis attributis ac facinoribus, quæ huic illuſtri perſonæ tribuuntur; hæc vero talia ſunt, quæ oculos mox ab eo avertant, & ad alium Principem fortem ac bellicoſum retorqueant. Nam 2) de eo prædicitur, quod percuteret lethali vulnere Moabitas & *filios* שׁת, id eſt, ut deinceps videbimus, omnes populi Judaici hoſtes finitimas, ipſi graves; qua jam, quæſo, ratione Meſſias dici poteſt lethaliter percuſſurus Moabitas, eosque irreparabili ruina obruiturus? Id utique intelligi non poteſt de converſione Moabitarum ſpiritualibus armis devictorum: hoc in ſalutem, non vero in ruinam Moabitis cederet; id etiam non permittunt phraſes, quæ violentam ſubactionem per bella & cruenta prælia omnino poſtulant, ut deinceps oſtendam. Quid ergo? an Moabitæ hic ſuſtinebunt figuram hoſtium Chriſti ac Evangelii, quemadmodum Babylonii aliæque gentes? an Antichriſtum hinc exſculpemus? id ſi alias liceat, hic certe non licet; nihil enim hic occurrit, quod oculos noſtros huc flectere cogat, quam gratis aſſumtæ opinionis ſtudium.

dium. Bileamus loquitur ad Balacum, gentis Moabiticæ Regem, ac diſerte ei dicit: indicabo tibi אשר יעשה העם הזה רעמך quid populus hiece faciet populo tuo, utique populus hicce ſunt Iſraelitæ, proprie dicti, populus Balaci ſunt Moabitæ proprie dicti. Sane, ſi hoc non proprie & unice ad gentem Moabiticam pertinet, tum equidem omne veri criterium ſublatum affirmo. Affirmat Bileamus rotundis ac claris verbis ſe prædicturum fata, quæ poſt magnum temporis intervallum Moabitis a Judæis manerent, nec tamen hæc de populo Moabitico a Judæis male mulctando, ſaltem non niſi frigide & dilute, eſſent intelligenda, ſed de adverſariis Chriſti, poſt longam ſeculorum ſeriem demum exſtituris Quis non videt Prophetiarum interpretationem hac ratione fieri arbitrariam & lubricam? Nonne ea ratione omnia ad noſtrum beneplacitum torquere poterimus? Nonne Deiſtæ albis nos deriderent dentibus? Interpretem ita hoc oraculum explicantem rationem rogo, quam utique dare tenetur, cum immediatam inſpirationem divinam non habeat; quam, quæſo, proferet, cum textus & omnia criteria reclament? Quam improbabilis ergo eſt, & ab omni ratione deſtituta, ſi id dicere liceat de Viro magno, cujus ego eruditionem quam maxime

xime veneror, Cl. COCCEII sententia, qui per Moabitas ipsos intelligit Judæos, quales fuerunt, cum Evangelium prædicaretur, hac ratione ductus, quod Moabitæ tum in ditione Judæorum habitarent, & circumcisionem suscepissent. Ita alia longe aperitur scena, sed a Prophetæ mente alienissima; sic ipsorum illorum Israelitarum, quorum felicitatem Prophetam canere putabamus, internecionem ac irreparabilem cladem prænuntiat. Bileam fassus erat se Israelitis non posse maledicere, quantopere etiam vellet, quod a Deo benedicti essent, hic tamen totalem eorum ruinam prædixisset, quam hoc non est incredibile? Moabitæ hic clarissime utique a Judæis distinguuntur v. 14., reliqui, qui deinceps recensentur populi, utique proprie & secundum litteram ab interpretibus intelliguntur, Idumæi, Amalekitæ, Kenitæ &c. ergo & Moabitæ. Qua, quæso, ratione Judæi Moabitæ dicerentur, an quia Moabitas devincerent & suæ genti insererent? sed ob hanc rationem Moabitæ quidem Judæi, sed non Judæi Moabitæ dici poterant, ut recte Cl. VITRINGA *ad Jes. XV, p. 461.* quem omnino consuli velim. Præterea, an unquam Messias adeo generaliter dicitur Judaicam nationem lethaliter percussurus? in ejus utique salutem ac felicitatem ubique promit-

mittitur. Tandem quam belle Bileam locutus fuiſſet: Dominator aliquis, illuſtris Heros ex Iſraele ortus, ! percutiet *Moabitas* id *eſt, ipſos Iudæos ;* dicam tibi, quid *populus, hicce* Iſraeliticus *faciet populo tuo* Moabitico v. 14. id eſt, *dicam tibi, quali ruina ipſe populus Iſraeliticus obruetur a proprio Principe!*

§. 8.

Alia adhuc ſuppetunt argumenta ad communem opinionem penitus profligandam. Ampliſſima Iſraelitis promittitur de Idumæis victoria, v. 18. quos etiam plane ſubactos ſuæ genti insererent. Hanc utique etiam per illuſtrem illum Principem, v. 17. commemoratum, obtinerent. Si jam per illum, ſi non unice, ſaltem ſenſu ſublimiori Meſſiam intelligamus, ineluctabili denuo premimur difficultate, cum Meſſias hæc nunquam præſtiterit, & alia quam plurima oracula, deinceps accurate excutienda, de Idumæis proprie dictis eadem prædicant, eaque non Meſſiæ, ſed aliis tribuant Heroibus. Reſpondent tamen hic, qui aliter ſentiunt, hanc de Idumæis promiſſionem hic non proferri, tamquam per Heroem illum, ſub ſtellæ ſceptrique nomine conſpicuum, præſtandam, ſed tamquam ſignum temporis adventus hujus illuſtriſſimæ perſonæ,

ſonæ, eum tum oriturum, cum Idumæi eſſent Judæorum hereditaria poſſeſſio, quod perfecte in tempus adventus Meſſiæ quadrat. Sed præterquam quod ſeries orationis omnino poſtulare videtur, ut hæc de Idumæis victoria æque ac reliquæ iſti *Stellæ* ac *Sceptro* tribuatur, ſi eorum reſponſio valeret, tum hic eventus prius commemorari debuiſſet. Meſſias enim venit poſtquam Idumæi jam dudum fuerunt inſerti, ex hac ſerie vero videri poſſet, mox poſt Meſſiæ adventum ipſos demum eſſe inſerendos. Præterea, ne vitilitigemus, hiſtoria certiſſime docet, ſubactionem Moabitarum & Idumæorum eſſe eventus affines, ab iisdem Principibus præſtitos. Prælucente itaque hiſtoriæ face ſine ulla hæſitatione affirmamus per Stellam & Sceptrum æque Idumæos ac Moabitas eſſe ſubigendos, & hanc unicam eſſe rationem, ob quam promiſſio de Idumæis priorem proxime ſequitur. Cum ergo Meſſias nec hoc nec illud præſtitit, ſine ratione de eo hic loci cogitamus. Sed alia, prima ſpecie non improbabilis opinio alicui in mentem venire poſſet, nempe Meſſiam demum deſcribi v. 19. ſub titulo *Dominatoris.* Sic enim omnia limpide fluerent, poſt Moabitas, Idumæos, aliosque vicinos populos devictos, & Judæis inſertos veniret Meſſias illuſtriſſimus ille Dominator ex Jacobo ori-

undus. Nec hanc opinionem admittere poſſumus. Nullus rurſus Meſſiæ Character ibi occurrit, & quod controverſiam decidit, attributa, quæ iſti Dominatori dantur, in Eum minime conveniunt. *Dominator* ex mea etiam ſententia omnino diſtinctus eſt ab eo, cujus fit mentio v. 17.; ſed vi vocis hic intelligendus *Dominator durus* & *immitis*, quod ſi de Meſſia reſpectu hoſtium intelligi poſſet, nihil tamen in eo titulo eſt, quod nos ad Meſſiam ducere poſſit. Deinde, quo, quæſo, tolerabili de Meſſia ſenſu dici poterit, eum *perditurum reliquos ſeu ſuperſtites ex urbe*? & ſi vel maxime, de quo tamen vehementer dubito, phraſi abſtracte ſumta, figurato ſenſu de Meſſia adhiberi poſſet, qui, quæſo, hic eſt Meſſiæ Character, quod indicium, quod ſemper adeſſe debet, ſi interpretatio erit rationalis? Porro, hic loci de Meſſia nullo prorſus modo hæc prædictio intelligi poteſt; ſiſtitur utique hic Illuſtris, ſed ſimul ſeverus aliquis Dominus, ex Iſraele ortus, ejusque Princeps, qui victorias prioris illius Herois v. 17. perſequeretur, qui reliquias hoſtium plane perderet: quis jam ſanæ mentis id ad Meſſiam referret? Denique, Meſſias utique in ſalutem humani generis, in piorum ſolatium promittitur, an ergo credibile de Meſſia nihil aliud hic prædicari, quam quod terribi-

le

le & ad ruinam hominum tenderet? perderet quidem regni sui hostes, at non probabile est, si hic demum Messias commemoraretur, id tantum, ac nihil præterea de eo prædicatum fuisse. Sed dicat quis, si Bileamus nihil aliud hic prædicit quam Moabitarum, Idumæorum, aliorumque populorum plenariam subactionem per illustres Israelitarum Principes, cur ergo tam solenni usus est præfatione, ad mentes ad majora audienda erigendas apta nata? Eodem modo rogo, cur v. 3. & 4, ubi utique de exter a Judæorum felicitate vaticinaturus erat, eadem usus fuit? ne jam dicam, hanc præfationem ab superbiæ crimine vix absolvi posse, nec ab ullo alio Propheta similem fuisse adhibitam.

§. 9.

Quid ergo tandem de illustri hoc oraculo fiet? si non Messias, quis qualisve, qui hic describitur? Omnium tutissima via est consulere historias, num in iis talem illustrem Heroa reperire possimus, in quem omnes characteres, omnia facinora, huic Stellæ, Sceptro & Dominatori tributa, conveniant? Talis enim si ex historia certissime demonstrari possit, apud veritatis & S. S. amantes nullum remanere debet dubium, quin de eo Vates noster, Spiritu divino motus, cecinerit. Nec ab Historia destituimur,

imur, namque ea tres illuſtriſſimos ſiſtit Heroas, qui hic in cenſum venire poſſint, nempe DAVIDEM, JOANNEM HYRCANUM, ejusque filium, ALEXANDRUM JANNÆUM. Hi omnes maximi fuerunt Heroes, Iſraelitarum Principes, & egregias de *Moabitis, Idumæis*, aliisque vicinis hoſtibus retulerunt victorias. Hinc jam magna oriri poſſet hæſitatio, num de uno horum, an de omnibus ſimul canat vates? & ſi de uno, de quo potiſſimum ex hiſce tribus? Senſit illam difficultatem magnus ille Prophetiarum interpres, C. VITRINGA, etiam hic reliquis perſpicacior, in *typo doctrinæ proph. C. VI, §. 7. p. 130. Hic vero*, inquit, *dubium videri poſſet, an de Davide, an de Joanne Hyrcano, ejusque filio Alexandro, an potius de Davidis filio, Meſſia, intelligendus ſit vates. Interpretes paſſim ſcinduntur in partes duas, quarum altera de Davide cogitat, altera de Meſſia. Hyrcanum enim aut Alexandrum huc advocari, hactenus non obſervavi: quamvis vere, ſi Dominator ille ex Jacobo, de quo v. 19., qui reſiduum eſſet perditurus ex urbe, ſit Meſſias, ut fere omnes conſentiunt, isque a priore Principe diſtinctus: majore cum ratione hic de Hyrcano & Alexandro cogitetur, quam de Davide. Prævalent tamen ſententiæ, Judæorum etiam, quæ hic unum Principem, & quidem Meſſiam intelligunt, nec ego me ab*

ab his partibus sejungo, hactenus Cl. *Vitringa.* Dubium ab eo motum nos removemus, statuendo Bileamum de omnibus hisce tribus simul esse intelligendum; Messiæ enim hic nullam rationem habendam ex superioribus jam constat. Tantum autem abest, ut Dominator ille ex Jacobo, de quo v. 19. esset Messias, ut is solus sit *Alexander Jannæus*, qui hostes inter Moabitas & Idumæos, aliasque gentes, quos Pater Joannes Hyrcanus reliquerat, plene subegit; ut suo loco in explicatione certissime evincemus. Nunc observasse sufficit, ad omnes hosce tres Principes oraculum certissime esse referendum, & quidem, quæ v. 17. & 18. habentur, ad *Davidem* & *Joannem Hyrcanum*, quorum uterque jure & merito titulo *Stellæ Sceptrique* insigniri potuit, quorum uterque Moabitas & Idumæos profligavit. De *Davide* res certissima est, & a plerisque admittitur: de *Joanne Hyrcano* non minus certa, adeo ut mirari subeat, neminem ante Cl. VITRINGAM, quantum nobis constat, vel de eo cogitasse. Is plura Davide fecit, ac vim oraculi omnem demum præstitit. *David* hosce populos quidem devicit & tributarios fecit, sed *Hyrcanus* genti Judaicæ inseruit; *David* eos tractavit ut populos, devictos quidem, sed a Judæis diversos; *Hyrcanus* ut

eandem cum Judaica gentem, adeoque vere ירשה *poſſeſſionem hereditariam*; *David* gentilem iis permiſit religionem, *Hyrcanus*, quo arctius commercium eſſet, eos Judaicam recipere & circumciſionem pati coëgit; *Davidis* victoriæ perennem non habuerunt fructum, cum cito rebellaverint ſub ejus ſucceſſoribus, tandemque plane defecerint, ſed ab *Hyrcano* devicti deinceps perpetuo ad finem reipublicæ Judaicæ obedientes fuerunt, idem cum Judaico populus, ſine reipublicæ forma propria, aut privis legibus. Ex omnibus hiſce certiſſime conſtat. *Hyrcanum* magis vim oraculi præſtitiſſe, quam *Davidem*, adeoque illum omnino a Spiritu prophetico fuiſſe deſignatum. Huc accedit, quod Bileamus omnino poſteriora reipublicæ Iſraeliticæ fata ob oculos habuerit; non tantum, quod dicat, hunc eventum demum locum habiturum באחרית הימים *in extremo dierum* v. 14. & v. 17. *video illum ſed non nunc*, *intueor eum ſed non propinquum*; ſed quod in vaticiniis proxime ſequentibus poſtrema Amalekitarum, Kenitarum &c. fata prædicat. Nec tamen oculi a Davide ſunt abſtrahendi, cum ejus de hiſce gentibus victoriæ adeo ſint illuſtres, ejusque reliqua attributa tam egregie in eum quadrent. Ergo hi duo ſunt conjungendi, maxime cum Propheta, epitheta accumulans,

non

non obſcure ſignificet, non unum ſed duos deſignari; bini tituli binos ſiſtunt Heroas. Hi ergo ſub nominibus *Sceptri* & *Stellæ* deſignantur; de *Dominatore ex Jacobo*, ab his diverſo, accuratius ad v. 19. agam.

§. 10.

His præmiſſis, ad ipſius oraculi explicationem me confero; primo, verba & phraſes, quantum neceſſe eſt, examinaturus, dein, ſenſum realem prolaturus, ac certiſſimis hiſtoriæ teſtimoniis ejus implementum demonſtraturus. Verba Prophetæ v. 17. & 18. hæc ſunt: *Video illum, ſed non nunc, intueor illum, ſed non propinquum; procedit Stella ex Jacobo, & ſurgit Sceptrum ex Iſraële, & percutiet tractus Moabi & exſcindet omnes filios tumultus. Tum fiet Edom hereditaria poſſeſſio (hoſtium ejus), & Seir fiet hereditaria poſſeſſio hoſtium ejus, ſed Iſrael faciens robur.* Singula, quantum neceſſe eſt, excutiamus verba. Primo videamus, quorſum affixum נו ſit referendum? poteſt referri ad *populum Iſraeliticum* in genere, de quo modo locutus erat v. 14.; eodem enim modo Cap. XXIII, 9. אראנו אשורנו *video illum, intueor illum*, nempe *Iſraëlem*, ita quoque v. 13. Quando ergo Propheta dicit: *video illum ſed non nunc, intueor illum ſed*

non propinquum, ſenſus eſt, *video populum Iſraeliticum, non qualis nunc, ſed qualis olim poſt magnum temporis intervallum futurus eſt*, nempe potentem, felicem, glorioſum, hoſtibus terribilem, in quo nihil dificile eſt. Verum nihil quoque obſtat, quo minus ad *Stellam* & *Sceptrum* referatur hac ratione: *video illum illuſtriſſimum Heroa, ſed nunc tamen non adeſt, eminus eum poſt longa demum tempora adventurum conſpicio.* Utro modo ſumatur, ſenſus eodem redit. Ex proprietate verbi ראה, in *vibrando* ſita, nihil ad loci noſtri intellectum lucramur. Arabicum رأي ſemper notat *videre in ſpeculo*, quod hic non male applicaveris; Bileam res futuras quaſi in ſpeculo contemplabatur. Thema שור pr. valet *recta linea tendere*, adeoque maxime adhibetur de re longe diſſita, quam intentis & irretortis oculis eminus conſpicimus, quam proprietatem egregie illuſtravit Doctiſſimus, mihique amiciſſimus MESTING in *diſſ. philol. de autenthia quorundam cethibim*, *Groningæ* ſub ſummi SCHROEDERI auſpiciis edita *p. 15. & ſeq.* Sed de quali viſione loquitur vates? de viſione utique *Prophetica*, qua res futuras quaſi præſentes contemplabatur. Utrum vero Deus haſce res Bileamo quaſi in ſpeculo conſpiciendas ſtiterit, ut aliis Prophetis per-

ſæpe

ſæpe, an vero tantum hiſce verbis ſignificet ſe mente & animo hæc futura prævidere, nobis perinde eſt, & ex phraſibus determinari non poteſt. Voces לא קרוב & לא עתה indicant non ſtatim, ſed poſt magnum temporis intervallum res illas demum futuras, ut per ſe liquet. In forma futuri, quæ eſt in verbis *videre*, nemo Hebraice peritus hærebit; ea hic vim *præſentis* habet, uti etiam Cap. XXIII, 9. Non ergo dicit, ſe poſt longum temporis ſpatium haſce res viſurum, ſed contra has res, quas ipſe nunc quaſi præſentes contemplabatur, tum demum vere eventuras; Quod vero duabus uſus eſt phraſibus, idem fere ſignificantibus, id nos ducere poteſt ad duos potiſſimum de quibus canit, Principes; nec tamen neceſſario. Sufficit emphaſios gratia eum idem bis enuntiaſſe, cum, ut magnitudinem & momentum hujus eventus, tum, ut, quam clare & certe eum prævideret, indicaret, ut Cap. XXIII, 9. Attamen, cum aliunde certum ſit, duos potiſſimum Iſraelitarum Principes menti ejus fuiſſe obverſatos, recte ſtatuitur priori phraſi eum deſignare *Davidem*, & Iſraelis conditionem, quæ eo regnante obtineret; poſteriori *Joannem Hyrcanum*. De priori dicit לא עתה *non nunc*, indicans ejus adventum non quidem prope adeſſe, ſed tamen tam longe non diſtare,

quam alterius iſtius; de priori enim dicit tantum eum *nondum* adeſſe, de poſteriori *ſe eminus eum, non propinquum conſpicere*. Præterea obſervari poteſt, in phraſibus hiſce eſſe μειωσιν *non propinquus*, id eſt, *quam longiſſime diſſitus*.

§. II.

Perſonas illuſtres, quorum heroica facinora prænuntiat, inſignit epithetis *Stellæ* & *Sceptri*. כוכב Arab. كَوْكَب derivatur a ככב Hebræis ex Arab. reſtituendo, ubi كَكَبَ notat *micuit*, inde כוכב *res quævis micans*, figurate vero, *Dux*, *Princeps illuſtris*, *vir armatus*, armorum ſplendore coruſcans, quas ſignif. apud Arab. habet frequentiſſime, nihilque in omnibus linguis vulgatius eſt, quam viros illuſtres *ſidera* appellare. (a) Eo ſenſu hic quoque capiendum eſſe ex iis, quæ ei tribuuntur, certiſſimum eſt. Errant ergo procul omni dubio, qui hic de *propria ſtella* cogitant, illa nempe miraculoſa, quæ tempore nativitatis Chriſti apparuit, qui error tamen admo-

(a) Stellis etiam, Cometis nempe Orientales aliique populi magnorum regum, aut regnorum ortum vel mutationem ſignificari putabant. Exempla a *Clerico* ad hunc locum congeſta vide.

modum vetustus est; ita jam ORIGENES *contra Cels. l. 1. p. 45. & 46.* Mira autem sunt, quæ Patres de hoc Planeta narrant, vide IGNATIUM *ep. ad Ephes. §. XIX*, ibique COTELERII notam. Cæterum nullo modo hic ad mirabile illud phænomenon respici vel ex eo fit probabile, quod Evang. Matthæus hunc locum non citaverit, cum optimam haberet occasionem, postquam Magorum adventum enarrasset; maxime cum alias fere semper soleant Evangelistæ in talibus casibus V. T. oracula citare, etiam illa, quæ directe eo non pertinent.

De illo sidere adhibet verb. דרך درك cujus origo est in *volvendo* & *glomerando*. SCHULTENS ad *Hamas. p. 399. Volvi* autem & *glomerari* de iis rebus dici solet, quæ ingruunt motu volubili & per vices continuas atque identidem revolutas: Semper valet *incedere, procedere* motu volubili pr. *glomerare gressus*: eleganter illud etiam dicitur de militibus in prælio concurrentibus, ita VIRGILIUS *Georg. l. IV, p. mihi 151.* de apibus.

Erumpunt portis, concurritur: æthere in alto
Fit sonitus: magnum mistæ glomerantur in orbem.

Sed, quod probe notandum, ut Hebr.

דרך

דרך, ita quoque Latinum *glomerare* eleganter de *ſidere* adhibetur, ut in illo *Poetæ.*

Pleiadum parvo referens glomerabile ſidus

ubi *glomerabile* corrupte legitur pro *glomeramine*, ut egregie obſervavit J. FR. GRONOVIUS *obſervat. l. 1. Cap. VI, p. 87.* Noſtro ergo loco דרך כוכב מיעקב *volubili motu procedit ſtella ex Jacobo*, idem eſt ac ex Jacobi poſteritate orietur *illuſtris Heros*, isque inde *magnifico* & *vehementi greſſu* ad alios, eos bello aggreſſurus, *procedet.* Exprimit enim דרך *gradiendi vehementiam*, ut recte Cl. VENEMA in *not. ad Cl.* VITRINGÆ *comm. ad Deut. XXXII, p. 38:* Non tantum ergo ortus hujus ſtellæ ex Jacobo ſignificatur, ſed & ejus proceſſus inde ad gentes hoſtiles, & quidem proceſſus celerrimus ac vehementiſſimus, cui reſiſti non poteſt. Addit vates וקם שבט מישראל *& ſurget Sceptrum ex Iſraele.* Vocab. שבט propr. notat *baculum* vel *ſcipionem rectum* & *protenſum*, in acutum deſinentem, quo & verberatur & pungitur, ut ex Arab. سبط patet, conf. SCHULTENSIUS ad *Harir. conſeſſ. 5. p. 101*; notat hinc baculum *firmum* & *robuſtum*, ſumitur quoque pro *haſtili* 2 Sam. XVIII, 14. Cum vero tribuum

pri-

primores ejusmodi *scipiones* & populorum rectores supremi *hastis* vel *virgis* robustioribus insigniti essent, hinc tum ad *tribus*, tum ad regiam vel supremam potestatem depingendam transiit. Duces quoque exercitus tales baculos olim gerebant, quos Græci σκῆπτρα vocant, ita *Scholiastes* HOMERI ad *Iliad.* Γ *v. 218.* ubi Ulissi σκῆπτρον tribuebatur, ἕκαςος τῶν ἡγεμόνων σκῆπτρον εἶχεν ἴδιον. erat autem σκῆπτρον, ut idem *Schol.* ad Il. 4. v. 28. βασιλικὴ (adde vel ἡγεμονικη) ῥάβδος. Hinc Reges & Principes dicuntur σκηπτοῦχοι: ita HOMERUS *Odyss.* Θ *v. 41.*

> Σκηπτοῦχοι βασιλῆες ἐμὰ πρὸς δώματα καλὰ
> Ἔρχησθε. —— ——

et duces exercitus; ita apud XENOPHONTEM in *Expedit. Cyri l. 1. p. mihi 64.* ubi Artapatas dicitur πιςοτατος τῶν Κύρου σκηπτούχων: ne jam alia congeram. שבט vi sua notat *baculum*, quo verberatur, & *hastam* qua pungitur, adeoque non tantum signum est *majestatis regiæ*, sed et *potentiæ dominantis*, quæ hostes prosternit, rebelles punit, & regnum vi defendit, ut egregie quoque observavit Cl. VENEMA in *Comm: ad Gen. XLIX, p. 253 & 254.* qui hic inspici debet. Per Sceptrum ergo hic designatur *Princeps strenuus*, *bellicosus*, *hostibus terribilis*, potestate & robore munitus ad suos defendendos, hostes

hostes vero arcendos, imo penitus profligandos. Verbum קום Arab. قام notat non tantum *stare*, *surgere*, sed & *insurgere*, *adversari*, *magno cum impetu*, & ita hoc loco sumendum, simul nempe, ut in superiore verbo ortus hujus Herois, simul impetus, quo in hostes insurgeret, notatur. Hanc verbi vim jam notavit SCHULTENS ad *Job. p. 24. & p. 399.* Cæterum origo sita videtur in *fervore.*

§. 12.

Hic jam accuratius examinari potest, utrum per *Stellam* & *Sceptrum* Unus idemque Princeps intelligendus sit, an vero plures? Sane si verba & phrases per se consideremus, possent illæ de uno eodemque intelligi, adeo ut qui modo כוכב mox שבט dicatur, in quo nihil est consueto Hebræorum stylo adversum. Nec tamen propterea reliqui eorundem attributorum & facinorum participes, si qui tales reperirentur, forent exclusi, sed simul comprehenderentur. Licet Propheta proprie de uno tantum locutus fuisset, potuisset tamen sub illo uno & alios similes comprehendere, quod apud Prophetas satis vulgare ac nemini ignotum est. Sed vel ex ipsis tamen Prophetæ verbis vehemens me tenet suspicio, Spiri-

Spiritum Sanctum hic non de uno, verum duobus loqui. Quid, an hæc binorum verborum, epithetorum, facinorum accumulatio non prorsus singularis est & admirationem excitare apta? dicit Vates se aliquem videre, qui nondum adest, addit, se eminus aliquem e longinquo conspicere; ortum & processum illustrissimi Herois sub nomine *Stellæ* canit, & mox meminit *Sceptri* surrecturi, seu *Principis* potentis, vi, strenuitate & robore ad hostes percutiendos muniti. Tandem victorias quoque duplici & distincta phrasi celebrat; postquam dixerat *percutiet tractus Moabiticos*, addit: *& vastabit omnes filios tumultus*. Præterea singulis vicibus particula ו repetitur. Quis hæc attente ad animum revocans, & cum aliis Prophetarum oraculis comparans, in quibus fere semper aliquid altioris indaginis latet, inde non concluderet, Vatem plures, & quidem duos hoc loco indigitare illustres Principes? Quid enim in stylo conciso, qualis quam maxime est Prophetarum, sibi hæc phrasium & epithetorum accumulatio & distincta propositio alias vellet, quæ ejus singularis enuntiationis esset ratio? Hinc etiam est, quod multi interpretes hic de duobus, Davide nempe & Christo, cogitant. Habeamus ergo hanc sententiam ex ipsis vatis verbis, prout jacent, maxime

pro-

probabilem, ut revera est. Sed quod hactenus probabile erat, certum fit ex eventu. Historia nos certissime docet duos fuisse Israelitarum Principes, qui Characteres hujus Stellæ & Sceptri gesserunt, *Davidem* & *Joannem Hyrcanum*, ut deinceps probabimus. Nec tamen tituli & facinora sunt discerpenda, ac a se invicem sejungenda, ut nonnulli instituunt, quasi v. gr. *Stella* esset *David*, *Sceptrum* vero *Messias*, & ad Stellam tantum pertineret percussio Moabitarum, ad Sceptrum *vastatio*, aut ut illi malunt *congregatio filiorum Seth*; hæc si Prophetæ mens fuisset, sermonem aliter longe instituisset; tum post singulum titulum mox collocasset singulum facinus, isti personæ proprium; tum dixisset: *procedet Stella ex Jacobo, & percutiet tractus Moabi, & surget Sceptrum ex Israele, & vastabit omnes filios Seth.* Cum hunc ordinem non teneat, sed attributa simul exhibeat, & titulos simul; cum facinus hoc aut illud non magis ad unum quam alterum restringatur, certum est, quod uterque utrumque facinus præstaret, quemadmodum ex facinoribus etiam apparet, binos titulos in singulum horum competere, quæ omnia rursus ex historia certa sunt. Summa dictorum est, quod *David* sit *Stella* & *Sceptrum*, item *Joannes Hyrcanus*, & quod *uterque* & Mo-

abitas

bitas profligaret & filios tumultus vastaret.

§. 13.

Pergamus nunc ad illustrissima illa facinora hisce Heroibus tributa, ומחץ פאתי מואב & *percutiet angulos seu extremitates Moabi.* Verb. מחץ pr. valet *hausit*, *conturbato vehementius vado, & situla huc illuc jactata*, indeque translatum est ad *vehementem percussionem*, *conjunctam cum fusione sanguinis*, & *fœda cruentatione*, ut demonstrat Cl. SCHULTENS de *defect. p. 70.* Ubique frequentatur de cruenta cæde hostium, per quam multum sanguinis effunditur, sic Pf. LXVIII, 22. Pf. CX, 5. 6. &c. Est itaque verbum bellicum, indicans cruentam cædem inter Moabitas edendam, ac plenariam eorum subactionem. Vocab. פאתי varie redditur, nonnulli *arces locaque munita* denotari existimant. Sic idem esset quod פנות proprie *anguli* a th. פנן cujus propr. est in *flexu divergente*; ubi autem angulus est, ibi est flexus ad aliud latus divergens. Quoniam autem in *angulis murorum* exstrui solebant *turres* & alta *propugnacula*, hinc פנות *anguli* per Metonumiam dicta sunt *propugnacula* 2 Chron. XXVI, 15. Zephanj, I, 16. ubi ערים הבצרות *urbes munitæ* & פנות הגבהות *propugnacula alta* con-

junguntur, vid. et Cap. III, 6. Nostrum autem פאת & si *extremitatem* & *angulum* notet, pro *propugnaculo* tamen nuspiam, quod scio, occurrit; minus apte etiam diceretur *cruenta cæde percutiet propugnacula.* In simili de Moabo vaticinio Jer. XLVIII, v. 45. eodem modo פאת מואב: ibi eleganter notat *extremos capitis barbæque crines*, quam notionem manifesto habet Levit. XIX, 27. & XXI, 5. *Ignis* apud Jeremiam dicitur consumturus *extremos crines Moabitarum, & crines verticis filiorum tumultus*, hoc est, *omnes crines. Crines* autem ibi notant *opes* & *vitæ præsidia* ac *ornamenta*, sic etiam clarissime Jes. VII, 20. Nec male ea significatio in locum nostrum quadraret, præsertim, si pro קרקר membro proximo legendum sit קדקד, quod non improbabile; ita enim uti apud Jerem. *Crines* & *vertex*, ita & hic conjungerentur, possetque tum nostra phrasis ita verti: *motitando ensem abscindet crines & ipsum verticem cum magna fusione sanguinis. Septuaginta Interpretes* פחותי legisse videntur, exponunt enim per ἀρχηγὲς, quam versionem alii quoque secuti sunt interpretes, sive *angulos* figurate *Principes* denotare existimaverint, sive פאתי mutato ח in א idem valere ac פחתי putaverint, quod posterius conjicit MIEGIUS in *diss.* supra cita-

ta

ta §. IV, Vertamus nos tandem ad Arabes, illi habent verb. فأ ult. و. vel ى. *fidit, diffidit* gladio; inde פאה apud Hebr. *extremitas resecta*, inde *finis, terminus*; *percuteret terminos* regionis, idem valet ac totam regionem, qua late patet terminis suis exclusam. Videtur פאה etiam latius sumi pro *tractu, plaga*, uti Arab. فأو etiam conferri posset فئة notans *agmen hominum*. Sive jam reddas percutiet terminos Moabi, sive *tractus* sive *agmina*, sensus fere eodem redibit. Quilibet hic suo fruatur judicio, cum in genere certissime constet, significari cruentam Moabitarum cædem ac plenariam subjectionem.

§. 14.

Sequitur וקרקר כל בני שת. Vehemens hic interpretum est fluctuatio, tum in definienda genuina vi vocis קרקר, tum in demonstrandis illis filiis שת, qui qualesve fuerint. De utroque videamus. Vulgo קרקר reddunt *destruere, vastare*, tum quia hunc sensum nexus manifesto postulat, tum etiam conjectura facta ex Jes. XXII, 5. Derivant קרקר a קיר *paries* unde קרקר esset *destruere parietem*, ita apud Jes. l. c.

מקרקר קר *destruens parietem*; eodem modo ac a שרש *radix* est שרש *eradicare*, quam observationem solidam vocat Cl. VITRINGA ad *Ies.* & loci nostri sensum sic recte exprimi & ipse sentio. Sed aliam deinceps vocis nostræ explicationem dedit JAC. ALTINGIUS, existimans קרקר esse *congregare*, a Chald. קרקר *cucurire*, *glocitare*. Suborta proculdubio est hæc observatio Cl. *Altingio* ex hypothesi, de Messia nempe hoc loco agi, ac filios Seth esse *electos*. *Sit*, inquit *Vitringa*, ad Jes. XXII, *sua piæ meditationi laus*: *mihi omnino videtur significatio hæc vocis esse novitia, cujus exempla ex antiquis scriptoribus nullis hactenus producta vidi.* Sed Cl. SCHULTENS in *Animadv. phil.* ad hunc nostr. locum hanc *Altingii* sententiam satis refutavit. Addo ineleganter hunc bellicosum Principem mox transformari in gallinam, suos pullos glocitando congregantem. Ipse *Schultens* tamen, cum sensum retinere vellet, putans Vatem loqui de regno a Christo firmando in terris, exponit קרקר *fundabit*, ab Arabico قرّ cui *firmandi* notio inest. Verum id in hunc locum non convenire videtur, requirit nexus hostium subjugationem; mox enim videbimus eos per בני שת designari; Ut ergo tandem ex hoc labyrintho nos extrice-

tricemus, confugiamus ad Arab. قَارَ med. و.
Hebr. קור, quod propr. notat *ſecare*, *incidere*, unde etiam eſt קיר *paries*, quia locum, quem cingit, *reſecat* & ſeparat; plane ut גדר vel גדרה a גדר *ſecare*: inde etiam eſt notio *fodiendi*, & מקור *ſcatebra*, quæ effoſſa terra elicitur. Ad hanc originem clare reſpicitur Jeſ. XXII, 5. מְקַרְקַר קִר *ſecans parietem*, porro *incidere*, *exſcindere*, quas notiones illud قار habet. Aptiſſime etiam transferuntur ad *exciſionem* & *deletionem* hoſtium, ad gravem eorum cladem, qua quaſi inciſi & fracti, omni ad reſiſtendum robore privantur, atque ita plane ſubiguntur. Arabic. verbum etiam notat *circumcidit* ſc. *mulierem*, etiam *ex inſidiis* & *occulto captavit prædam*, quæ notio & ipſa eſt ab *incidendo*, & fodiendo. Lat. dicunt per *cuniculos* aliquem aggredi, ex locis occultis in terra effoſſis & exciſis, ubi inſidiatores latere ſolent. Quemadmodum ergo a חול eſt חלחל &c. ita a קור eſt קרקר. Ipſum autem illud verb. قَرَّ, unde noſtrum derivat Cl. SCHULTENS, etiam inter alia, monente GOLIO, ſignificat *impoſuit* tributum vel ſimile quid; item *coëgit ad confitendum*. Non male etiam conferri poſſet Arab. كَرَّ mutato ق in ك, *impetum fecit*, *irruit*, ſed ab hiſce abſtineo.

 Quæ

Quæ dixi de origine verbi קרקר a קור Arab. قار sufficiant. Hac ergo ratione lectio recepta defendi ac commode explicari potest. Nec tamen CLERICI conjecturam, quam etiam amplectitur BULLERIUS, spreverim, is, nempe, loco קרקר ex *Samaritani* codicis auctoritate forte reponendum conjicit קרקר *verticem*, quæ conjectura confirmatur ex Jerem. XLVIII, 45. ubi manifesto ad hunc locum alluditur, ut recte *Clericus*. Verba hæc sunt: *nam ignis egressus est ex Chesbone, & flamma e medio Sichonis*, quæ devoret פאת מואב וקרקר בני שאון *extremitatem Moabi & verticem filiorum tumultus*. *Ignis & flamma fulmen* dicitur, ut Jerem. XI, 16. Hic sub hac figura eleganter latet *impetus bellicus*, fulminis instar omnia perdens. Eodem fere modo Ps. LXVIII, 22. ימחץ ראש איביו קדקד שער

§. 15.

Jam videamus, quinam sint illi בני שת *filii Seth*, qui lethali clade afficerentur. In diversa abeunt Interpretes, in re obscura pro suo quisque ingenio & de oraculi sensu sententia conjecturas discrepantes de hisce *filiis Seth* comminiscentes. Nonnulli hic cogitant de *omnibus hominibus*, tamquam Sethi posteris, Caini prole deleta. Alii, absur-

absurdum hinc prodire sensum animadvertentes, putant nomen שת fuisse nomen *proprium gentis*, Hebræis finitimæ, tum satis notæ, aut *civitatis* in terra *Moab*, aut denique illustris cujusdam *Moabitarum Regis*. Hi alii alios refutarunt, quare lectoris patientia non abutar, posteriores tamen conjecturæ priori longe sunt præferendæ, & si nihil aliud sup ëteret, in re obscura admitti possent. Cl. ALTINGIUS, quem sequitur MIEGIUS, existimat בני שת *esse electos* a Setho pio Patriarcha ita appellatos, allusione facta ad distinctionem, quæ olim in mundo antediluviano obtinuit inter Caini Sethique posteros, quorum hi *filii Dei*, illi *hominum* audiebant. Verum si hæc Prophetæ mens fuisset, cur non potius *Abrahami filios* vocavit? Dudum illa divisio, etiam diu ante diluvium, cessarat, & fere oblivioni tradita erat, itaque non poterat non eo sensu esse obscurissima. Præterea, cum Caini stirpe deleta, omnes homines nunc filii Sethi essent, utique hac appellatione *electi* seu *fideles* designari non poterant, nisi quis vellet omnes homines esse electos. Merito ergo hanc opinionem rejicimus, maxime cum orationis series reclamet, & postulet *hostium* Israelis epitheton. Cl. VITRINGA ad Jes. XXII, 5. *etsi*, inquit, *hæream in phrasi* בני שת, *per quos secundum circum-*

 stan-

ſtantias loci intelligi puto Idumæos, *voce* שׁת *appellative ſumpta pro fundamento*, *ſive loco munito*; *quod illi maxime arcibus ac munimentis ſuis fiderent.* CLERICUS mavult intelligi *Moabitas*, quamvis incertum ſit quare ita dicantur. *Ammonitas*, *Midianitas* & *Orientales cæteros*, ad Euphratem usque pertingentes per Bileamum hac voce deſignari recte obſervarunt alii, nec tamen appellationis rationem aſſecuti. Sed inter conjecturas de forma ac vi vocis eminet elegantiſſima illa BULLERII, quam exhibet in *diſſ. laudata p. 18.*: exiſtimat nempe, שׂת legendum, non שׁת, puncto ſcilicet τοῦ Schin a dextro latere ad ſiniſtrum tranſlato; שׂת vero hic poſitum contracte pro שׂאת, quod *elationem*, animi *tumorem* & *ſuperbiam* notat, quemadmodum Job. XLI, 16. Job. XIII, 11. *Moabitas* itaque putat hic dici בני שׂת, quod eſſent *tumidi*, *inflati* & excellentiæ propriæ opinione ſuperbientes, confert denique Jer. XLVIII, 45. Laudem ſane meretur egregia conjectura, & admitti poteſt, nec tamen plane ei ſubſcribo. Mihi videtur שׁת pro שׁאת a שׁאה pr. *rumpi cum fragore*, ut Cl. SCHULTENSIUS docet ad *Proverbia*; unde transfertur inter alia ad *confuſum tumultum* denotandum, ubi audiuntur השׁאות *clamores*, magno cum ſtrepitu quaſi erupti. Iidem qui hic dicuntur

tur בני שת, Jer. XLVIII, 45. appellantur בני שאון; est autem שאון pr. *fremitus* vel *strepitus undarum* inter se collisarum, & hinc metonumice *ipsæ undæ* frementes Ps. LXV, 8.: vel etiam *fragor*, qualis editur, quando magnæ molis structura disrumpitur, & ingenti cum strepitu corruit. Inde porro transiit ad denotandum confusum illum *strepitum* ac tumultum, qui cieri solet *in exercitu* Jes. XIII, 4. Jerem. LI, 55. Amos. II, 2. ubi de ipsis *Moabitis* ומת בשאון מואב & *morietur Moab per tumultum militarem*, ipsi illi, qui apud Jerem. dicuntur *filii tumultus*, eadem voce per talem etiam interirent tumultum. Cæterum vocab. שאת, quod hic contractum in שת, idem plane notat, uti Threnor. III, 47. ubi conjungitur cum שבר *calamitosa diffractione* ac *subversione*. Posset etiam שת derivari a שות *imprimere*, inde cum vehementissimo impetu *ingruere*, ut Jes. XXII, 7. והפרשים שת שתו השערה & *equites ingruendo ingruunt portam versus*. Sic בני שת esset *filii impressionis*, id est, *impressores, aggressores hostiles*, quorum est impetus facere hostiles. Utro modo capiatur, res redibit eodem: namque designantur tumultuosi, irrequieti, quorum consuetudo est, continuis incursionibus, certaminibus & vexationibus aliis creare molestiam. Qui titulus optime convenit in Moabi-

tas, Ammonitas, Idumæos, aliosque populos vicinos Israelitis semper molestos, uti notissimum; qui omnes itaque, quo minus hac voce comprehensi statuantur, maxime historia id comprobante, nihil obstat. Sunt itaque iidem, qui 2 Sam. VII, 10. בני-עולה, *filii iniquitatis*, appellantur, ubi Deus per Nathanem hoc promissum dat: *Et ponam locum firmum populo meo Israeli, & plantabo eum, & habitabit secure in eo, & non commovebitur amplius, & non pergent filii iniquitatis ad affligendum eum, quemadmodum in initio.* Ita illos populos appellare Judæis solenne erat, sic οἱ υἱοὶ ὑπερηφανίας dicuntur Maccab. II, 47., quem locum jam citavit BULLERIUS. JOSEPHUS quando victoriam a Davide de Palæstinis reportatam enarrasset *Antiq. l. VII, c. IV.* p. 372. *Nemo autem suspicetur*, inquit, *exiguum Palæstinorum exercitum contra Hebræos venisse, ex celeritate, cladis, & quod nihil magni aut memoratu digni gesserint, ignavos timidosque exstitisse conjiciens; sed sciat, Syriam omnem & Phœnicem, & præterea alias gentes multas pugnacesque illis auxilium tulisse, bellique participes fuisse. Quod solum etiam causa erat, cur tam sæpe victi, ac multis myriadibus amissis, denuo bellum cum Hebræis majoribus viribus redintegrarent.* Erant itaque Palæstini veluti hydra Lernæa a Davide, altero Hercule, decollanda.

§. 16.

§. 16.

Tum erit Edom hereditaria possessio v. 18. Verb. ירש propr. valet *nectere*, hinc *heredare*, notione ducta a *cognationis nexu*. In usu autem non semper significat *hereditatis jure obtinere*, verum persæpe etiam notat *invadere*, *occupare*, ut peculium sibi competens, *possidere titulo justioris domini*; significat tum vi & armis gentem aliquam subigere, ita ut victoris præmium & quasi peculium evadat, Mich. I, 15. Jer. VIII, 10.: sic הוריש *possidendum tradidit* pro *expulit ex possessione hereditaria* Deut. IV, 34. Jos. XXIII, 13. &c. conf. SCHULTENS ad *Proverb*. XX, 13. Idumæa esset ירשה *possessio, proprium peculium*, & ne erraremus, additur ירשה שעיר איביו, *Seir*, quod idem ac *Edom*, seu regio Idumæa, a montano Seir ita appellata, *erit peculium hostium ejus*. Idumæa foret peculium, sed quorum? non ipsorum Idumæorum; in eo enim nihil singulare, verum *hostium ejus*: ast quinam sunt illi Idumæorum *hostes?* nulli alii quam *Israelitæ*; id docet vaticinii scopus, & propterea mox additur & *Israel* &c. Hostes Idumæorum κατ' ἐξοχὴν dicuntur Israelitæ, quod acerrimo & plusquam Vatiniano odio semper hæ nationes se invicem fuerint prosequutæ, æque ac progenitores Jacobus

& Esa-

& Esavus, ut ex universa historia clarissimum est. Docetur hic secundum genuinam vim verbi ירש Idumæam ab Israelitis vi armorum ac bello devincendam, ita ut plane subigatur ac eorum fiat peculium, regioni Judæorum accenseatur. Similiter Deus promiserat se Israelitis terram Cananæam daturum מורשה Exod. VI, 8.

§. 17.

Sequitur וישראל עשה חיל *& Israel faciens robur*, quæ phrasis divitem sensum habet. חיל *primo* notat *agilitatem* a חיל propr. *verti in hanc illamque partem*; quoniam autem agilitas magni in bello usus est, hinc *fortitudinem* exprimit, SCHULTENS ad *Prov. XXXI, 29. p. 521.* Hinc David, dicitur בן חיל *filius strenuitatis* 2 Sam. XVII, 10., hoc est, *fortissimus heros*, cujus *cor* ut *cor leonis*, qui ab hostibus irritatus erat כדוב שכול v. 8. *ursus orbatus*. 2) חיל robur persæpe notat *exercitum* ut 1 Reg. X, 2. Exod. XIV, 28, æque ac δυναμις passim apud auctores Græcos. עשה חיל tum significabit *summo studio exercitus comparare*; עשה enim, ut id obiter addam, propr. notat *tegere*, *operire*, unde per metaphor. *faciendi* notio orta & *elaborandi*, & quidem cum studio, ita ut quis operi incumbat. 3) חיל notat *opes & divitias* Zachar. XIV, 14. Mich. IV, 13.

עשה

עשה חיל ergo valet *comparare & colligere divitias.* Quam accurate hæc omnia impleta fuerint, ſuo loco oſtendam. In voce ישראל ea vis eſt, ut ea ſignificetur hoſce eventus tum futuros, quando univerſa Judæorum natio hac generali appellatione contineretur, quemadmodum ita fuit usque ad Salomonem, & poſt exilium Babylonicum.

§. 18.

Senſus ergo hujus oraculi partis, quæ hactenus nos occupatos tenuit, non amplius, niſi me omnia fallant, eſt in obſcuro. Clariſſime eo prædicitur 1) ex Iſraele aliquando prodituros illuſtriſſimos Heroas, magna fortitudine & potentia præditos, bello & ſecundis præliis præclaros, 2) eos gentes Judæis vicinas ipſisque inimicas, præcipue Moabitas, Idumæos, Ammonitas &c. non tantum devicturos, ſed plane ſubacturos ac dominio Iſraelitarum ſubjecturos, adeo ut deinceps iis ſerviant, ac propriis rebuspublicis abolitis cum iis permiſceantur, idque futurum poſt cruenta prælia. 3) Præcipue Idumæos tam arcte cum Judæis uniendos iisque inſerendos, ut deinceps pro Judæis cenſeantur. 4) Iſraelem tunc temporis fore potentem, divitem, florentem, hoſtibus terribilem. 5) hunc eventum non

cito,

cito, ſed poſt longum temporis intervallum demum futurum, eumque tandem in Moabitarum Ammonitarum & Idumæorum fatum ultimum exiturum: 6) Atque ita gentes haſce Iſraelitis ex Judicio divino pœnas daturas propter tumultus, moleſtias & incurſationes crebras, quibus per omnia fere tempora Jacobi poſteros vexarant, eorumque felicitatem impediverant.

§. 19.

Genuino oraculi ſenſu in lucem protracto, nunc ejus implementum in hiſtoria quæramus. Primus, qui ſe ſe offert, *David* eſt, titulis *Stellæ* & *Sceptri* digniſſimus, fortiſſimus Heros, Princeps illuſtriſſimus, ampla inſtructus potentia, ſuis glorioſus, hoſtibus terribilis, ſplendore virtutum, multis victoriis ſecundisque præliis clariſſimus. Is ſub divinis auſpiciis Iſraelitas a vexatione & crebris incurſationibus *filiorum tumultus* non tantum plene liberavit, & regnum Iſraelis ſtabilivit, verum etiam ditionis terminos egregie ampliavit, ac vicinas gentes ſibi populoque Judaico ita ſubjecit, ut tamquam Servi obedire cogerentur. Præſtitit David potiſſimum quæ hic prædicuntur, cum *Moabitas* & *Idumæos* ſubegit. Prius narratur 2 Sam. VIII, 2. his verbis: *Et percuſſit Moabitas & menſus eſt eos funiculo,*

pro-

procumbere faciens eos in terra, & mensus est duobus funiculis, (uno) ad mortem, & reliquos altero funiculo ad vitam, atque sic facti sunt Moabitæ Davidis servi, ferentes tributum. Quod Bileamus dixerat מחץ פאתי מואב id hic ויך את-מואב Verb. נכה adhibetur tantum de *gravioribus vulneribus* & *plagis*, de *ictibus omnia perscindentibus, quæque coaluerunt, rescindentibus*, lege SCHULTENSIUM ad *Job. p. 32 & 306.* Aptissime ergo hoc verb. exprimit vim τὸ מחץ: Bileamus universalem Moabitarum cladem prædixerat voce פאתי: hic disertis verbis universalis & internecina clades describitur, quando David omnes *Moabitas*, vel eorum viros militares mensus dicitur duobus funiculis, uno ad vitam, altero ad mortem. Ita enim phrases capiendæ sunt, non vero ut vulgo fit, quasi duobus funiculis admensus fuisset ad mortem: nempe ante להמית subintelligendum est אחד, primo dicitur וימדד שני-חבלים & *mensus est duobus funiculis*, dein sequitur אחד להמית *uno ad mortem*, ומלא החבל להחיות: & *plenitudinem funiculi alterius ad vitam.* *Tandem* additur, *Moabitas* inde ab illo tempore fuisse *Davidis servos, tributum ferentes.* Quis itaque dubitat num David percusserit *angulos Moabi*? Ipsum verbum מחץ David has victorias carmine celebrans de se adhibet

Pſ.

Pſ. XVIII, 38. & Pſ. LX, 10. devictis Moabitis & Idumæis inſultans dicit, מואב סיר רחצי *Moab pollubrum meum*, ita vulgo, ſed Doctiſſimus mihique amiciſſimus juvenis H. SYPKENS egregie docuit, verba ſic reddenda eſſe: *Moab eſt ſpina conculcationis meæ.* Orientales enim in Stylo ſublimi hoſtes *Spinas* appellant, quod armis, veluti ſpinis, horreant & pungant. Verb. רחץ propr. valet *conculcare, contundere*, *conculcare ſpinas* eſt *profligare hoſtes*; ſic Moab a Davide dicitur *ſpina conculcationis*, quod populus Moabiticus ab ipſo ſit devictus, ſubactus, omnique nocendi vi privatus. Vide ejus *obſervat. miſcellan. ad ſelecta V. T. loca*, ſummi SCHROEDERI auſpiciis in lucem immiſſas *p. 30. & ſeq.* Metaphoram continuans addit David על-אדום אשליך נעלי *in Idumæam immittebam calceum meum*, ſignificans & hanc veluti ſpinam, immiſſo calceo, a ſe fuiſſe conculcatam. vide *eund. p. 37.* Plauſibilis ſane & ſolida hæc eſt obſervatio; Moabitæ & Idumæi Iſraelitarum reſpectu vere horridæ erant ſpinæ: eas David primus conculcavit. Tandem vix dubium videtur, quin David eo loco ad Bileami vaticinium reſpexerit, maxime cum v. 14. dicat באלהים נעשה-חיל. Quemadmodum Moabitas, ita quoque *Idumæos* domuit 2 Sam. VIII, 14. 1 Chron. XVIII, 12. 13. Imo omnes vicinas & inimicas gentes 2 Sam. VIII, 11.

12.

12. & fecit sibi שם *nomen* nobile & illustre ut v. 13. subegit כל-בני-שת qui sunt iidem, qui בני עולה audiunt 2 Sam. VII, 10.

§. 20.

His rite perpensis, apud veritatis amantes nullum superesse debet dubium de vaticinio nostro per Davidem impleto; nec tamen in solo Davide subsistere possumus: Subactio illa vicinarum gentium durabilis & perpetua non fuit, nec Idumæi tam arcte cum Judæis conjuncti, ut unum eundemque constituerent populum, cum potius ut servi tractarentur. *Moabitæ* post discessionem X tribuum obnoxii manserunt regno Ephraimitico, sed tantum usque ad *Achabi* mortem: ab ejus enim filio *Joramo* defecerunt 2 Reg I, 1. Cap. III, 4. 5. Joram quidem, in societatem adscitis Regibus Judæ & Idumaeæ, Moabitas ad obedientiam cogere tentavit, magna etiam affecit clade, sed tamen voti compos factus non est 2 Reg. III. 27. *Idumæi* quoque defecerunt a Joramo, Josaphati filio, συγχρόνῳ cognominis Jorami Israelitarum regis, ut narratur 2 VIII, 20. 2 Chron. XXI, 8. qui & ipse frustra eos sibi denuo subjicere tentavit. Imo *Moabitæ* deinceps Israelitas incursionibus infestare ausi sunt 2 Reg. XIII, 20. una

cum Ammonitis & Idumæis expeditionem, licet infelicem, ſuſceperunt contra Joſaphatum 2 Chron. XX. ſed feliciorem contra Achaſum 2 Chron. XXVIII. 17. Deinde Idumæos magna quidem clade affecit Amazia. 2 Reg. XIV, 7. 2 Chron. XXV: additur enim, quod סלע *locum munitum*, ita appellatum, bello ceperit, eumque vocaverit יקת אל, quam vocem non ſatis recte intellexiſſe videntur interpretes, eam reddentes *obedientiam Dei*, vel *exſpectationem Dei* ex יקה *obedientia* & אל *Deus*. Mihi compoſita videtur ex יקת, quod idem cum וקת, Arabum وقت *præfinire*, *determinare* tempus aut locum, & אל *Deus*, adeoque יקת אל valet *præfinivit*, *determinavit*, ſeu *terminum poſuit Deus*. Significat Amazia Deum hunc locum tamquam terminum poſuiſſe Judæos inter & Idumæos. Porro cum Nebucadnezar Judæos, regnante Jojakimo rebellantes, ſubigebat, *Moabitæ* quoque eos afflixerunt 2 Reg. XXIV, 2. Poſt exilium Babylonicum priſtinum adhuc obtinuerunt, & præter Syros nullos infeſtiores hoſtes habuerunt Judæi, quam *Idumæos*, *Ammonitas* & *Moabitas*. Hinc Deus per Amoſum cap. I, II. Idumæis maximas denuntiat pœnas, quod *fratres ſuos*, Judæos, *inſectati ſint gladio*, & quod *reſciderint*; quæ vis eſt verbi שחת רחמיו *propinquitates ſuas uterinas*. Voca-

Vocabul. רחמים ibi non significat *misera-tiones*, seu propr. *teneritudines*, sed *propinquitates uterinas*, id est, *cognationes fratrum*, uno utero procreatorum, a sing. רחם *uterus*. Sic apud Arab. رَحِمٌ, *uterus*, & hinc *propinquitas uterina*.

§. 21.

Quod ergo hactenus pleno ac perfecto oraculi nostri implemento deerat, præstiterunt *Maccabæi* Principes, qui hasce inimicas nationes ita prostraverunt, ut in posterum Judæis amplius non fuerint molestæ, quin & assumtis ritibus & religione Judaica, antea exosis, in unam cum iis gentem coaluerint. Ne jam de *Juda* & *Jonathane* eorumque victoriis dicam, JOANNES HYRCANUS vere iis attributis præditus fuit, quæ in *Stella Sceptroque* requiruntur, & perfecte ea heroica facinora præstitit, eas de Moabitis, Idumæis aliisque inimicis nationibus reportavit victorias, quæ hic prædicuntur. Princeps sane fuit vere Ἐπιφανὴς, melius eo nomine dignus, quam impius ille Syrorum tyrannus Antiochus, a nonnullis rectius ob res amenter gestas ἐπιμανὴς dictus, ut *Athenæus* inquit, *Deipnosoph. l. V. p. 193*. Sive enim vox ἐπιφανὴς notet *Illustrem*, talis revera fuit, seu ad *pietatem* respicias, cujus, ut & doctrinæ

 respe-

respectu ecclesiæ Christi ab ORIGENE dicuntur φωςηρες ἐν κοσμῳ *contra Cels. l. 3. p. 128.* seu *virtutes militares*, vere se *faustum* præstitit *Sidus*; sive *præsentem*, eo sensu quo veteres Deos *præsentes* & *conspicuos* appellarunt, quod VALESIUS asserit ad *Eusebii hist. eccles. l. II, Cap. VI, p. 53.* quatenus Deus per ipsum Se quasi conspicuum & præsentem præbuit in gloria sua vindicanda per miraculosa facinora. Solebat Ille, heroico Spiritu divinitus animatus, παραδόξως ἐπιφαίνειν τοῖς πολεμίοις, quæ POLYBII phrasis est l. V, p. 622. Vere quoque שבט *baculus* & *virga* hostium fuit; vere Μακκαβαιος fuit, tamquam a מקב, *malleus* Syrorum aliorumque hostium: *malleos* enim hosce Principes rectissime dixeris. A Syro macedonum tyrrannide ita se liberavit, ut neque ὡς υπήκοος, neque ὡς φίλος ipsis quicquam præstaret. Quantus fuerit ex his JOSEPHI verbis conjicere licet, τριῶν τῶν μεγίςων ἄξιος ὑπο τῦ Θεῦ κριθεὶς, ἀρχῆς τῦ ἔθνυς, καὶ τῆς ἀρχιερατικῆς τιμῆς, καὶ προφητείας, συνῆν γὰρ αὐτῷ τὸ θεῖον καὶ τὴν τῶν μελλόντων πρόγνωσιν παρεῖχεν αὐτῷ τε εἰδέναι, καὶ προλέγειν ὕτως. ὥςε καὶ περι τῶν δυο τῶν πρεσβυτέρων αὐτῦ παίδων, ὅτι μὴ μενοῦσι τῶν πραγμάτων κύριοι, προεῖπεν. *Tribus maximis a Deo dignus judicatus principatu gentis, Pontificali honore & vaticinatione. Familiariter enim cum ipso versabatur Numen, futuro-*

turorumque præcognitionem & prædictionem ei ita præbebat, ut de duobus suis filiis natu majoribus prædixerit, non rerum Dominos mansuros.

§. 22.

Hic jam illustrissimus Princeps, expeditione in Syriam facta, *Medabam* sexto mense non sine multo labore & incommodis cepit, *Idumææ* urbes *Adora* & *Marissam* expugnavit, *subactisque*, JOSEPHI verba sunt, *omnibus Idumæis, permisit in regione sua manere, si pudenda circumcidere, Judæisque legibus uti vellent. Illi vero patriæ suæ amore tum circumcisionem admiserunt, tum vitam in cæteris similiter ac Judæi agere sustinuerunt.* Addit: κἀκεῖνος αὐτοῖς χρόνος ὑπῆρχεν, ὥστε εἶναι τὸ λοιπὸν Ἰουδαίοις: *Atque eo tempore ipsis contigit, ut deinceps Judæi essent.* Quis his lectis dubitaret, num hoc tempore vere & in omni emphasi *Idumæa* facta fuerit ירשה & *Seir* ירשה איבין *possessio hereditaria* & *peculium hostium ejus*, id est, Israelitarum? potestne aliquid clarius requiri? Ullane prophetia est, cujus implementum evidentius in historia demonstrari possit? Idumæa non tantum devicta est a Judæis, non tantum tributum pendere coacta ut a Davide, sed tota Judaicæ reipublicæ inserta, non tantum quod ad regimen, sed & mores, *civiles* non tantum,

 sed

ſed & *religioſos*, adeo ut Idumæi deinceps, nihil quicquam a Judæis differentes, prorſus unum populum, eandem cum ipſis conſtituerint nationem. Eventus ſingularis & paradoxus eſt, quod ipſa illa natio, quæ per omnia tempora internecino in Judæos odio flagraverat, ſemperque moleſta iis fuerat, tandem eo fuerit redacta, ut cum exoſo illo populo prorſus in unam gentem coaleſceret. Quis hic Dei Omni ſcientiam non adorat, qui tot ſeculis ante hoc Idumæorum fatum claris verbis per Bileamum prædixit? quis Sanctitatem & Juſtitiam, qua tandem hoſtes ſui populi profligat? non tantum *Idumæos* ſubegit Hyrcanus, verum et *Moabitas*: urbs enim *Medeba*, cujus mentionem fecimus, in Moabitide ſita eſt, & eo tempore præcipua ejus urbs erat, ut conſtat ex Jeſ. X , 2. ubi leg. Cl. VITRINGA. Alii etiam Judæorum hoſtes ſunt devicti, licet ultimam manum impoſuerit, & quicquid pater reliquerat, perfecerit *Alexander*, ut ſuo videbimus loco. Perſequamur interim reliqua, phraſi עשה חיל comprehenſa. Quam florens & beata hoc tempore Judæorum conditio eſſe cœperit, non opus eſt ut nunc demonſtrem: alibi id jam præſtiti. Quanta excelluerint fortitudine ſub ducibus Maccabæis, omnibus quoque notum. *Divitiæ* quoque fuerunt longe maxi-

maximæ. Singulare eſt, quod narrat JOSEPHUS, *Hyrcanum aperto ſepulchro Davidis, qui divitiis reges omnes anteibat, tria millia talentorum argenti inde extuliſſe.* Alibi dicit eum ἄπειρόν τι πλῆθος χρημάτων collegiſſe, (a) hinc maximos etiam aluit exercitus, idque in *Joanne* noſtro ſingulare: ὅτι πρῶτος Ιουδαίων ξενοτροφεῖν ἤρξατο, *quod Judæorum primus externum militem alere cœpit*, quod inſtitutum filius ejus Alexander ſecutus eſt. Id quod Romanos tempore ſecundi belli Punici primum feciſſe auctor eſt LIVIUS *l. XXIV, cap. 49.* quod caput his verbis claudit. *Id modo ejus anni in Hiſpania ad memoriam inſigne eſt, quod mercenarium militem in caſtris neminem ante, quam tum Celtiberos, Romani habuerunt.* (b) Apud alias nationes ſero ea invaluit conſuetudo, ita apud Græcos ut vel ex hoc Comici joco conjicias.

(a) Sub Alexandri uxore, Alexandra, Judæorum gens adhuc erat valida & τὴν δύναμιν, καί τὰ ἐν τοῖς γαζοφυλακίοις χρήματα habebat JOSEPHUS *A. l. XIII, C. XVI*, imo illa mulier tantos alebat exercitus, ut finitimis tyrannis terrori eſſet, ibid.

(b) Carthaginenſibus id vitio vertit *Scipio* apud LIVIUM *l. XXVIII, c. XLIV*, Athenienſes variis in locis a *Demoſthene* traducuntur tamquam ignavi & timidi, quod primi exerci-

τό δ' ἐν Κορίνθῳ ξενικὸν οὐχ οὗτος τρέφει;

v. ARISTOPHANES *Plut. v. 173.* conf. HARPOCRATION in *voce* ξενικον. Mortalium vetuſtiſſimi in omnibus, quod de opere ruſtico dicit PALÆPHATUS de *incredib. p. 16.* erant αὐτουργοὶ, & nullos habebant milites, ipſi πανδημεὶ in hoſtes ibant, dein ex ſuis nonnullos ad militiam ſeligere, majorem minoremque numerum pro ratione belli gerendi, tandem invaleſcente luxu peregrinos milites alere cœperunt. *Maccabæi* locupletes ſui temporis Regum conſuetudinem in eo imitati ſunt, ut eo magis hoſtibus eſſent terribiles. Cæterum, quæ hactenus de Joanne Hyrcano narravi, petita ſunt ex JOSEPHI *Antiq. Jud. l. XIII, Cap. VIII, IX & X.*

§. 23.

Pergamus nunc ad alteram vaticinii partem v. 19. his verbis comprehenſam,

Tum

ercitum conductum & peregrinum haberent, ſic v. gr. *orat. I, contra Philipp.* §. *VIII*, ubi legenda TOURELLI nota, qui ipſos Philoſophos olim militiam frequentaſſe obſervat. §. IX, *Demoſthenes* meminit iſtius exercitus peregrini Corinthi, cujus mentio eſt apud ARISTOPHANEM, ſed fortius præclarus orator pro libertate loquebatur quam pugnabat; ipſe enim ᾤχετο τὴν τάξιν ἀποδρὰς αἴσχιστα PLUTARCHUS *in ejus vita p.* 855.

Tum dominabitur aliquis *ex Jacobo*, *qui perdet reliquum ex urbe*, vel *ex Seir*. Prouti in præcedentibus illustrissimi Principes, David & Joannes Hyrcanus, splendidissimis elogiis ornati, eorumque victoriæ de inimicis populis, Moabitis præcipue & Idumæis, sunt delineatæ; ita nunc sistitur *Dominator aliquis ex Jacobo*, qui quicquid hostium superfuerat, reliquias a prioribus relictas, perderet. Is ex mea sententia est ALEXANDER JANNÆUS, tam clare hic descriptus, ut mirum sit, neminem eum hic deprehendisse. Degener autem iste optimi parentis filius non describitur tamquam *illustre Sidus*, non ut *Rex æquus & Justus*, sed tamquam *Dominator immitis*, qui verus hujus Principis Character est, tam respectu ipsorum Judæorum, quin & propriæ domus, quam hostium, qui reliquos hostes a patre relictos subigeret. Inspiciamus verba textus, וירד מיעקב, (Verb. per apocopen scriptum est pro וירדה, *tum dominabitur* aliquis *ex Jacobo*, isque a prioribus diversus; nam quæ ei tribuuntur plane diversa sunt ab iis, quæ priores illi Heroes præstarent, ut mox videbimus. Verbum רדה non satis intellexisse videntur Interpretes, id non de quolibet imperio, sed tantum de *dominio duro crudeli* ac *immiti* adhibetur: ea vis est in Arab. رده, unde رده *durus. immotus*, est au-

tem ejusdem cognationis & originis cum رنأ & رني, quæ tria verba maxime in deteriorem partem accipiuntur de vi & pernicie aliis illata, & si *auxilium* notant, semper tale innuitur auxilium sociis latum, quod cum hostium cæde & strage conjunctum est, Origo sita videtur in *calcando*, *conculcando*, (a) inde *aliquem conculcare*, id est, *opprimere*, inde idea immitis Domini suos cives conculcantis. In S. Scriptura verb, רדה ubique etiam hanc vim exserit. Levit. XXVI, 17. ורדו בכם שנאיכם *& imperium immite in vos exercebunt osores vestri.* Deus ibi comminatur Israelitis, quod, si leges Suas negligerent, tum alia experirentur mala, tum ab hostibus *gravioribus plagis percuterentur*; quæ vis est verbi נגף, vide SCHULTENS ad *Proverb. p. 22.*, ita ut cogerentur victi colla duro hostilis imperii jugo subdere, conf. Ezech. XXIX, 15. Jes. XIV, 6. De ipsius Messiæ imperio quoque adhibitum reperies Ps. CX, 2., sed inter hostes exercendo, his verbis: רדה בקרב איביך *dominare in medio hostium tuorum*, hostes & rebelles vi subjiceret, in

(a) Genuinam hanc verbi רדה vim erudite demonstravit Cl. SCHROEDER *de vest. mul. Hebr. p*, 378. quocum conferri potest LETTE ad *Cant. Deboræ p*, 73. & in *noviss. ejus illustrat. p.* 67.

in contumaces iram ac indignationem Suam effunderet Pſ. II, 9. nam populus ejus eſſet עם נדבת *populus ſpontaneus*, ex libero animi motu & generoſa indole ei obediens. Hoc verbo etiam exprimitur imperium, quod Deus hominibus in bruta animantia conceſſit Gen. I, 28., quod, etſi crudele eſſe non debet, tamen ita recte dici poterat comparatione facta cum dominio inter homines: eſt enim imperium continens jus vitæ & necis, nec ullum animantium uſum excludens. Ut plura excitemus loca opus non eſt. Et ſi jam titulus רדה *Dominatoris* ſano ſenſu *Davidi*, *Hyrcano* quin & ipſi Meſſiæ tribui poteſt, tamen nullus character horum Principum in eo eſt, imo iis dari non poteſt, niſi diſerte ad hoſtes reſtringatur. Si quis v. gr. optimum aliquem Principem titulo *duri Dominatoris* abſolute inſigniret, propterea quod hoſtes inclementius tractaſſet, utique maxima eum afficeret injuria. Altercari non lubet, veritas ſua ſe commendat luce: cum ſeries orationis, tum attributa hujus Principis certiſſime nos ad *Alexandrum Jannæum* ducunt. Is vere *Dominus* erat eo ſenſu, quo Romanis illud exoſum erat, & ab Auguſto propterea prudenter rejectum, narrante SUETONIO in *ejus vita*. Durus ac immitis, imo immanis crudelitatis erat Alexander non tantum in ho-

hostes, sed & in suos. In festo tabernaculorum *sex millia Judaeorum interfecit*, sex annos cum propria gente bellavit & ipsorum Judaeorum οὐκ ἔλαττον πέντε μυριάδας *non minus* quam *quinquaginta millia occidit.* JOSEPHUS *Antiq. l. XIII, Cap. XIII, §. 5.* Quare etiam cum tandem rogaret, quid facto opus esset, πάντες ἐβόησαν ἀποθανεῖν αὐτον, *omnes clamarunt ut ipse moreretur* ibid. Aliud immanis saevitiae exemplum exhibet JOSEPHUS *Ant. l. XIII, Cap. XIV, §. 1.* his verbis: *is vero*, sc. Alexander, *cum eorum*, Judaeorum, *potentissimos in urbem Bethomam compulisset, eam oppugnat: capta urbe & iis potitus, Hierosoluma eos adducit, atque facinus patravit omnium immanissimum. Nam dum epularetur in conspicuo loco cum suis concubinis, imperat eorum circiter octingentos in crucem tolli: eisque adhuc viventibus eorum liberos & uxores in ipsorum conspectu jugulat.* Aliud rursus exemplum vide C. XIII, §. 3. Quis ergo miretur eum a Judaeis διὰ τὴν τῆς ὠμότητος ὑπερβολὴν Θρακίδαν, *Thracidam* cognominatum fuisse? Vides ergo notam characteristicam imperii hujus Alexandri rectissime exprimi verbo רדה! His jam de causis dignus non erat degener aequissimi Principis filius, qui sub splendidissimis *Stellae Sceptrique* titulis comprehenderetur, atque una cum optimis Principibus Davide & Hyrcano in scenam

nam produceretur: nec tamen prorſus omitti poterat, cum ipſe, parentis victorias perſecutus, hoſtes, hoc oraculo commemoratos, plene ſubegerit, & ea ceperit munimenta, quæ pater relinquere debuerat; præterea Judæorum imperium maximopere auxerit firmaveritque. Cæterum *ſeptuag. Interpretes* alia puncta verbo וירד ſubſtituiſſe videntur, vertentes illud ἐξεγερθήσεται, quemadmodum etiam Chald. paraphr. quæ habet, *deſcendet*. Thema tunc erit ירד *deſcendit*, quod verb. ſpec. adhibetur de *bellatore* in prælia deſcendente, SCHULTENS *orig. l. I, C. 7. §. 28.* ita. Sam. XXIX, 4. Jeſ. XXXIV, 5. Senſus ſic bene ſe haberet, *tum* aliquis *ex Jacobo expeditionem ſuſcipiet militarem*, quod recte quoque in Alexandrum quadraret: ſed lectionem vulgatam, utpote magis emphaticam & accuratam, hic omnino retinendam, & quo dixi modo explicandam cenſuerim. Supplevi in verſione vocem *aliquis*, cum orationis ſubjectum non diſerte ſit expreſſum. Iſraelem proxime præcedentem nemo facile ſuppeverit; ſic foret: *Iſrael dominabitur ex Jacobo*, quod memoraſſe, eſt refutaſſe, quilibet videt id nullo poſſe tolerari modo. Alii *Edom*, & de rege *Herode Idumæo* cogitant; hoc orationis ſeriei eſt adverſum: ſic incerta foret Prophetæ oratio; præterea Herodi nullus

lus in hoc vaticinio locus eſſe poteſt, nam omnino requiritur, ut hic dominator ex *Jacobo ortus ſit*, æque ut antea, *procedet Stella ex Jacobo*, dein, cum modo Idumæorum plenaria ſubjectio promiſſa ſit Iſraeli, incommode nunc Herodes *Idumæus* tamquam Judæorum dominus introduceretur: id etiam adverſum eſt vaticinii ſcopo, qui eſt felicitatem Iſraelitarum efferre: tandem nullo tolerabili ſenſu Herodes dici poteſt *perdidiſſe reliquos ex urbe*. De iisdem hic cogitare, qui tamquam *Stella* & *Sceptrum* deſcripti erant v. 17., multo quidem foret tolerabilius, ſed ob attributorum diverſitatem tamen, omnino hunc ab illis diverſum ſtatuo; priores Moabitas & Idumæos plane ſubigerent, præſtitit id David & luculentius Hyrcanus, hic *reliquias perderet*, qui character, prælucente hiſtoriæ face, nos certiſſime ad *Alexandrum Jannæum* ducit: ne jam repetam, quæ de verbo רדה dixi.

§. 24.

Quidnam jam præſtaret hic Dominator והאביד, inquit vates, שריד מעיר. Thema אבד propr. valet *ſecari*, *reſecari*, quæ poteſtas eſt in Arab. وَبَدَ eodem cum ابد & بَدَّ *disgregari*, *ſeparari*; pr. אבד de *arbore exciſa* adhibetur, inde æque ac Latin. *exſcindere* ſumitur pro *totali ruina*, ſeu *interne-*

eina

cina clade delere; ita passim in S. S. occurrit, quare moras non necto, nec etiam reliquos verbi usus, a summo SCHULTENSIO ex hoc fonte derivatos, persequor. Tantum observo verb. אבד cum מן constructum sæpe idem esse ac *fugare*, sic gentem אבד מארצו valet eam ita e terra sua fugare ut deleatur: de hoc usu legatur Cl. J. W. SCHROEDER ad Ps. X, p. 317. hinc אבדים sunt *exules* Jes. XXVII, 13. Vocabul. שריד descendit th. שרד Arab. شرد, quod propr. valet *perforando consuere*, ut recte observavit Doctiss. juvenis G. R. NANNINGA in *diss. phil. ad quaed. V. T. loca* sub Cl. SCHROEDERI auspiciis *Groningæ* edita *p. 33.*; hinc שריד videtur notare *assumentum*, *partem assutam*, & inde in genere partem, quæ ad totum pertinet & de eo reliqua est. Saltem, quicquid etiam de hac originatione sit, de qua contendere nolim, id certum est שריד in usu significare *superstitem*, *reliquum* Num. XXI, 35. Jes. I, 9. Jerem. XLIV, 14. &c. eum qui cladem & ruinam evadit; quod hic mihi sufficit. (a) Additur מעיר *ex urbe*, integra phrasis האביד שריד מעיר significat *superstites*, *reliquos exscindere*, *delere*, aut *fugare ex urbe*. Romani dicerent *belli reliquias*

(a) שריד passim notat eum qui ex communi clade elapsus est SCHULT. *ad Job. p. 527.* ita & apud Arab. LETTE in *noviss. Cantici Deborae illustr. p. 67.*

as delere, quæ LIVII *phraſis eſt*, *debellare*. שריד *reliquos* cum memoret vates, ſponte intelligitur eos ita dici cum reſpectu ad cladem modo memoratam; deſcripſerat totalem cladem Moabitarum & Idumæorum, nunc addit, poſt illam cladem aliquem Iſraelitarum Principem deleturum reliquos. Quilibet intelligit eum loqui de iis qui ex iſtis hoſtibus invicti adhuc ſupererunt. Additur מעיר *ex urbe*, עיר hic collective ſumendum eſt pro *urbibus*, in quo nihil difficile; *Hyrcanus* nempe, etſi Idumæos, Moabitas aliosque hoſtes devicerat, tamen multæ adhuc urbes munitæ illarum nationum reſtabant, quæ hactenus ipſi obedientiam negabant; has vi cepit Alexander, & ſic reſiduos ex urbibus delevit, vel eos ejiciendo & fugando, vel ad obedientiam cogendo impoſitis etiam præſidiis militaribus. Forte unam etiam præ reliquis inſignem urbem demonſtrare voluit Vates, de quo nihil certi affirmaverim. Res in genere ſatis ex hiſtoria conſtat. Sic JOSEPHUS de Alexandro *Antiq. l. XIII*, *Cap. XIII*, *p.* 672. καταςρεψάμενος δὲ τῶν Α᾽ράϐων Μωαϐίτας καὶ Γαλααδίτας εἰς φόρυ απαγωγὴν, κατερ᾽ρ᾽ιπε καὶ Αμαθῦντα &c. *Cum Moabitas & Galaaditas*, *qui Arabes ſunt*, *ſubegiſſet*, *ut inde tributum exigeret*, *demolitus eſt etiam Amathunta*: & ejusdem libri *Cap. XV*, *§. 4.* catalogum exhibet urbium Syris Idumæis, Phœnicibus & Mo-

Moabitis ademtarum tam per Hyrcanum quam Alexandrum. *In mediterraneis ad Idumæam Adora, Mariſſam, Samariam, montem Carmelum, & montem Itabyrium, Schytopolim, Gadara, Gaulonitidem, Seleuciam, Gabala. Moabitidas* etiam tenebant Judæi *Eſſebonem, Medaba, Lemba, Oronas, Telithonem, Zara, Cilicum vallem, & Pellam.* Ex ultima expeditione, in qua triennium conſumſerat, domum reverſus, antea tantopere exoſus, magno cum gaudio exceptus eſt διὰ τὴν εὐπραγίαν, *ob res feliciter geſtas* ibid. §. 3. Cum dictis quæſo nunc compara, quæ reliqui Inte pretes *de deletione reliquiarum ex civitate conjecerunt.* Sunt qui ſub voce עיר omnes omnino civitates comprehendunt, per Dominatorem hunc Meſſiam intelligentes, qui hic dicitur *omnes de civitatibus perditurus,* quod *omnes ex infidelibus fideles fierent*; alii cogitant de urbe *Roma* gentili, per Meſſiam devincenda: quæ æque facile negantur quam affirmantur, cum nulla probabili ratione nitantur: vera ſententia prolata & demonſtrata reliquæ ſponte corruunt, quare tempore non abutar. Multo rectius alii de Idumææ civitatibus a Davide ſubactis cogitarunt. Cl. MIEGIUS per *urbem* hic intelligit *Hieroſolumam,* Judææ metropolim, κατ᾽ἐξοχὴν ita dictam, vel potius ipſam, *Judæorum rempu-*

blicam: per *reſiduum ex urbe*, id quod priſcæ poteſtatis & auctoritatis in ea ſuperfuit tempore Meſſiæ: *perdere reſiduum ex urbe* ipſi eſt quantulascumque reliquias illas pe-tus abolere, everſa totaliter Judæorum republica, quod recte putat vel ad Herodem vel ad Chriſtum transferri. Sed gratis aſſumta hypotheſis virum eruditum fefellit; non hic de Judæis eorumque clade ſed Idumæis ac Moabitis agitur: nullus hic Meſſiæ, nullus Herodi locus: nihil in toto oraculo obvium, quod vel leviſſimam occaſionem de Hieroſoluma cogitandi præbet, tamquam delenda; contra Hieroſolumam hic comtemplamur Imperatricem, ac reliquarum gentium ac urbium dominam: qua dixi ratione phraſis האביד שריד מעיר recte explicatur. Si quem tamen illud מעיר ita abſolute poſitum paululum offendat, is cogitet unam forſan ex hac voce litteram per librariorum errorem eſſe omiſſam, & מעיר poſitam pro משעיר *ex Seir*, ut v. 18. quemadmodum Num. XX, 16. quoque pro שעיר occurrit עיר, quæ capitalis Cl. VENEMÆ emendatio eſt, in critica etiam, quod in noſtræ ætatis Theologis rariſſimum, feliciſſimi, vide *Comment. ad Malach. p. 56.*

§. 25.

Ita oraculi ſenſu illuſtrato & ex implemento confirmato, id unum de *Alexandro*

dro noſtro adhuc quærere lubet, quid ipſum & patrem *Hyrcanum* moverit ad religionem Judaicam propagandam? cur Moabitas & Idumæos religionem ritusque Judaicos recipere coëgerint, cum de Davide nihil ſimile occurrat? Occaſionem huic inſtituto dederat *Antiochus Epiphanes*, vi & armis Judæos a patria religione ad Græcanicam perducere conatus, rationibus ductus Politicis, ut facilius cum Syris in unam gentem coaleſcerent. Hoc exemplo edocti *Maccabæi* devictarum gentium poſſeſſionem religionis communione ſibi firmam facere ſtuduerunt. Interim facile credo, *Joannem Hyrcanum*, virum pium, non tam hac prudentia civili, quam quidem religionis zelo motum, tanto ſtudio religionis propagationi incubuiſſe, ſtimulum forte addentibus Phariſæis; ſed Alexandrum nullius fere religionis hominem, (uti & Ariſtobulum (a)) ut parentis inſtitutum ſequeretur nihil movit aliud, quam modo memorata ratio Politica. Ab hac enim prudentia hunc, acris ſane ingenii virum, minime fuiſſe deſtitutum, vel clariſſime apparet ex callidiſſimo, quod moribundus uxori dedit, conſilio,

 quo

(a) Qui Ituriam debellavit, ejusque incolas etiam ad circumciſionem & obſervationem legum Judaicarum coegit. JOSEPHUS *Antiq. l. XIII, C. XI,* §. 3.

quo ipſi auctor erat, ut ſe in Phariſæorum, qui ſub religionis larva latentes apud plebem immenſum quantum valebant, inſinuaret gratiam, ut JOSEPHUS refert *Antiq. l. XIII, Cap. XV, p. 675.* Qua arte utinam multorum Principum mentes ſemper non fuiſſent imbutæ & faſcinatæ Veriſſime dicit POLYBIUS in *excerpt. de virt. & vitiis p. 1383.* ἀναγκαζόμενοι ταῖς τῶν πραγμάτων μεταβολαῖς συμμετατίθεσθαι, τὴν ἐναντίαν τῇ φύσει πολλάκις ἐμφαίνουσιν διάθεσιν ἔνιοι τῶν δυνατῶν πρὸς τοὺς ἐκτός, ὥστε μὴ οἷον ἐλέγχεσθαι τάς φύσεις διά τούτων, τὸ δ' ἐναντίον ἐπισκοτεῖσθαι μᾶλλον. *Plerique Principes pro inclinationibus ac mutationibus temporum flectere ſe ac convertere coacti, ſæpe numero longe diverſum ab ingenio ſuo inſtitutum foris oſtendunt: quare tantum abeſt, ut hujusmodi factis eorum animus prodatur, quin potius abſconditur.* (a) Ita tum fecit Alexander, qui, licet capitalis Phariſæorum hoſtis, tamen eorum amicitiam, tamquam regni firmamentum, uxori commendavit. Etſi autem magna in Principibus virtus eſt τῷ καιρῷ δουλεύειν ac *ſubditorum ingeniis ſe accommodare*, tamen quantus ſæpe ſit ejus regulæ

(a) Optime noverat Aratus, vir prudentiſſimus, τοὺς βασιλεῖς φύσει μὲν οὐδένα νομίζοντας οὔτε ἐχθρὸν, οὔτε φίλον, ταῖς δὲ τοῦ συμφέροντος ψήφοις ἀεὶ μετροῦντας τὰς ἔχθρας καὶ φιλίας. POLYBIUS *l. 2, p. 186.*

gulæ abuſus omnes norunt Sed quærat quis, utrum talis propagandæ veræ religionis ratio, qualem ſecuti ſunt Maccabæi, a Principe bono animo & zelo inſtituta, uti verbi gr. a *Carolo Magno* ſec. 8. *Saxones* & *Hungari* ad Chriſtiana ſacra recipienda ſunt compulſi, utrum illa, inquam, licita ſit, & Joannis Hyrcani exemplo etiam defendi poſſit? Reſpondeo candide, ut hominem ingenuum decet, multum intereſſe *perſecutionem* inter *Epiphanicam* & *Maccabæorum* inſtitutum. *Antiochus* ferro, igne & ſumma vi Judæos cogere tentabat, *Maccabæi* contra devictis nationibus optionem dabant, utrum mallent regiones patrias deſerere, an vero religionem mutare. Si bellum hiſce populis illatum fuit juſtum, quemadmodum juſtiſſimum fuit, quis neget victori integrum fuiſſe hanc aut ſimilem devictis præſcribere conditionem? Forte vetus rigidior Oeconomia hic etiam aliquid permittebat. In ſe tamen omnis vis & coactio in religione illicita eſt, homines tantum facit hypocritas: judicium enim noſtrum nullo modo cogi poteſt. Præterea, cum religio peculiaris ſit uniuscujusque hominis ad Deum relatio, nulli mortali in eam jus eſt, modo quiete ſine factione nec læſa ullo modo obedientia legitimis magiſtratibus aut officiis civibus debitis exerceatur: modo con-

tra ſummi imperantis juſſum tumultuoſe non diſſeminetur. Non magis verum Dei cultum quam falſum violenter propagare licet: ea enim exceptione ſemel admiſſa, nullus perſecutionum finis erit, quum quisque ſibi veritatem tribuit. A Chriſtianis ullo prætextu perſecutiones in re religionis palliari ſummum maximeque deteſtandum nefas eſt, cum ipſe Chriſtus Dominus ejusque Apoſtoli ſe ſtrenue iis oppoſuerint, expreſſis verbis omnem vim prohibuerint: cum Spirituali ac rationali hujus religionis genio prorſus adverſæ ſint. Sic ſuo exemplo horrendas martyrum pœnas probant Ecquid enim mali fecerunt Romanorum Imperatores, cum Chriſtianos, publicam tunc religionem deſerentes, adhibita vi ad eam denuo compellere tentaverint, ſi in immorigeros exemplum ſtatuerint, ſi ipſi illi Chriſtiani, nunc rerum Domini, ſimile quid aut prorſus idem moliantur, imo quod multo pejus eſt? *Romani* enim Chriſtianos tantum, religionem a publica & Gentili toto cœlo differentem & ad ejus ruinam tendentem exercentes, in ipſo ortu violenter opprimere aggrediebantur: *Chriſtiani* vero in ejusdem religionis ſocios, ſed in nonnullis dogmatibus aut ritibus a ſe diſſentientes, in propria ſua ſæviunt viſcera; *Romani* in Chriſtianos, qui immanium criminum, etſi falſo, poſtu-

ſtulabantur: *Chriſtiani* in ſuos fratres, qui in conſcientia ad nonnulla dogmata aut ritus privos ſe obligatos ſentiunt, in vita innocuos, quin excellenti virtute conſpicuos, animadvertunt ſevere. Rectiſſime ergo *Proteſtantes* qui dicuntur, ſe ab omni vi in re religionis alienos profitentur; nam ſi vel maxime ab uno alteroque hic peccatum fuiſſet, peſſime tamen inſtituunt, qui id toto cætui imputant. Et utinam Dominus omnibus Spiritum mitem, lenem & vere pium inſpiraret! utinam omnes Chriſtiani, quas contraxere, maculas tandem eluerent! utinam a Phariſaico fermento purgati ad priſcam religionis ſimplicitatem & ſinceritatem redirent! ſed hæc hactenus. Ad *Maccabæos* redeo, etſi ille religionis propagandi modus, eo quidem tempore magis excuſandus, minime probandus eſt; Deus tamen mirifica Sua Providentia rem ita direxit, ut ita Suæ religionis gloriæ conſuleret. Nihil enim religioni Judaicæ glorioſius fere excogitari poteſt, quam quod illæ gentes, quæ vatiniano odio eam ſemper perſecutæ fuerant, nunc eo eſſent redactæ, ut ipſam illam religionem amplecterentur. Erat praterea in hac converſione præludium quaſi & præparatio converſionis omnium gentium, ſublato diſcrimine, per Evangelium.

§. 26.

Sic verum & genuinum oraculi Bileamitici ſenſum, ut equidem opinor. protraxi in lucem, ejusque implementum ex hiſtoria demonſtravi: nunc eundem per ſimilia vaticinia, poſt multa intermedia ſecula eosdem eventus ſub *Maccabæis* canentia, magis confirmare ac corroborare mihi animus eſt. Primus prodeat ZEPHANIA, qui *cap. II, 8. & ſeq.* Dei verbis atrocia Moabitarum & Ammonitarum crimina contra Judæos commiſſa atro notat carbone, & terribilem iis plenariæ vaſtationis & ruinæ denunciat pœnam, tandem in fine v. 9. addit שארית עמי יבזום ויתר גוי ינחלום *reliquiæ populi mei diripient eos & reliquum gentis meæ poſſidebunt eos.* Reliquiæ populi mei, inquit Deus: *populus Dei* certe ſunt Iſraelitæ, *reliquiæ ejus populi* ſunt Judæi ex exilio Babylonico in patriam reduces, vide v. 7, illi jam *diriperent Moabitas.* Verb. בזז propr. *humi traxit*, dein *deripuit*, cui Gr. Συλᾶν perfecte reſpondet, notat *contumelioſe tractare*, & *opibus ſpoliare*, conf. VENEMA ad *Dan. XI, p.* 233. Qui jam id fecerunt? nulli alii Judæorum, quam qui ſub Principibus Maccabæis floruerunt. Gentes illas variis præliis profligarunt, contumelioſe tractarunt ac ſpoliarunt *Judas* & *Ionathan*

nathan, vid. JOSEPHUS *Antiq. jud. l. XII, Cap. VIII.* Sed ſequitur majus promiſſum, יתר גוי *reliquum gentis meæ*, iidem qui modo dicti erant שארית עמי, *poſſidebunt eos*, Hebr. ינחלום *cernent eos ſibi hereditatem perpetuam, proprium peculium*, quæ vis eſt verbi נחל. Hoc præſtiterunt *Joannes Hyrcanus* & *Alexander*, ut ex ſuperioribus liquet. Attende nunc convenientiam, quod *Bileam* verbo ירש, id *Zephania* verbo נחל exprimit, *Bileam* quidem directe de Idumæis, ſed una comprehendens Moabitas & Ammonitas, qui populi tempore Maccabæorum inter ſe fuerunt permixti. Deinde v. 11. ſic pergit Propheta: *formidabilis Jehova contra illos*, nempe Moabitas & Ammonitas, *ſane tabefaciet omnia numina iſtius terræ; tum incurvabunt ſe Ipſi quisque ex loco ſuo, omnes oræ illarum gentium.* Hic clare prædicitur illos numinibus falſis rejectis, propria & gentili religione deſerta, amplexuros veri Dei cultum ſeque Ei incurvaturos, id quod ſupra ſub Maccabæis factum fuiſſe vidimus. Eleganter Deus dicitur *tabefacturus* numina iſtius terræ, id eſt, *ſenſim* & quaſi *tabe aboliturus*. Ultima verba ſunt כל איי הגוים *omnes oræ illarum gentium.* Vocem אי, quæ vulgo *inſulam* notat, reddo *oram*, propr. eſt *flexus* a th. אוי *flectere.* Hinc ſignificat *oram extremam* regionis,

quæ undique circa eam cum flexu circumducitur, conf. Cl. VENEMA ad *Dan. XI, p. 135.* Sæpe quidem notat spec. *oram* regionis *maritimam*, & hinc tandem *insulam*, sed & sæpe accipitur de *ora* & limitibus terræ continentis Jes. XX, 6. XLI. 5. In hoc loco איי sunt extremi limites terræ Moabitarum, qui per synecdochen sumuntur pro universa eorum regione, æque ut כל גבול, *regio* vero per Metonumiam pro *incolis*. Cæterum quod hic איי, id Bileamo פאתי. Singulare est in *Jonathane*, quod Dagonis templum una cum hominibus, qui eo confugerant, *Azoti* incendio delevit, & quod JOSEPHUS eum multis onustum spoliis Hierosolumam fuisse reversum his verbis scribit. Α'νέστρεψεν ἐκεῖθεν εἰς Ἱεροσόλυμα, πολλὴν ἐπαγόμενος λείαν, ἣν ελασεν ἐκεῖθεν νικήσας τοὺς πολεμίους. Sed hæc ad Philistæos pertinent, de quibus *Zephanja hujus cap.*, *v. 4. & seq.*

§. 27.

Nunc AMOSI de *Idumæis* prædictionem expendamus, quæ habetur cap. IX, 12. Nempe postquam v. 8. destructionem & ruinam *regni peccantis*, id est Ephraimi & Judæ, v. 9. dispersionem & afflictionem per Assyrios & Babylonios tamquam causas ejus efficientes memorasset, v. 10. osten-

dis-

diſſet hanc procellam maxime in impios ac profanos incubituram, v. 11. aliam aperit ſcenam, & promittit Deum poſt exilium Babylonicum res Judæorum collapſas ita inſtauraturum, ut ad priſtinam ſub Davide felicitatem redirent, his verbis: ביום ההוא אקים את־סכת דויד הנפלת *illo die erigam tentorium Davidis collapſum. Tentorium Davidis* eſt *regnum Davidis*, non quod Davidis poſteri rurſus in throno collocarentur, ſed id ipſum regnum, quod olim Davidis fuerat, quod illo regnante glorioſum ac feliciſſimum erat, nunc vero *collapſum*, tenue & afflictum, Deus illo tempore denuo erigeret ac confirmaret, inque eo fere ſtatu collocaret, quo fuerat regnante Davide. Phraſis *illo die* non exprimit Periodum exilium ſtatim ſequentem, ſed tempus in genere poſt captivitatem Babylonicam, quo latiore ſenſu ſæpe apud Prophetas obvium eſt. Additur וגדרתי את פרציהן והרסתיו אקים ובניתיה כימי עולם *& obſepiam rupturas eorum, & partes deſtructas ejus inſtaurabo, & ædificabo illud ſicut diebus priſtinis.* Quæ nunc ſponte inintelliguntur & in hunc ſenſum exeunt, Deum populum Judaicum ex ſtatu vili & afflicto non tantum liberaturum, ſed & felicitate, rerum omnium copia, plena libertate, quin & gloria, ac magna potentia ita ornaturum & mactaturum, ut eorum condi-

tio

tio eam ſub Davide fere æquaret: quemadmodum ſub Maccabæis factum fuiſſe novimus, etſi pleniſſimum implementum per Meſſiam præſtandum non excludo. Jam ſequitur promiſſio de Idumæis tunc ſubjugandis v. 12. his verbis: למען יירשו את-שארית אדום *adeo ut hereditaturi ſunt reliquias Edomi.* למען propr. valet *ad reſponſum*, ſæpeque notat finem propter quem aliquid fit, ſed hoc loco rectius redditur *adeo ut*, ita ut non *finis* indicetur, propter quem Davidis tentorium erigendum erat, ſed *eventus* atque effectus hujus erectionis, ita ſumitur *Obadj.* v. 9. Verb. ירש antea jam ſatis expoſuimus. Propheta memorat שארית *reliquias Edomi*, ut ſignificaret Idumæos multis cladibus bellicis ita eſſe debilitandos, ut ipſorum tandem non niſi tenues reliquiæ, ſupereſſent. Jam vide mihi quæſo convenientiam *Bileamum* inter & *Amoſum. Is* dixerat, *tum erit Edom* ירשה & erit Seir *hoſtium ejus*, nempe *Iſraëlis*, *Hic* יירשו *reliquias Edomi*, uterque uno eodemque verbo utitur ad rem eandem denotandam. Nec tantum Idumæos bello ſubigerent, ſed & כל-הגוים *omnes gentes illas* vicinas & inimicas, quas Bileam ſub uno generali nomine *filiorum tumultus* complexus fuerat. Sequitur אשר נקרא שמי עליהם *ſuper quibus nuncupabitur nomen meum.* Super gentes nuncupatur

patur nomen Dei, quando de Deo cognominantur, ita ut gentes Dei appellentur, Deique imperio ſint ſubjectæ. Qua phraſi non tantum ſignificatur, eas in Judæorum, inter quos Deus ſingulari modo imperium tenebat, ditionem redactum iri, ſed multo potius illas veram religionem, cultum veri Dei, aſſumturas, quemadmodum Idumæi & alii populi tempore Maccab. fecerunt. Senſus ſublimior in converſione gentium ad Evangelium ſitus cum litterali rurſus apte conjungitur. Sed OBADJAM audiamus, teſtem omni exceptione majorem, v 17. dicit: וירשו בית יעקב מורשיהם, *& hereditabunt domus Jacobi loca ſua hereditaria.* Ferri poteſt illa verſio, nec tamen genuinam mentem ſatis exprimere videtur, Malim ita: *ſubigent ſubactores ſuos*, vel *poſſidebunt eos, qui ipſos ex poſſeſſione violenter expulerunt*; quam vim verb. ירש ſæpe habere ſupra notavi. מורשיהם mihi eſt *particip.* in *Hiphil* conf. *Jerem.* XLIX, 2. Sic ſentis maximum acumen in dictione Prophetæ, qui v. 15. Edomo dixerat: *quemadmodum feciſti, fiet tibi confotum tuum*, illud malum, quod tu aliis confoviſti, & cumulate in eos congeſſiſti, *redibit in caput tuum.* Hinc mox v. 18. domum Jacobi comparat cum *igne*, Joſephi cum *flamma*,

ma, & Esavi cum *Stipula*, quæ ab illo igne & flamma ita combureretur, ut non amplius esset שריד לבית עשו, *residuus domo Esavi*: quod eodem fere modo dixerat Bileam: והאביד שריד מעיר, maxime si legamus משעיר, *perdet residuum ex Seir.* Deinde rursus v. 19. וירשו הנגב את־הר עשו *tamquam proprium peculium obtinebunt regionem australem, montem Esavi* & reliqua, quæ ibi memorantur, loca. Tandem ועלו מושיעים בהר ציון, *tum Servatores adscendent in montem Zionis.* מושיעים propr. sunt *Amplificatores*, qui titulus Characterem augustorum Maccabæorum Principum egregie exhibet, qui populum Judaicum non tantum ex summis angustiis in spatiosum libertatis campum eduxerunt, sed & ditionis & imperii terminos, devictis hostibus longe lateque extenderunt, ac amplificarunt. *Illi adscendent in montem Zionis*, id est, ex bello reduces & victores magna cum pompa revertentur Hierosolumam, regni metropolim, ibi solium & tribunal erecturi, e quo devictis etiam gentibus jura dicant, ut indicatur sequenti phrasi לשפט את־הר עשו *ad judicandum montem Esavi.* Hisce peractis *regnum erit Jehovæ.* Leviori sensu regnum intelligitur Theocraticum, cujus olim signum fuisse videtur corona illa εἰς ἣν Μωυσῆς τὸν Θεὸν ἔγραψε, *cui Moses nomen Dei inscripsit*, ut auctor est JOSEPHUS

An-

Antiq. Jud. l. VIII, Cap. III, §. 8., hoc tempore rursus magis, cum Regnum & summum Sacerdotium penes unam eandemque personam esset, conspicuum; sed sublimiori regnum Dei spirituale per Messiam erigendum, quod eximie in N. T. dicitur ἡ βασιλεία τῶν ὀυρανῶν, vel τȣ̃ Θεȣ̃. Sic Propheta suam orationem in Messiæ adventu, qui tempora Maccabaica exciperet ac proxime sequeretur, terminat. Sunt præterea alia adhuc vaticinia, eadem Moabitarum, Idumæorum ac Ammonitarum fata clarissime prædicentia, nemini non nota; sed cum hactenus prolata abunde sufficiant, in iis acquiesco.

FINIS.



II.



II.

JOANNIS NICOLAI RICHTERI OBSERVATIO*) AD COL. II, 16. 17. VIRI PLURIMUM REVERENDI JOANNIS THEOPHILI ELSNERI DUBIIS OPPOSITA.

§. 1.

Cum ea ſit Theologiæ typicæ ratio, ut nullos agnoſcat & admittat typos, niſi vel ex diſertis S. S. oraculis & probabili horum explicatione hauſtos, vel ex aliis di-

*) Non dubito quin Apologia hæc pl. Rev. & Doctiſſimi RICHTERI, qui ex *Rhebornenſi* tranſiit ad Eccleſiam *Erneſti-villanam* prope *Bipontum V. D. M.* cuivis Erudito & manſueto Lectori gratiſſima erit, & vel ipſi, contra quem directa eſt, pl. Rev. & Doctiſſimo ELSNERO, tum ob judicii, quod ubique teſtatur, acumen, tum quod Doctiſſimi Adgreſſoris modeſtiam, comitatem & amo-

dictis, quibus quidem haud ita clara & expressa eorum deprehendimus vestigia, saniori tamen ratiocinio erutos: non erit facile, qui curatiorem horum locorum, quos typorum fontes plerumque existimamus, posteriorum imprimis, considerationem improbet atque damnet. Efficit enim hæc disquisitio, modo adhibita mentis acie instituatur, ut Theologiæ Typicæ limites, aliis latiores, aliis angustiores, magis magisque definiantur, neque adeo aut ulterius, quam par est, extendantur, aut arctioribus circumdentur cancellis. Quum igitur in his dictis insigniorem sibi vindicent locum hæc Pauli Apostoli verba, Col. II, 16. 17. exstantia, quæ ab Interpretibus typorum toties adduci solent: merito in quæstione existit, utrum illud revera tradant, quod plerumque in eis quærunt; atque adeo omnia, quæ

amorem veritatis plane adæquat. Altercationes enim Eruditorum hoc modo reciprocatæ, ubi alter alteri verba dat minime aculeata sed plena existimationis & amoris, nec ex tripode pronunciat, tantum abest ut nauseam creare possint, ut potius cum voluptate legantur. Imo quemadmodum ex collisione silicum ignis, ita ex tali altercatione Veritas prodire consuevit. Judicent autem eruditi, quisnam horum Amicorum palmam reportaverit. ? N. B.

quæ Apoſtolus v. 16 enarrat, in typorum numerum referenda ſint. Aliud ego quidem ſtatuebam, atque aliam propterea horum verborum expoſitionem proponebam, æquis & eruditis hujus *Bibliothecæ* Lectoribus dijudicandam. Qua in re cum veritatis ſtudio unice ductus ſim, optaverimque, ut perſpicaciores vel dubia mea, modo id mererentur, ſolverent, vel meliorem ſolidioremque proferrent interpretationem: non potui non impenſe lætari, cum viderem Virum pl. Reverendum, IOHANNEM THEOPHILUM ELSNERUM, Paſtorem Eccleſiæ Fratrum Bohemorum Berolinenſium digniſſimum, *Claſſis* hujus Bibl. *primæ*, *Faſciculo tertio*, *N. III.* hanc operam ſuſcepiſſe, atque ea quidem humanitate, ut vel hoc ſolo nomine diſſenſus doctiſſimi Viri mihi jucundiſſimus eſſe poſſit. Sed & alia ſunt, quæ mihi in hac diſquiſitione admodum placuerunt. Quamquam enim ab hoc meo leniore Adverſario adhucdum in plerisque diſſentio; effecit tamen doctisſimis ſuis dubiis & objectionibus, ut opinionem meam, acriori examini ſubjectam, hic illic paululum immutare, aliisque argumentis confirmare valeam. Quo igitur eodem ordine incedam, quem ipſe Vir pl. reverendus recte elegit, & dubia expoſitioni meæ oppoſita eadem, qua Ipſe uſus

eſt, humanitate expendam, dicam *primum*, utrum argumenta mea, quibus vulgarem hujus dicti Apoſtolici interpretationem impugnare audebam, objectionibus eruditiſſimi ELSNERI corruiſſe arbitrer; *tum* ea, quæ Idem contra meam ipſius expoſitionem attulit, breviter examinabo; *denique* de nova Viri pl. rev. interpretatione paucula adiiciam.

§. 2.

Animus mihi præcipue fuit oſtendere, verba Apoſtoli, το δε σωμα του Χριςου, non denotare *Antitypum, qui ſit in Chriſto*, ſed *Eccleſiam*, corpus myſticum Servatoris. Quod ut probarem, viam mihi primum muniebam breviore diſquiſitione, utrum priora verba, ἁ εςι σκια των μελλοντων, ad omnia referri queant, quæ comma 16. complectitur. Qui enim notionem *antitypi* aſſumunt, quæ communis eſt omnium interpretatio, uno ore contendunt, ſingula, quæ commate 16. proponuntur, *eſum*, *potionem*, *feſta*, *novilunia*, *Sabbatha*, umbram dici futurorum, eorumque corpus ſive Antitypum in Chriſto Ipſiusque regno quærendum eſſe. Ego vero hoc temere aſſeri dicebam; eſum enim carnis potionemque vini non fuiſſe futurorum typum, ſed placitis Eſſenorum tribuendam eſſe ab his re-

bus abſtinentiam; Apoſtoloque, ſi ad ea omnia reſpexiſſet, dicendum fuiſſet, ἁ ἐςι ΠΑΝΤΑ, quemadmodum v. 22. expreſſe dicitur. Hæc vero oppugnavit Vir pl. reverendus. Primum enim reſpondet, Pronomen relativum ἁ vix tantummodo ad poſtremam Apoſtoli vocem σαββατων (quod ego in ſequentibus maxime urgebam) referri poſſe, *ſiquidem Apoſtolus Coloſſenſibus ſuis non tantum a Sabbathis Iudæorum, verum etiam a reliquis allatis v. 16. inſtitutis veteris Oeconomiæ ſeſe abſtinere juſſit, eo quod hæc omnia umbra tantummodo fuerint.* Eſſet, quod huic Erud. ELSNERI aſſerto accederem, ſi certum eſſet evictumque, his noſtris verbis primario *avocare* voluiſſe Apoſtolum Coloſſenſes ab obſervatione earum rerum, quas enarravit. Id vero eſt, de quo ego quidem valde dubito. Mea enim ſententia ex primario ſuo ſcopo id agit Apoſtolus, (ſicut ex ipſis verbis & loco parallelo Rom. XIV. probaveram) ut ipſis inculcet, nullius audienda eſſe judicia; neque enim ulli licere, ipſos in tali cauſſa *condemnare*: μη ουν τις ὑμας κρινετω. Annon etiam ex ipſis verbis ſatis clarum eſt, Coloſſenſes ex Gentibus, quibuscum maxime colloquitur, illa omnia non obſervaſſe; carnem ergo comediſſe, vinum bibiſſe, neque Iudæorum more feſta, novilunia, ſabbatha,

cultu

cultu ſacro proſecutos eſſe? Sed erant inter ipſos ex Iudæis, qui ſingularem externæ pietatis ſpeciem præ ſe ferebant, atque hos ad abſtinentiam a carne & vino, ad obſervationem feſtorum, neomeniarum, ſabbathorum adducere ſtudebant, nullamque cum ipſis, niſi paria ſecum agerent & ſibi dicto audientes eſſent, conſuetudinem habere volebant. Hos quidem Apoſtolus corripit; horum illicitum & injuſtum ceteros a fictitia ſua pietate adhuc alienos condemnandi morem damnat; hos ſupremum Servatoris dominium violare dicit; his clarius & apertius v. 18. 19. larvam detrahit. Alium igitur verborum Apoſtolicorum ſcopum, ac pl. ven. ELSNERUS ceterique Interpretes, mihi repræſento. Nam ex horum ſententia avocare voluit Apoſtolus Coloſſenſes ab obſervatione illorum inſtitutorum; ex mea vero id primario tantum his verbis agit, ut *condemnantes* reprehendat, nec ipſorum *judicium* audiendum eſſe edoceat. Recte me hoc ſtatuere, particula ουν, quæ verba noſtra proxime cum priori commate connectit, ſatis reddit probabile & indubium. Deum, ait Apoſtolus, principatus & poteſtates, h. e. in cathedra Moſis ſedentes, auctoritate & poteſtate ſua jubendi judicandique exuiſſe. Ex hoc argumen tatur: μη ΟΥΝ τις ὑμας κρινετω, i. e. hoc illu-

ſtre beneficium, hanc illuſtrem prærogativam novæ Oeconomiæ, multo minus quenquam ex vobis, illam auctoritatem nullo jure ſibi vindicantem, vobis eripere ne patiamini; hujus judicia & condemnationem nihili facite, cet. Conſequitur quidem hinc quodammodo, nec jugum ſuſcipiundum eſſe, cum ex legis Moſaicæ præceptis tum ex placitis humanis conſiſtens, quod hi homines Coloſſenſibus imponere cupiebant. Sed hoc verbis noſtris probandi non erat primarius Apoſtoli animus. Quod ad legem Leviticam attinet, hujus abrogationem v. 14. jam demonſtraverat. Quod ad dogmata humana, his demum a v. 20. omnem omnino vim obligandi abjudicat. Et num credamus, Apoſtolum ſibi iterum probandum ſumere, falſum eſſe & humanum inventum dogma, μη γευσῃ, v. 21. 22, ſi jam verbis noſtris, quod Interpretes volunt, oſtendiſſet, interdictum τῆς βρωσεως καὶ ποσεως nullius eſſe auctoritatis? Nam hoc γευσασθαι cum *eſu* illo & *potione*, idem omnino eſſe, nemo facile dubitaverit. Probandum ergo primum fuiſſet Viro pl. reverendo, cum ego quidem alium mihi ſcopum repræſentaverim, in hoc me falli maxime, nec ab aſſumto a ceteris ſcopo recedendum fuiſſe. Quod niſi factum eſt, nihil probat objectio.

§. 3.

§. 3.

Essenorum vero placitis interdictum τῆς βρώσεως & πόσεως tribuendum esse, ego quidem asserebam, negat autem Adversarius meus humanissimus: *satis enim constare*, ait, *antiquis Israelitis haudquaquam licuisse, omnibus sine discrimine vesci; notam esse legem de puris & impuris animantibus, nec ignotum esse prohibitum, quo Naziræi Dei ab omni omnino vino sese abstinere jussi sunt?* Nota hæc esse, doctiss. ELSNERO facile concedo. Nec mihi hæc ignota fuerunt, quanquam verba Apostoli de eis non explicuerim. Verum enim vero caussam meam jam egit Vir summe Venerandus & Celeberrimus, NICOLAUS BARKEY, doctissimus hujus *Bibliothecæ* Editor, cujus Præceptoris ad bustum deveneranḋi singularis in discipulum benevolentia & innumera beneficia nunquam ex animo meo excident. Is vero ex nexu & scopo hujus capitis demonstravit, de Philosophorum Asceticorum inter Iudæos & gentes placitis Apostolum agere (a). Loquitur enim v. 8. de philo-

(a) Negavit hoc non ita pridem doctissimus CHRISTIANUS ELIESER GENSELIUS, *ad Coloss.* II, 8. *seqq. pauca differens*, cujus ipsum scriptum ad manus me non habere magnopere doleo. Fortasse enim ea prolaturus sum, quæ GENSELIUS jam impugnavit.

losophia inani & fraudulenta, quæ ex humanis traditionibus seu placitis hominum cum elementis mundi, h. e. Levitica lege, conjunctis consistat, doctrinæque Evangelicæ repugnet. Complectitur ergo hæc Philosophia seu religio b), quam vitare Apostolus jubet, cum την παραδοσιν των ανθρωπων, tum τα στοιχεια του κοσμου, quorum combinationem κενην απατην nominat. Quænam vero ad utramque dogmatum hujus philosophiæ classem pertineant, id ipse Apostolus a. v. 9. usque ad finem capitis satis clare & prolixe ostendit. Docet primum, totam Ecclesiam, latissime patentem, tanquam corpus cum Capite suo, Christo, conjunctam esse, cujus etiam Colossenses membra sint; insimulque Servatorem caput esse omnis principatus & potestatis, v. 9. 10. c): in hoc igitur suo Capite eminentissimo

b) Cf. cel. KYPKE *observatt. sacr.* ad h. l.

c) Commata hæc duo 9 & 10, omnibus procul dubio insequentibus viam sternere debuerunt. Illa igitur si male exposuerimus, in his quoque aberrare nos oportebit, nec verum ratiocinii Apostolici nexum deprehendemus. Egi jam paucis de eis in disp. *de termino donorum munerumque extraordinariorum ex verbis Pauli Eph. IV*, 12. 13. *eruto*, præside summe Vener. & Cel. NICOLAO BARKEY Bremæ publice ventilata. Ostendi §. XX, το πληρωμα της Θεοτητος sive του Θεου esse

mo Gentiles credentes circumcisos esse, v. 11, circumcisionemque hoc minus ab ipsis

 po-

esse nomen frequentius occurrens *totius ecclesiæ*, quæ dicitur κατοικειν εν χριστω σωματικως, h. e. cum Christo ut Capite, tanquam membra unius ejusdemque corporis, conjuncta esse, unamque personam moralem constituere. Gentiles quoque, Evangelio fidem habentes, hujus prærogativæ, integræ ecclesiæ competenti, participos factos esse, docetur proxime sequentibus verbis: *& estis* (vos Gentiles) *in illo completi*, i. e. quoniam tanquam membra ecclesiæ cum Christo ut Capite conjuncti estis; illud, quod vobis per vos ipsos deest, obtinuistis. His addit Apostolus: *qui Caput est omnis principatus & potestatis.* Sed quo fine addit? Credo, ut edoceat, credentes novæ œconomiæ nullis amplius, ut in priori œconomia, Iudicibus, seu legis exactoribus vindicibusque, sed proxime soli Servatori subjectos esse. Itaque priora verba viam muniunt ad ea, quæ v. 11-14. dicuntur; hæc vero, quæ Apostolus prudenter adjecit, v. 15. ulterius declarantur. Ex eo, quod fideles membra Christi sunt, consequitur primum, circumcisionem ab ipsis postulari non posse; imputatur enim eis mors, sepultura & resurrectio Servatoris. Considerantur ob hanc imputationem tanquam jam mortui, qui corporis exuvias deposuerunt, tanquam resuscitati & in futuro viventes sæculo, ubi circumcisio locum habere nequit. Consequitur porro ex eo, quod fideles membra Servatoris existunt, ipsos Levitica lege non am-

postulari posse, cum mors, sepultura & resurrectio Servatoris ipsis imputetur, & propterea in judicio divino habeantur tanquam mortui jam & resuscitati, neque adeo in hoc amplius, sed in futuro sæculo viventes. His duo consequentia addit Apostolus, quæ libertatem & a lege cæremoniali & a jugo auctoritatis judiciique humani in rebus conscientiæ demonstrant. *Deus delevit chirographum, nobis contrarium, e medioque sustulit,*

amplius obligari. Considerantur enim in judicio divino tanquam cruci cum Christo affixi, qui ergo morte ab hac lege liberati sunt, quippe ad hunc tantummodo mundum & ad hanc vitam pertinente. Consequitur denique ex eadem veritate, fideles liberatos esse a jugo judicii auctoritatisque humanæ in rebus conscientiæ. Quum enim Servator etiam caput sit omnis principatus & potestatis auctoritate sua exutæ; tantum abest, ut talibus judicibus, quales in œconomia veteri obtinuerunt, fideles etiamnum subditi, ut potius solius Capitis sui eminentissimi & legi & judicio subjecti sint. Optandum esset, ut ea, quæ ex hac conjunctione membrorum cum Capite in epistolis Pauli hic illic deducuntur, accuratius dilucidiusque, quam vulgo, exponantur, & in ordinem concinniorem redigantur. Non dubito, multis locis lucem inde haud contemnendam accensum iri, quam tenebrarum nube circumfundunt. qui hæc dicta sensu tantum mystico exponunt.

ſtulit, cruci affixum. Quid hoc edocetur, niſi libertatem a lege cærimoniali ob mortem Servatoris noſtri nobis eſſe a Deo conceſſam? *Exuit quoque principatus & poteſtates*, h. e. eos, quibus in cathedra Moſis ſedendi & in rebus ad Moſaicam legem pertinentibus judicandi poteſtas commiſſa erat, auctoritate ſua privavit. Quemadmodum igitur v. 14. probatur, legem cærimonialem abrogatam eſſe, neque ullam jam vim obligandi habere; ita v. 15. demonſtratur, Chriſtianos nullis amplius judicibus ſpiritualibus, quales tempore legis conſtituti erant, ſubjectos eſſe, ſed ſoli Servatori & Capiti ſuo, cujus membra ſunt. Ex hoc, uti ſupra jam monui, prono alveo fluit, quod verbis noſtris Apoſtolus proponit, ſcilicet non audienda atque nihili facienda eſſe eorum judicia, qui ipſos condemnarent, quod ratione eſus, potionis, feſtorum, neomeniarum ac ſabbathorum paria ſecum agere recuſarent.

Hic vero pedem pauliſper figere & disquirere juvat, utrum hæc omnia, quorum Apoſtolus mentionem hic facit, ad legem cærimonialem pertineant. De feſtis, neomeniis ac ſabbathis, de quibus infra quædam adnotabimus, nullum eſt dubium. Ergo hic tantum de *eſu* & *potione* quæſtio exiſtit. Cum vero vox βρῶσις *actionem edendi*,

di, non ipſum cibum, qui βρωμα dicitur, & ποσις *actionem bibendi*, non ipſum potum, qui πομα audit, denotet; quæritur primum, quænam voces ad has ſubaudiendæ ſint. Hoc vero ipſe docet Apoſtolus loco vere parallelo Rom. XIV, quo collato præcipue *eſum carnis* & *potionem vini* intelligi debere patet. Num vero ad *omnem* omnino carnem, an tantum ad carnem *impurorum animantium* reſpiciatur; in hoc quidem ab humaniſſimo meo Adverſario diſſentio, dum hic poſterius, ego vero prius contendimus. Nec certe video, quid me ab hac mea ſententia abducat. Quid enim clarius eſſe poteſt verbis Apoſtoli cap. cit. v. 21: Καλον το μη Φαγειν κρεα, μηδε πιειν οινον? Aliter locutus eſſet Apoſtolus, ſi homines intellexiſſet, hoc tantum atque illo carnis genere veſci recuſantes. Quid? quod eosdem, qui olera tantum comedebant, atque eos, qui omnibus ſine diſcrimine veſcebantur, diſerte ſibi invicem opponit v. 2: ὃς μεν πιϛευει Φαγειν παντα, ὁ δε ασθενων λαχανα εσθιει. Quanam, quæſo, de cauſſa de illis dicere potuiſſet Apoſtolus, ipſos nonniſi olera comedere, ſi tantum ad carnem impurorum animantium reſpexiſſet? In ſubſidium quoque vocare licet Tit. I, 14. 15. Quis enim lectis his verbis non videt, Paulum abſtinentiam a cibis, quos

quos hominem polluere credebant, inter quos præcipue caro, referre ad Judaicas fabulas & præcepta humana? Confer. & 1 Tim. IV, 3. 4. Quodsi igitur hæc abstinentia a carne aliisque cibis ad fabulas Judaicas placitave humana pertinent, licetne eam ad Leviticam legem referre, solamque vetitam impurorum animantium carnem intelligere? Patet hinc, interdictum τῆς βρώσεως tanquam fabulam Judaicam & præceptum humanum ei Judæorum Sectæ adadscribendum esse, quæ nulla plane carne nullisque cibis, quibus animam pollui credebat, vescebatur. Hos vero, num Pharisæos aut Sadducæos fuisse existimemus, an solos potius Essenos? Idem de πόσει *potione vini* dicendum. Spectabat hoc interdictum, si ad Leviticam legem referatur, ad solos Naziræos, sed observante Cel. hujus *Bibliothecæ Editore*, nec inter Judæos paucissimos, nec facile inter Colossenses quærendos. Non potest igitur hoc loco nostro ex eadem lege explicari, quippe ubi de hominibus agitur, integram sectam constituentibus, aliosque in castra sua traducere cupientibus, quod Naziræis tribui nequit. Hos ergo Iudæos, qui vino utendum non esse docebant, quos esse credamus, nisi solos Essenos, si eos aut Pharisæos fuisse aut Sadducæos dicere nolimus? Et quanquam

huic

huic ſuo præcepto humano nomen legis, ad ſolos Naziræos ſpectantis, forſan prætenderunt; probabile tamen videtur, illud primario ex Philoſophia illa dimanaſſe, quacum Leviticam legem conjungebant.

Iidem Eſſeni exactiſſimam feſtorum, Neomeniarum, Sabbathorum obſervationem poſtulabant, de qua hic nihil monendum eſt. Tribuitur etiam ipſis v. 18. θρησκεια των αγγελων d). Denique & abſtinentiam

d) Altius indagari meretur, utrum hæc θρησκεια των αγγελων, quod alii volunt, ſit cultus ipſis Angelis exhibitus, an vero, quod alii ſtatuunt, ſanctitas Angelos imitari cupiens. Doct. GENSELIUS priori expoſitione, quam Anglus eruditiſſimus, PEIRCIUS, & ex hoc cel. MICHAELIS exornavit, rejecta, poſteriorem ſtabilire annixus eſt ſcripto jam cit. Hoc non lecto nec allatas rationes dijudicare licet. Vereor tamen, ut hæ illis, quibus prior adſtructa eſt, prævaleant pondere. Equidem arbitror, ſi voces ταπεινοφροσυνη & θρησκεια των αγγελων, non ſine gravi ratione hic conjunctæ, ex mente GENSELII exponantur, Apoſtolum neutiquam hæc ipſa taxaturum fuiſſe, quod tamen facit. Quis ſanus, multo minus Apoſtolus, rejiciat damnetque animum demiſſe ſentientem, atque ad ſanctitatem Angelorum adſpirantem? Ergo dubium non eſt, Apoſtolum ad plane ſingularem ταπεινοφροσυνην, reprehenſione dignam, reſpexiſſe. Hæc in eo conſtitiſſe mihi videtur, quod

tiam a matrimonio ab iisdem præceptam, & verbis v. 22. μη ἅψη indicatam esse, hoc minus dubito, quum ipse Apostolus ea ita exponat loco parallelo 1 Tim. IV, 3. Iam ergo si paucis dicere velimus, quænam sint dogmata illius Philosophiæ, quam ex elementis mundi & placitis humanis combinatam Apostolus vitare jubet: præceptum circumcisionis, observatio festorum, neomeniarum & sabbathorum ex Levitica lege; at interdictum esus & potionis & matrimonii, cultusque Angelis præstitus ex placitis humanis desumta erant.

§. 4.

Quodsi igitur interdictum της βρωσεως & ποσεως placitis Essenorum humanis tribuen-

quod crederent, hominem adeo a Deo remotum ac tantæ humilitatis esse, ut ipsi, nullo interveniente, ad summum Numen accedere & preces fundere non liceat. Ex hac ταπεινοφροσυνη pullulavit cultus Angelorum, quem propterea in eo constitisse existimo, quod horum spirituum intercessione & ministerio opus esse arbitrabantur, si summo Numini animum tuum aperire velis, adeoque eos tanquam mediatores precatoresque venerabantur. Ex hac vero θρησκεια fictæ Angelorum *Genealogiæ* ortum suum duxerunt, 1 Tim. I. 4; ad quas Apostolus præcipue digitum intendisse videtur verbis: ἁ μη εωρακεν εμβατευων.

buendum est; per se patet, illud minime ab Apostolo tanquam *umbram futurorum* considerari e). Quin alia restat via, qua hoc ab obje-

e) Existimat quidem pl. rev. ELSNERUS in not. a, *si mihi Hebr. IX*, 10. *in mentem venisset, me vix dubitare potuisse, Apostolum hic ad antiquas Israelitarum leges cærimoniales respexisse, non ad placita humana.* At hæc objectio nihil omnino probat. Possum enim eadem via incedens dicere: Si Adversario meo humanissimo Tit. I, 14. 15. & 1 Tim. IV, 3. 4. in mentem venisset, vix ac ne vix quidem dubitare potuisset, Apostolum hic ad dogmata humana respexisse, non ad legem cærimonialem. Sed videamus, ne quid prætereàm, utrum hic locus nostro vere parallelus deprehendatur. Loquitur hic Apostolus de oblationibus & sacrificiis, quæ conscientiam hominis consummare non potuerint, ac tantum βρωμασι και πομασι, variis lotionibus & sanctificatione carnis consistentia, hominibus imposita fuerint. Quænam vero hæc βρωματα και πόματα? Nihil nisi cibi & potus, quibus in sacrificiorum oblatione aut fertis & libaminibus fruebantur; ut adeo minime Apostolus hoc loco ad discrimen illud ciborum purorum & impurorum, abstinentiamque Naziræorum a vino respiciat. Agit enim toto hoc capite de tabernaculo seu templo, deque iis, quæ in hoc peragi solebant, ad Christianos ex Iudæis loquens, qui totius cultus Levitici non ita facile oblivisci poterant, & præter cetera etiam sacrificia necessaria putabant. Sed in hac nostra ad Co-

objectione Erud. ELSNERI vindicare ac tueri valeo. Quærere enim possum ex Viro pl. reverendo & ex ceteris, qui esum & potionem umbram seu typum fuisse existimant, utrum την βρωσιν *esum omnium animantium sine discrimine*, an tantum *animantium purorum* significare credant. Si posteriorem eligas conceptum: *nemo vos judicet in esu animantium purorum*; hic sensus proveniet, nisi verbis vim inferre velimus: nemo vos condemnet, quod nonnisi pura animantia, in lege permissa, comeditis. Quis vero hunc sensum ferat? Sic enim ipse Apostolus observationem legis cærimonialis non improbaret. Solus igitur prior conceptus

Colossenses epistola atque hoc speciatim capite, cujus locum explicare annitimur, mentionis sacrificiorum nulla deprehendimus vestigia, neque adeo Apostolus *sacrificia* tanquam dogma illius Philosophiæ, ex conjunctione Leviticæ legis placitorumque humanorum ortæ, considerat. Quod quidem, ni fallor, novum exhibet argumentum, nonnisi de Essenis agi, quippe qui externæ sanctitatis quam sacrificiorum studiosiores erant. Cf. cel. CONR. IKENII *Antiquitt. hebr.* P. I. Cap. VI. §. V. Locus igitur, quem Doct. ELSNERUS in subsidium vocat, neutiquam probare mihi videtur, nostro etiam, de quo agimus, loco vocibus εν βρωσει και ποσει ad leges cærimoniales respici.

ceptus aſſumi poteſt: *nemo vos judicet in eſu omnium animantium ſine diſcrimine;* hoc eſt: nemo vos condemnet, quod poſthabita lege cærimoniali, a qua morte Servatoris liberati ſumus, omnium ſine diſcrimine animantium carne veſcimini. Sed quid jam, ex ſententia Doct. ELSNERI ceterorumque Interpretum, de hac βρώσει omnium ciborum Apoſtolus prædicat? Hoc docet, *eam eſſe umbram* ſeu typum. Quod vero falſum eſſe non eſt, quod doceam. Talis enim eſus in Oeconomia legis non exſtitit, neque adeo ad umbram futurorum referri potuit. Atque idem de πόσει moneri poteſt. Quum hæc potionem vini ſignificet, id dicit Apoſtolus: *nemo vos judicet in potione vini*, hoc eſt, nemo vos condemnet, quod vino modice utimini. Quid vero jam iterum de hac πόσει, ſalva, quam impugno, ſententia, Apoſtolus aſſerit? *Hæc potio vini eſt umbra.* Hanc expoſitionem nec Adverſarius meus Doctiſſimus, nec ceteri Interpretes, quorum ſententiam tuetur, admittere queunt. Dicant igitur neceſſe eſt, hanc πόσιν eſſe legem, Naziræis vini potione interdicentem. Sed nec male ferent, hunc conceptum aſſenſu meo me comprobare non poſſe, cum nullo prorſus nitatur fundamento. Vera igitur ſcripſiſſe etiamnum mihi videor, cum contenderem, verba, ἅ

ἐςι

ἐςι σκια των μελλοντων, non posse ad omnia antecedentia referri, hoc magis, cum Apostolus alioquin dicturus fuisset: ἁ ἐςι ΠΑΝΤΑ, quemadmodum v. 22. Existimat quidem Vir pl. Venerandus, hoc additamento v. 17. non opus fuisse, sicut v. 22, quippe ubi a commate 18. usque omnia repetenda sint. At pace Ipsius dixerim, voces ἁ ἐςι παντα clarissime tantum ad proxime præcedentia pertinere: μη ἁψη, μηδε γευση, μηδε θιγης. Neque enim de cultu Angelorum v. 18, neque de homine caput non tenente v. 19, neque de præceptis mundi v. 20, sed tantum de iis, quæ ex placitis Essenorum non tangenda, non gustanda, non contrectanda erant, dici poterat, quod sint εἰς φθοραν τη ἀποχρησει. Quodsi igitur Apostolo opus visum est, ad tria hæc verba, quæ tamen proxime præcedebant, diserte dicere: ἁ ἐςι ΠΑΝΤΑ; quid nostro, de quo disputamus, loco adjectione hujus vocis non opus fuisse dicamus, quippe ubi Apostolus de pluribus loquitur?

§. 5.

Iam ad ea pergo, quæ pl. rev. ELSNERUS §. suo 4. mihi opposuit. Ego quidem statuebam, non absque caussa Apostolum dicere ἁ ΕΣΤΙ, in *præsenti*, non *præterito*: hoc enim eum indicare aut saltem con-

cedere, ea, de quibus loquitur, non ſolum fuiſſe, ſed etiam adhuc eſſe, & porro fore typum; propterea que ipſorum Antitypum dici non poſſe in Chriſto Ejusve regno apparuiſſe. Ipſe ego haud diffiteor, infirmum fore hoc argumentum, nec multum roboris adlaturum eſſe, niſi alia adeſſent, quæ eidem probabilitatem concilient. Eadem igitur de cauſſa ejus hic defenſionem ſuſcipere mihi liceat. Regerit vero ad illud Vir pl. reverendus, *propterea Apoſtolum loqui in præſenti tempore, quia tunc, cum hæc ſcriberet, inſtituta veteris Oeconomiæ, v. 16. memorata, adhuc durabant, & poſt deſtructum templum Hieroſolymitanum demum penitus abrogata ſunt.* Specie quidem hoc dubium non caret; attamen vario modo diſſolvi poterit. Edocet clariſſime ipſe Apoſtolus v. 14, *Deum chirographum nobis contrarium*, h. e. legem cærimonialem, *deleviſſe e medioque ſuſtuliſſe, cruci affixum.* Annon hæc ſatis dilucide oſtendunt, inſtituta Leviticæ legis jam morte Servatoris noſtri abrogata fuiſſe? Quis facta ſolutione & deleto chirographo hoc tamen jure perdurare contendat? Niſi igitur Apoſtolum ſibi ipſi contradicentem tibi fingere velis; dicere non facile poteris, eum inſtituta illa tanquam talia conſiderare, quæ tum adhuc jure durarunt; ſcripſiſſetque mea quidem ſen-

ſententia, niſi aliud intendiſſet: *quæ omnia usque ad mortem Chriſti umbra fuerunt, in Ipſo vero iam corpus adeſt.* Deſtructio templi Hieroſolymitani efficiebat quidem, ut lex Levitica ex more veteri non amplius obſervari potuerit, utque homines Chriſtiani ex Iudæis jam hoc lubentius omnibus illis cærimoniis nuncium mitterent. Sed certe Apoſtolus nusquam hunc legis finem terminumque fixit, cum eam ubique tanquam ſuo jam tempore abolitam abrogatamque conſideret: quanquam fuerint, qui ipſi in hac re contradicere auſi ſunt. Et quid? Si usque ad deſtructionem Hieroſolymorum & Templi inſtituta illa perdurarunt, vel jure perdurarunt, vel minus. Si jure; cur ab obſervatione illorum Apoſtolus Coloſſenſes avocavit? Si nullo jure; non erant amplius, ſed fuerant umbra, cum tamen Paulus diſerte dicat: ἁ ΕΣΤΙ σκια. Quin ex eadem hypotheſi reddere debes voces των μελλοντων *eorum, quæ futura ſunt*, non vero, quæ futura erant. Si vero tum, cum Apoſtolus hæc ſcriberet, nondum plenarie apparuerant iſta μελλοντα, ſed partim adhuc futura erant; quanam, quæſo, de cauſſa iterum eos ab obſervatione inſtitutorum illorum avocavit? Sed dicas hic: jure quidem hæc omnia jam abrogata fuiſſe, & præclare egiſſe, qui liberationem ab hoc jugo agnoſcen-

tes tantummodo ad normam Evangelii vitam suam instituerint: at animos multorum Iudæorum, quanquam in Christi castra transiissent, præjudicata tamen opinione impeditos hoc beneficium non agnovisse, donec temporis successu & præsertim destructione templi in meliorem sanioremque sententiam ducti fuerint; quæ quidem cum in omnibus radices egisset, tum demum instituta illa actu cessasse. Quis vero credat, Apostolum ad hanc opinionem Evangelio contrariam his nostris verbis se accommodasse, cum tantopere eam eradicare studuerit f)?

Provocat quidem Vir eruditissimus ad Hebr. IX, 13, ubi de sanguine taurorum dicatur, quod ἁγιάζει *sanctificet*, in præsenti, quanquam Antitypus omnium sacrificiorum jam apparuerit. Ex hoc igitur consequi existimat, Apostolum instituta legis cæri-

f) Conferri meretur Angli eruditissimi, GEORGII BENSONIS, Abhandlung von der Abschaffung des Ceremonialgesetzes, quæ exstat in Ejusd. Paraphrastischen Erklärung und Anmerkungen über einige Bücher des Neuen Testaments, atque explicationi epistolæ ad Titum adnexa est. Plura hic deprehendes lectu dignissima, quæ sententiam meam confirmant. Hac de caussa breviorem hic esse mihi licuit.

cærimonialis non ut actu abrogata, ſed in poſterum abroganda conſiderare. At pace Ipſius dixerim, hujus loci & noſtri, de quo diſputamus, inſignem eſſe differentiam. Loquitur hic Apoſtolus ad Chriſtianos ex Iudæis, quorum relapſus in Iudaiſmum metuendus fuit. Comparat ſanguinem Servatoris cum ſanguine taurorum, oſtenditque, quanto ille hoc ſit præſtantior, cum hic nihil efficiat ac præſtet, niſi ſanctificationem carnis, adeoque eis, qui ſacrificare pergant, externa tantum bona ac privilegia conciliet; ille vero conſcientiam purget ab operibus mortuis, ad ſerviendum viventi Deo. Poterat igitur Apoſtolus tempore præſenti uti. Iudæus enim, qui, oblato jam Servatoris ſacrificio, ſacrificia offerebat, horum ſanguine purgabatur, ſed externe tantum g). Neutiquam igitur Apoſtolus his verbis docet, ſanguinem taurorum tum adhuc Typum fuiſſe. Qui enim hoc dicere potuiſſet, cum clariſſime edoceat, in ſanguine Chriſti profuſo ejus Antitypum deprehendi? Sed noſtro loco diſerte dicit, illa, quorum mentionem facit, etiam *in præſenti eſſe* umbram ſeu typum.

g) Cf. cel. MICHAELIS Entwurf der typiſchen Gottesgelahrtheit p. 24. 25. 53 ſq. ubi de externis bonis, ex ſacrificiis ad ſacrificantes redundantibus, egregie & nervoſe diſſerit, dictumque noſtrum illuſtrat.

§. 6.

De voce σκια nulla nobis est controversia; neque enim ex hac, sicut ex duabus antecedentibus, dubium movere poteram. Sed ad vocem των μελλοντων denuo diversæ sumus sententiæ. Ego enim contendebam, omissum hic nomen substantivum non ex ingenio addendum, sed ex antecedentibus, si nihil obstet, repetendum esse. Nihil autem arbitrabar impedire, quo minus vocem σαββατων intelligere possis; quod & articulus των postulare mihi nunc videtur. Quodsi enim ad nomen *determinatum* in antecedentibus obvium non respexisset Apostolus, scripsisset modo: ἁ ἐςι σκια μελλοντων; saltem articulus non sine emphasi adpositus esse mihi videtur, quam vero emphasin in communi horum verborum interpretatione non deprehendes. Quæ pl. rev. ELSNERUS §. 5. huic meæ observationi opposuit, cum modo ad §. suum 3. provocaverit, non est, quod operosius impugnem. Quodsi enim omnia, quæ v. 16. enarrantur, umbram seu typum fuisse dici non potest, certe nec voces των μελλοντων, quæ Viri Doctissimi est sententia, ad omnia illa referri poterunt. Et quid? Si nomen omissum tam facili negotio ex ingenio suppleri potuit, cur illud αγαθων Hebr. X, 1. pari modo non omisit Apostolus? At hic non præ-

præcedebat, quod ad voces των μελλοντων intelligi poterat: ideoque ipsum nomen vere intellectum prudenter addidit. Quid ergo jam convenientius, utrum ex ingenio, aut quod perinde est, ex hoc loco των ἀγαθων supplere, an ex ipsis Apostoli verbis των σαββατων repetere? Conspirat quidem hic locus cum nostro dicto h); sed ad solven-

 dam

h) Non possum, quin de consensu hujus loci cum nostro paucula verba adjiciam. Dicitur *lex umbram habere futurorum bonorum, non ipsam rerum imaginem.* Constat, quod & pl. rev. ELSNERUS recte adnotavit in not. b, σκιαν a re pictoria desumtam esse, neque quidquam indicare, nisi adumbrationem, seu rudiorem obscurioremque rei repræsentationem, εικονα vero ipsam imaginem elaboratam & absolutam. Itaque significat Apostolus, habere quidem legem figuram futurorum bonorum, sed obscuriorem & & minime perfectam; adeoque ipsam dilucidam & absolutam imaginem neutiquam in ea quærendam esse. Hæc vero ubi deprehenditur, nisi in Evangelio? quippe quod nobis futura bona, ad quæ sacrificio Christi, semel oblato, patefactus est aditus, non amplius obscuriori adumbratione, sed perspicua imagine repræsentat. Quænam igitur hæc μελλοντα αγαθα? Num ea, quibus jam in hac terra fruuntur fideles? At sic non amplius imagine delectarentur, sed ipsis rebus depictis, & imagine non amplius opus esset. Hinc dubium non est, *futu-*

dam quæstionem, quale nomen subaudiendum sit, nisi e longinquo petere velimus, quod proxime adest, adhiberi non poterit.

§. 7.

De quo vero §. 6. Vir pl. reverendus adversus me disputavit, id paullo prolixius discutiendum est, cum hic tot tantosque Viros adversarios habeam. Ego enim, quæ veterum plurimorum fuit sententia, Sabbathum futuræ demum in cœlo quietis typum esse asserebam; unde dici non posse colligebam, ejus Antitypum in Servatore jam apparuisse. Quis vero est, qui nesciat, quantopere hæc quidem Sabbathi explicatio recentiorum multis displiceat? Videamus primum, quæ Doct. ELSNERUS opposuerit. *Addubitandum non est*, ait, *in Christo, seu potius ecclesia Ejus antiqua Iudæorum Sabbatha*

futura hæc bona esse eadem, quæ cap. VIII, 5. τα επουρανια, & cap. X, 34. κρειττων ὑπαρξις εν ουρανοις και μενουσα dicuntur. Hæc lex Mosaica obscure, Evangelica vero doctrina perspicue repræsentat. Iam consensus hujus loci cum nostro dicto planus est & dilucidus. In utroque enim τα μελλοντα ea sunt, quæ nondum apparuerunt, sed futura esse pergunt. *Nondum apparuit, quid futuri simus; scimus vero, quando apparuerit, nos similes futuros esse Deo: videbimus enim Eum, sicut est*, 1 Ioh. III, 2.

batha cærimonialia implementum nacta & irrita facta fuisse, siquidem Oeconomia veteris fœderis, quoad sanctificationem Sabbathorum Israelitis multa imperaverit, quæ in Oeconomia novi fœderis revera sublata sint, ut res ad legem cærimonialem spectantes. Concedo, ea, quæ lex Levitica die sabbathi ad amussim atque omni rigore observare jubebat, temporibus novi fœderis sublata esse. Cum enim integra hæc lex morte Servatoris nostri irrata facta sit; nullæ omnino cærimoniæ ipsius excipiendæ sunt. Num vero inde consequitur, ipsius Sabbathi jam apparuisse Antitypum? Quodsi enim ita argumenteris: quidquid ad legem cærimonialem spectabat, & in Oeconomia nova revera abrogatum est, ejus Antitypus vel in Christo, vel in Ejus ecclesia jamjam apparuit; tum jure mihi expetam, ut nexum hujus propositionis, si pote, demonstres. Quippe nullo prorsus fundamento hæc argumentandi ratio nititur. Multa enim sunt ad legem cærimonialem pertinentia, atque hodie abrogata, quæ implementum suum adhuc exspectant, & in posterum demum obtinebunt. Neque quidquam probavit Vir pl. Reverendus, nisi eo ritu & cultu Sabbathum post mortem Christi non observandum esse, quem lex cærimonialis Iudæis imposuerat. Caveamus vero, ne duram

illam

illam ſeu moleſtam & lætam ſolatiique plenam ejus faciem commiſceamus. Illa quidem evanuit, cum fideles novæ Oeconomiæ, ſoluto redemtionis pretio, non amplius in continuo mortis metu verſentur. Hæc vero num pari modo diſparuerit, non docuit humaniſſimus meus Adverſarius, neque, quod vellem, oſtendit, qua ratione aut in Chriſto aut Ejus eccleſia jamjam impleta ſit. Non dubito tamen, Ipſum nonniſi eam amplecti, quam inſigne illud & Gœttingenſis Academiæ & totius orbis litterarii Decus, cel. MICHAELIS propoſuit & ornavit, explicationem Sabbathi typici, ad eamque præ ceteris forſan ablegâſſe. Fatendum quoque, hanc ſingulari veritatis ſpecie non deſtitutam eſſe, ſicuti tantum non omnia, quæ ab hoc maxime eximio & acutiſſimo Philologo proficiſcuntur. Quæ quidem unica cauſſa eſt, cur hujus potius quam reliquarum mentionem hic faciam, eaque modeſte proponam, quæ illi obſtare, meam vero ſententiam confirmare mihi videntur. Quodſi enim de probabiliore expoſitione dubitandum eſt, quanto magis de ceteris?

Docet vero cel. & eruditiſſ. MICHAELIS i), *Sabbathum generatim ſignificaſſe, coli Deum unum, qui creationem cœli & terræ ab-*

i) Vid. Ipſius *Compend. theol. typ.* jam cit. p. 121 ſq.

abſolverit, *ſeptimoque die ab operibus Suis quieverit.* Mallem ego hæc potius convertere ac dicere, Sabbathum generatim in memoriam revocaſſe, Deum unum, abſoluto creationis opere, ſeptimo die quieviſſe, ac propterea ſancta veneratione colendum eſſe. *Quies* enim Creatoris præcipuum & palmarium hic eſt, quod vero ſecundum Celeberrimi Viri hypotheſin minus eſſe videtur. Qua vero de cauſa Deus ſapientiſſimus voluit & juſſit, ut hujus Suæ quietis continuo recordarentur mortales? Annon ſufficiebat, hos operis creationis indeſinenter memores eſſe, Eumque apud animum ſuum hoc reputantes ſanctiſſime colere? Diſquirendum igitur eſt, quidnam hac Sua quiete, cujus mortales die Sabbathi inprimis recordari debebant, ſignificare Deus voluerit. Docet id Apoſtolus Hebr. IV, ubi *introitum in requiem Dei credentibus certo futurum* tanquam Antitypum Sabbathi conſiderat. Quænam vero hæc requies Dei ſit, in quam fideles ſuo tempore introducendi ſunt, de hoc quidem non omnibus eadem eſt ſententia. Intelligit cel. MICHAELIS libertatem a cultu Levitico, ſeu quietem ab operibus legis. *At cultus Sabbathi*, inquit, *qui proprie quiete a gravi labore præſtabatur, illum præfiguravit cultum, quem olim ultimo tempore Deo cæli & terræ præſtitura erat*

Eccle-

Ecclesia, qui observatione gravium officiorum non absolvitur, sed in quo nobis, abrogata servitute legis Leviticæ, ab operibus nostris quiescendum est. Supponit hæc expositio, non præscriptum institutumque fuisse Sabbathum, nisi concesso Israelitis in deserto manna: quod, licet a multis acriter defensum sit, minime tamen, collatis utrimque argumentis, verosimile videtur. Egregie hoc & satis copiose in aprico posuisse mihi videtur celeberrimus, dum viveret, Theologus Bremensis, CONRADUS IKENIUS, *in Dissertt.* suis *de institutis & cerimoniis Legis Mosaicæ ante Mosen;* quem cum compilare nolim, hoc tantum addo, neutiquam probabile videri, Deum solorum Israelitarum caussa, modo ad adumbrandam mutabilem cærimoniam, sex dierum spatio opera Sua absolvisse, septimoque, quem hac de caussa sanctificaverit, quievisse. Quis sibi facile persuadeat, hoc Dei exemplum, (finem enim Creatoris in eligendo hoc tempore fuisse exemplum ab hominibus imitandum, Sacris litteris satis dilucide edocemur) non ad sublimius quid & excellentius spectasse, neque adeo, sicut creatio ad totum humanum genus pertinebat, hoc Dei exemplum omnibus mortalibus imitandum esse? Quod vero si verum est, quod IKENIUS

NIUS aliique k) de antiquissima hac Sabbathi origine argumentis non paucis adstruxerunt, quibus quid solidi opponi queat, ego quidem non video: corruet quoque ea Sabbathi explicatio, quæ quietem hoc die observandam quietem ab operibus legis facilemve cultus divini tempore novi fœderis rationem significasse docet. Neque enim mihi persuadeam, Deum, antequam tulit legem ipsam, hujus abrogandæ instituisse typum. Posito etiam, non ita certa & indubia esse argumenta, pro cana illa Sabbathi antiquitate militantia; alia tamen sunt, quæ huic expositioni contrariantur. Instituamus enim comparationem Typi & Antitypi huic expositioni conformem, quæ plenarie sic se haberet: quemadmodum Deus sex diebus cœlum & terram absolvit, septimoque die quievit; ita etiam exantlato labore, quem lex cærimonialis imposuerat, ab operibus hujus legis cessandum & quiescendum est. Sic igitur creationis opus Oecono-

k) e. g. pl. rev. IOH. GOTTLIEB JACHMANNI Diss. *de Sabbatho ante legem Mosaicam existente*, Lipsiæ A. 1748. publice ventilata. Conferri quoque meretur WILLIAM COOKE Untersuchung der Religion und Tempel der Patriarchen und Druiden, a cel. IOH. PHIL. CASSEL in sermonem vernaculum translata, p. 18. sqq.

nomiam veterem adumbrare debuisset, laboremque in observatione cærimoniarum suscipiendum, quo quidem finito in quietem transeundum fuerit. Hunc vero creationis Antitypum admittamus? Nonne igitur eodem jure nobis dicere licebit, nec quietis Divinæ Antitypum in cessatione ab operibus legis quærendum esse? At dicas, sex illos dies ad opus creationis adhibitos nihil omnino significasse, sed nonnisi septimum. Huic vero asserto Sacræ litteræ repugnant, quippe quæ testantur, sicut Deus sex diebus cœlum & terram creaverit, ita & mortalibus per totidem dies operandum esse; & quemadmodum Ille septimo die quieverit; ita & his ad exemplum Dei septimo die quiescendum esse. Quum ergo laborem & quietem disjungere non liceat, quo plenariam totius Antitypi ideam nobis formemus; hoc quoque expositioni illi, quam impugnare audeo admodum contrariatur, quod operans & quiescens unus idemque sit necesse est, cum idem Numen & creaverit & quieverit: id vero iterum ex eadem sententia dici nequit. Quibus enim quiescendum est, Christiani essent: qui autem operati sunt, Iudæi fuissent. Accedit, Apostolum loco supra citato Hebr. IV. diserte tradere, Sabbathum significare introitum in requiem *Dei*. Hoc enim significa-

ficatur ſine dubio, eos, qui in Sabbathum antitypicum introducuntur, quietis ſive beatitudinis Divinæ participes factum iri. Nam quietem *Dei* eam Apoſtolus dicit, qua ipſum fruitur beatiſſimum Numen, quo certe quietem ab operibus legis referre non licet.

Quum igitur ea explicatio Sabbathi, quæ ceterarum a mea diverſarum optima & ſpecioſiſſima eſt, non immotis fundamentis niti videatur: certe nec video, qua ductus cauſſa a ſententia mea, quam pl. rev. ELSNERUS impugnavit, diſcedam. Alia quidem Sabbathi facies fuit in oeconomia patriarchali, alia in oeconomia legis, atque alia jam in Novi Fœderis oeconomia; ſed nulla in adumbrato beneficio differentia. Qui in prima vixerunt homines oeconomia legem prægreſſa; ſancto hoc Sabbatho, ſeu quiete a labore cultui divino impendenda, edocti ſunt, futuram eſſe futuro ſæculo quietem ab omnibus laboribus, moleſtiis, ærumnis in hac vita ſubeundis, ubi nullis agitati curis ſoli Numinis æterni cultui vacabunt: adeoque Deum non tantum ut Creatorem & præſentem Benefactorem, ſed & præcipue ut futurum poſt exitum ex hac vita Benefactorem ſancta veneratione colendum eſſe. Quemadmodum igitur labor per ſex dies hebdomadis ad exemplum Dei ſuſcipiendus moleſtiarum & labo-

rum hujus vitæ emblema fuit: ita quies hos dies insecuta futuram in cœlo quietem præfiguravit. Postquam autem lex promissioni superaddita fuerat; accesserunt quidem singularia quædam, antea non usitata: sed his significatio Sabbathi non abrogata atque irrita facta, sed tantum propius in his atque illis determinata fuit. Si conjecturæ aliquid hic dare mihi liceat; non absque sapienti consilio in ipso initio concessi manna Sabbathum solemni ratione denuo inculcatum esse mihi videtur. Quum enim hic cibus de cœlo delapsus die sancto colligi non potuerit, sed superiori die collectus Iudæis comedendus fuerit; quum & ne sacrificia quidem mactare, & lignum in altari Iehovæ accendere hoc die licuerit: videor mihi hic deprehendere veritatem maximi momenti adumbratam, jam in hac vita quærendum esse panem cœlestem, Christum, si ex Eo vivere in æternum velis, Ioh. VI, 51; nullum proæretice peccare perseverantibus post hanc vitam reliquum fore peccatis expiandis sacrificium, Hebr. X, 26; adeoque in hoc vitæ curriculo verum Servatoris sacrificium Deo offerendum, summoque Numini hodie serviendum esse, si olim in sanctam Ipsius requiem admitti velis. Nec prætereundum est, Sabbathum fœderis Sinaitici signum constitutum esse,

Exod.

Exod. XXXI, 13. 16. 17. Quo cum Deus Iſraelitas ſanctificaverit, h. e. a reliquis gentibus eductione ex Ægypto in Canaanem ut Suum ſegregaverit populum; Sabbathum hoc quoque beneficium Divinum in memoriam ipſis continuo revocare debebat. Nec mirum. Nam hoc beneficio a tot tantisque laboribus miſeriisque liberati erant atque in terreſtrem quietem ducti. Quanquam vero Sabbathum & hanc ſignificationem tempore oeconmiæ legalis induit, primaria tamen & originaria ſignificatio neutiquam hac acceſſione ſublata fuit. Neque enim requies, in quam per Ioſuam ducti fuerant Iudæi, primo ſenſu ea erat, quam Sabbathum pollicebatur, ſed quies fidelibus in hac terra viventibus adhuc futura; quæ fide obtinetur, incredulitate negligitur, Hebr. IV, 8-12. Quid! quod hac transductione ex Ægypto & deſerto in Canaanem ipſa in coeleſte Sabbathum, coeleſtemque Canaanem ingrediendi ratio clarius depicta atque adumbrata fuit. Jam enim patebat, non per Moſen ejusque legem, ſed per Antitypum Ioſuæ, verum Dei populum in cœlum olim transductum iri; & quemadmodum corpora incredulorum in deſerto ceciderunt, & ſoli credentes in Canaanem ingreſſi ſunt: ita etiam iis, qui voci Evangelii, ad caſtra Servatoris & per hunc ad

quietem cœleſtem vocanti, fidem denegant, in verum Canaanem & αναπαυσιν illam Dei ingredi non licebit, ſed iis tantum, qui Evangelio obtemperant. Ex his jam patet, utrum in oeconomia novi fœderis Sabbathum penitus abrogatum eſſe exiſtimem. Abrogatum eſſet, ſi boni adumbrati jamjam participes facti eſſemus, & Antitypus apparuiſſet. Adfuit quidem, qui introitum in quietem Canaanemve cœleſtem paravit: ſed ſollemnis & ſimultanea Iſraelis ſpiritualis in eam introductio ultimo demum hujus ævi die futura eſt. Qui libertatem a Chriſto partam tam late extendunt, ut & obſervationem Sabbathi eo referant, ſola hanc oeconomia legis præceptam fuiſſe nullo fundamento ſupponunt. Neque profecto exinde, opinioni ſuæ robur concilient, quod dies hic feſtus ab Apoſtolis in primum hebdomadis translatus ſit. Aliud enim eſt, transferre, aliud abrogare: nec ignotæ ſunt cauſſæ, quibus ducti leviorem hanc & in re ipſa nihil variantem immutationem Chriſti legati ſuſceperunt. Patet quoque ex hactenus dictis, unde noſtrum Sabbathum auctoritatem ſuam ſeu vim obligandi potiſſimum habeat. Non ex lege per Moſen lata, ſed ex Dei exemplo, quo toti humano generi in creatione mundi præivit, cujusque Ipſe ſine dubio jam primis hominibus Interpres exſtitit.

§. 8.

§. 8.

Quod doct. ELSNERUS. §. 7. proposuit, praeterire licet, cum ipse concesserit, non vilipendendum esse, casum secundum poni: το σωμα του χριϛου; cum ex vulgari interpretatione dicendum fuisset: το δε σωμα ὁ χριϛος vel εν τω χριϛω: Ipse idcirco confitetur mecum, hanc omnino deserendam, aliamque commodiorem magisque idoneam posteriorum verborum expositionem quaerendam esse. Quod vero ultimo loco dubium inde formaveram, quod nullum plane existat argumentum, vocem σωμα, frequentius licet occurrentem, in epistolis Pauli, vel ceterorum Apostolorum, pro antitypo poni; quod argumentum unicum ex opposito sumtum corruat, si demonstretur, aliam quoque notionem huc quadrare; quod eadem vox eodem hoc capite bis designet Ecclesiam, nec minus locis parallelis, in Epistola hac & ad Ephesios passim obviis, unde hunc significatum mittendum non esse arbitrarer, nisi primum probetur, consequi ex eo aliquid, quod aut cum connexione, aut scopo aut aliis rebus consistere nequeat: hoc, inquam, dubium hic intactum reliquit Vir pl. reverendus, atque infra demum §. 10. aperuit, quid sentiat.

§. 9.

Expensis igitur obiectionibus, quas humanissimus ELSNERUS argumentis meis, quibus vulgarem horum verborum interpretationem impugnare audebam, opposuit; jam ea, quæ contra meam ipsius expositionem attulit, quam fieri potest brevissime examinabo. Sunt vero duo, quapropter expositionem meam rejiciendam esse scribit: 1) *quia omnem omnino Typi & Antitypi rationem in sermone Apostolico removeat, cum tamen vox græca σκια tale quid nobis suppeditet, & particula δε, quæ anthithesin indicare solet, idem confirmet.* Nescio, cur humanissimus meus Adversarius adeo generatim pronunciet, me nullam prorsus Typi & Antitypi rationem habere, cum tamen de Sabbatho id satis dilucide & diserte docuerim. Sed corrigit se Ipse vir pl. rev. in not. b, atque id tantummodo male habet, quod in ceteris rebus nec Typum nec Antitypum agnoscam; Sabbathique significationem male exponam. Multa, quæ hic responderi poterant, in antecedentibus jam occupata sunt, quæ hic non repeto. Alia tantum adiungo, quibus hic locum destinaveram. Atque id primum vellem, doct. ELSNERUS me edocuisset, quidnam βρωσις & ποσις & novilunia adumbraverint, quod

in

in Christo & Ejus regno impletum sit. Sed hanc operam supervacaneam ratus est, *quia multi viri docti id jam pridem perspicue docuerint.* Utinam hac generaliore responsione acquiescere possem! At quæ vulgo de his rebus scripserunt, neutiquam ita comparata sunt, ut convictionem pariant. Quod ad *Cibum* pertinet; posito tantisper, ad interdictum impurorum ciborum respici; neminem novi, qui meliorem sanioremque ejus explicationem tradiderit, quam Ill. MICHAELIS in peregregio suo Compend. *theol. typ.* p. 85. seq. Sed Ipse de eadem quodammodo dubitat, atque adeo hoc minus ægre feret Vir Eruditissimus, si alii de ea dubii sunt & incerti. Equidem arbitror Ipsum Deum interdictum impurorum ciborum exposuisse clarissime. Act. X, 10-16. 28. Annon enim ex his verbis satis dilucide apparet, cibos impuros emblema fuisse gentilium, qui in oeconomia legis impuri & profani habendi erant a Iudæis, quorum consortio & consuetudine facile contaminari possent? Quod igitur Petrus animalia impura mactare & edere a Deo jussus esset; hoc perspicue edocebatur, non jam amplius gentes impuras habendas, sed his pari modo ac Iudæis in ecclesiam patere aditum. Quis vero sibi persuadeat, in visu illo Petri cibos impuros significationis fuisse diversæ

ab illa, quam Deus originarie cum illis conjunxerat. Quodsi ergo interdictum horum ciborum tantum emblema fuit fugiendi gentilium commercii; quis illud umbram fuisse existimet, cujus ipsum corpus in Christo aut Ejus ecclesia apparuerit?

Iam videamus, quid de *Potu* sentiendum sit. Posito, quod pl. rev ELSNERUS contendit, ad abstinentiam a vino Naziræis præceptam respici; quid hæc significavit? Quem typum Viri docti in ea monstrarunt? Ill. MICHAELIS lib. cit. p. 101. *Naziræus*, inquit, *tanquam lugens vini abstemius esse debuit.* Quid probabilius hac expositione, quid sanius? Ergo hæc abstinentia continuæ Naziræorum tristitiæ & mœroris emblema fuit. Num vero hujus tristitiæ Antitypum in ecclesia Christi deprehendimus? Quis ergo sibi persuadeat, Apostolum hoc interdictum ad σκιαν των μελλοντων referre?

De *Festis* & *Neomeniis* ut multa dicam, non opus est. Quum enim *esus* & *potio* ad umbram futurorum non pertineant; ratio plane non ad est, cur jam a vocibus εν μερει ἑορτης typos recenseri existimemus; sed longe convenientius est, ut via tutissima incedentes Sabbatha tantum hic umbram vocari dicamus. Non nego, hæc atque illa festa Typum fuisse. Id tantum nego, Apostolum nostro loco id nos docere. *Noviluniorum*

Anti-

Antitypum ill. MICHAELIS lib. cit. plane intactum reliquit: ex quo jure meritoque suspicari licet, Virum doctissimum pari modo dubitasse, num figuram futurorum habuerint. Legi relegique GEORG. LUD. RHODII diss. *de Noviluniorum apud Hebræos sacris*, ubi hæc materies dedita opera pertractatur. Sed discessi ab hac lectione minime convictus: neque enim Viri beate defuncti in minutissimis typum quærendi ratio arridere mihi potuit.

Quum ergo intricatiorem nodum non solverit doct. ELSNERUS, sc. qua ratione esus & potio & novilunia in ecclesia Christi nacta sint implementum: sane nec ægre ferre poterit, quod in his rebus Typi & Antitypi rationem removerim. Aliud vero de Sabbathis mihi statuendum fuit, quippe quæ Paulus umbram futurorum esse diserte affirmat. Sed alia jam quæstio existit, utrum vox σωμα horum *Antitypum* denotet. Hoc ego negaveram, Adversarius vero meus ex voce σκια & particula δε, quæ antithesin indicare solet, contrarium asserti mei patere arbitratur. At ex sola voce σκια nihil, mea quidem sententia, exsculpi potest. Notat enim *adumbrationem*, qualem pictores, imaginem picturi, delineare solent. Cum hæc notio omnium consensu voci σκια Hebr. X, 1. tribuenda sit, quis neget, eam & hic ap-

plicandam esse, nisi quid obstet. Quid vero obstat? Nihil, credunt, nisi vocem σωμα, quæ, uti particula δε satis clare edoceat, umbræ illi opponatur. At ejusmodi oppositionem ego quidem in his verbis non video, sed longe aliam, hanc scilicet: nemo vos condamnet in -- negotio -- Sabbathorum: quæ quidem Sabbatha umbra etiamnum sunt futurorum Sabbathorum; sed Ecclesia est Christi; h. e. quamvis verum sit, quod illi, qui vos condemnant, inprimis prætendunt, Sabbatha futuræ quietis etiamnum typum esse; minime tamen jus ipsis exinde derivare licet, vos condemnandi, cum Ecclesia Christi sit, quæ Ipsi immediate subiecta nullos præter Eum judices agnoscit. Conspirat hæc expositio, uti prolixius ostenderam, cum loco vere parallelo Rom. XIV, ubi Apostolus eodem argumento, a supremo Servatoris dominio desumto, eorum linguam compressit, qui in membra Christi in caussa earundem rerum illicitum ferre judicium haud erubescebant. Itaque nec ex voce σκια, nec ex particula δε consequitur, το σωμα significare *Antitypum*. Et quanam, quæso, de caussa opus erat, posteriora hæc verba addere, cum jam prioribus Antitypum Apostolus satis clare indicaverit? Dicens enim: ἁ εςι σκια των μελλοντων, hoc ipso luce clarius significat; hæc

μελ-

μέλλοντα esse ipsum Antitypum. Si dicas, Apostolum posterioribus verbis tantum indicare voluisse, ubinam hæc futura quærenda sint; tum aliter, ut ego quidem arbitror, animum suum expressisset. Dixisset procul dubio: ἅ ἐστι σκιὰ, τὸ δὲ σῶμα τοῦ χριστοῦ, vel ἅ ἐστι σκιὰ τῶν μελλόντων, ταῦτα δὲ τοῦ χριστοῦ; vel, τὸ δὲ σῶμα τούτων τοῦ χριστοῦ. Quum igitur prioribus jam verbis & Typum & Antitypum proposuerit Apostolus, annon jure suspicari licet, voci σῶμα alium significatum tribuendum esse? Præsertim cum notio *Antitypi* nullo prorsus nitatur fundamento, nisi quod eam ex opposito elucere perperam contendunt. At *corpus Christi* ecclesiam toties appellari, quis ignorat? Quis igitur frequentissimum hunc significatum hic quoque locum habere non suspicetur; præsertim cum & v. 9. & 19. vox σῶμα eadem plane significatione occurrat. Sed fefellit, nisi ego fallor, Interpretes illa opinio, ubi umbra sit, ibi & corpus esse debere, haud cogitantes, σκιὰν etiam adumbrationem denotare, seu primas lineas, quas pictores ducere solent, cujus oppositum hic non est σῶμα sed εἰκών.

§. 10.

Alteram objectionem inde petiit Vir pl. venerandus, *quod Apostolus procul dubio dixisset:*

ὑμεῖς

ὑμεις γαρ ἐςε το σωμα του χριςου; si expositio mea locum habere posset. Sufficiet, si ad hæc paucis respondeam, Paulum particula γαρ procul dubio usurum fuisse, nisi simul ad objectionem primariam, quam οἱ κρίνοντες illi prætendebant, sc. Sabbatha typum esse futuræ quietis, respexisset. Concedit igitur quidem, quod isti imprimis ratione horum Sabbathorum in ore gerere solebant, ut justitiam judicii sui in alios lati probarent. Sed ostendit simul, jus propterea ipsis minime competere, in eos ferendi judicium, qui in ecclesiam, cujus Servator solus Dominus & Iudex, tanquam membra recepti sint. Hoc nexu particula δε (& posuit & debuit uti Apostolus. Quod vero non dicit: ὑμεις ἐςε το σωμα του χριςου; id propterea non factum, quoniam Colossenses non totum corpus, sed tantum pauciora ejus membra fuerunt. Constat enim, sæpissime integram tantummodo ecclesiam illustri hoc nomine insigniri.

§. 11.

Iam denique ad propriam doct. ELSNERI, quam §. 11. in medium protulit, interpretationem deveniendum est. Convenit hæc quidem cum vulgari horum verborum expositione, quatenus omnia v. 16. memorata in typorum numerum refert, & in

in regno ſeu eccleſia Chriſti impleta eſſe vult; ſed poſteriora Apoſtoli verba alia ratione exponit. l) Nam ex Viri pl. rev. ſententia ellipſis ſtatuenda eſt, qua ſuppleta ita verba ſe habent: το δε σωμα του χριςου εςι σωμα. Fatendum omnino eſt, hac ratione difficultatem non minimam, qua vulgaris opinio premitur, ſublatam eſſe. Quum enim differant Chriſtus & Ejus regnum; dicere non potuiſſet Apoſtolus, corpus eſſe in Illo, ſi in hoc ſolo quærendum ſit. Num vero omnis omnino nodus hac Viri venerandi expoſitione ſolutus ſit, longe alia quæſtio eſt. Non repeto, quæ in antecedentibus uberius adſtruxi. Hæc enim ſi fundamento non carent, quod Lectoris judicio commiſſum ſit; certe nec omnia illa in Typorum numero haberi, nec poſteriora Apoſtoli verba de Antitypo eorum exponi poterunt. Duo hic tantum colophonis loco adiicio, quæ cum vulgarem, tum maxime pl. rev. ELSNERI explicationem ſuſpectam reddunt. Primum quidem admodum dubito, dici commode potuiſſe το ΣΩΜΑ της βρωσεως, της ποσεως, ἑορτης, της νεμενιας, των σαββατων. Concedo, σκιαν ejusmodi rebus haud inconcinne adſcribi poſſe; ſed tunc non um-


l) Simile tamen aliquid habet auctor obſervat. XIII, T. VI. obſervatt. Hal. q. 114. cf. WOLFIUS ad h. l.

umbram, qualis a corpore formatur, ſed adumbrationem aut rudiorem figuram, plenioris & abſolutæ imaginis capacem, hoc vocabulum ſignificat, Probetur igitur hæc locutio, nec ſolum ex arte oratoria, via perquam facili, excuſetur. Loca a Wolfio ex Auctoribus græcis adducta nihil probant. Neque enim eſt quæſtio, utrum Græci σκιαν & σωμα tanquam oppoſita conjungant; ſed an eodem ſignificatu de ſimilibus rebus has voces adhibeant. Alterum, quod maxime doct. mei Adverſarii ſentententiæ adverſatur, hoc quidem eſt, Apoſtolum, ſi vocem σωμα duplici ſignificatu induiſſet, eam non ſemel, quod facit, ſed *bis* poſiturum fuiſſe. Grata fuiſſet hæc repetitio, nec tantum grata, ſed & maxime neceſſaria, ſi alium ſenſum his verbis tribuere non debebamus. Rariſſima reor eſſe exempla, quibus una eademque vox duplici ſignificatu eodem commate adhibetur: ſed plane nullum proſtare crediderim, cujusmodi hic ſtatuitur, ubi vocabulum, quocum duplex notio coniungenda, ſemel tamen omiſſum eſt. Taceo, expoſitionem pl. rev. ELSNERI non ab omni contradictione immunem mihi videri. Patet hoc ex Paraphraſi ipſius verborum Apoſtolicorum, quam partim affero: *Ne quis igitur vos judicet*

dicet in cibo – utpote quæ omnia ſunt umbra futurorum bonorum, corpus vero, umbra hacce antiqua prædictum ſeu adumbratum, eſt Chriſti corpus, eccleſiæ, ſive vos fideles Coloſſenſes & omnes confeſſores Chriſti. Ergo Antitypus illarum rerum jam ſunt *futura bona*, jam *fideles* in oeconomia nova. Sed futurorum bonorum & fidelium magnam eſſe differentiam. non eſt, quod doceam.



III.



III.

ELIÆ PALAIRET, *)

REVERENDISS. IN DEO PATRI, JOANNI, BANGORII EPISCOPO A SACRIS, ET IN REGIA D. JACOBI ÆDE VICARII

AUCTORES SACRI CLASSICI

MATTHÆUS.

Cap. I, *v.* 18. Μνηστευθείσης γὰρ τῆς μητρὸς αὐτοῦ Μαρίας τῷ Ἰωσὴφ, πριν ἢ συνελθεῖν αὐτοὺς, εὑρέθη ἐν γαστρὶ ἔχουσα.) Notandum voculam Γαρ redundare. Sic & apud alios. *Aristoph.* Plut. act. 2. sc. 3. p. 40. Κατηγορεις γαρ πριν

*) Nomen Reverendi & Doctissimi PALAIRETI in Republica litteraria, præsertim quoad Litteraturam Græcam & Criticam Novi Testamenti adeo inclytum est ex observationibus ejus Philologico-Criticis in Sacros Novi Fœderis libros, emissis Lugduni Batavorum 1752, dum Pastorem Ecclesiæ Gallicæ Tornacensem agebat, ut nullus dubitem quin quæ ad vindicandum stylum librorum Sacrorum Classicum, hic immensa ad invidiam usque lectione Scriptt. Græcorum & inde-

πρὶν μαθεῖν τὸ πρᾶγμα. *Accuſas, priusquam anquiſiveris rem meam.* Item *Aeſchyl.* Agam. v. 14. Φόβος γαρ ἀνθ᾽ ὕπνου παραςατεῖ. *Metus ſomni vice mihi adſtat:* ubi *Schol.* περισσὸς ὁ γαρ. Similiter *Enim* redundat apud *Plaut.* Cas. Act. 2. Sc. 6. v. 20. *Dicam* ENIM, *mea mulſa, de iſtac Caſina huic noſtro villico gratiam facias,*

Redundat inſuper verbum Εὑρεθῆναι in hoc loco, Εὑρέθη ἐν γαςρὶ ἔχουσα, pro Ἐν γαςρὶ εἶχεν. *Euripid.* Hec. v. 269. Ἀδικοῦσα θ᾽ ἡμῶν ὐδεν ἧττον εὑρέθη: pro ἠδίκησε. *Injurioſa non minus quam nos fuit.* Sic *Dionyſ. Halicarn.* p. 431. Ἐαν δὲ φενακίζων ὑμᾶς εὑρεθῶ, χρήσασθε ὅ, τι βούλεσθε: pro ἐφενάκισα. *Si vos deceperim, tractate me, prout volueritis.*

Notanda ellipſis in Πρὶν ἢ συνελθεῖν αὐτοὺς. Sc. εἰς ὁμιλίαν. Nobis præit *Diodor. Sicul.*

indefeſſa cura protulit, Viri in hoc ſtudiorum genere exercitati cum voluptate excepturi ſint. Lucubrationes omnes, quæ Evangelia abſolvunt, ad prelum paratas fidei meæ jam commiſit Cel. Auctor, pedetentim Deo volente, Bibliothecam hanc exornaturas. Ut ceteros quoque N. F. libros ita feliciter animo & corpore vegetus abſolvere poſſit, multaque luce Sacra Oracula illuſtret, eſt quod amice & candide voveo. N. B.

Sicul. l. 3. p. 227. Συνελθοῦσαν εἰς ὁμιλίαν αὐτῷ λάθρα, καὶ γενομένην ἔγκυον, ἐπιγνωσθῆναι - - ὑπὸ τῶν γονέων. *Clam cum venisset in congressum cum eo, prægnans facta esse deprehenditur a parentibus.*

Vs. 20. Ταῦτα δέ αὐτοῦ ἐνθυμηθέντος - - τὸ γὰρ ἐν αὐτῇ γεννηθὲν ἐκ Πνεύματος ἐστιν ἁγίου.) *Hipparchus* in Opuscul. Mytholog. p. 671. Διὸ ταῦτα μὲν ἐνθυμηθέντες - - ἐν εὐθυμίᾳ διάξομεν γενναίως φέροντες τὰ προσπίπτοντα. *Qua propter hæc animo volventes - - bono animo vivemus, fortiter ferentes quæ acciderint.* Τὸ γεννηθὲν est *Infans.* Ita quoque usurpavit *Athenagoras* Legat. p. 135. Εκτιθέναι μεν τὸ γεννηθέν. *Exponere infantem.*

Vs. 22. Τοῦτο δέ ὅλον γέγονεν, ἵνα πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν ὑπὸ τοῦ κυρίου.) ὅλον pro Πᾶν. Sic ὅλαι pro Πᾶσαι dixit *Herodian.* l, 7. p. 330. Οὐσίαι τε ὅλαι πλουσίων ἀνδρῶν διηρπάγησαν. *Bonaque omnia divitum direpta fuerunt*, Ultima phrasis occurrit apud *Dionys. Halicarn.* l. 7. p. 437. Ἐδήλωσαν αὐτῷ τοὺς ἐν τῇ βουλῇ ῥηθέντας λόγους ὑπὸ τοῦ Μαρκίου: *Indicavit ipsi verba dicta in curia a Marcio.*

Vs. 23. Ὅ ἐστι μεθερμηνευόμενον.) *Dionys. Halicarn.* l. 4. p. 270. Τοῦτο μεθερμηνευόμενον - - συμβούλους ἢ προβούλους δύναται δηλοῦν. *Quod, si interpretari velimus, consules sive proconsules significat.* Item *Diodor.* l. 1. p. 16. Τὸ δ' ὑγρὸν ὀνομάσαι λέγουσι τοὺς παλαιοὺς ὠκεανὴν

ἀνην, ὁ μεθερμηνευόμενον μὲν εἶναι τροφὴν μητέρα *Humorem priſcos oceanum vocaſſe ajunt, quod ex interpretatione alimonia mater eſt.*

Cap. II, v. 1. Μάγοι ἀπὸ ἀνατολῶν παρεγένοντο εἰς Ἱεροσόλυμα.) Optime *Camero* vertit priora verba *Magi orientales.* Eodem ſenſu occurrit præpoſitio Ἀπὸ apud *Matth.* c. 21. v. 11. *Actor.* c. 10. v. 23. & c. 17. v. 13. *Damagetus* in Antholog. Gr. l. 1. epigr. 6. p. 4. Ἀπὸ Μεσσάνας - - εἰμὶ παλαιστάς. *A Meſſana - - luctator ſum.* Idem ibid. l. 4. c. 8. epigr. 9. p. 449. Εἴη τὸν ἀπ' Ἄργεος ἀνέρα νικᾷν. *Liceat virum Argivum vincere.* Alteram quoque phraſin exhibet *Philoſtrati* Apoll. epiſt. 76. p. 408. Εἰκὸς εἰς πόλιν - - παραγενέσθαι. *Par erat in urbem - - venire.* Item *Antonius Liberal.* c. 20. p. 158. Παραγενόμενος δὲ εἰς Βαβυλῶνα. *Cum veniſſet Babylonem.*

Vſ. 2. Καὶ ἤλθομεν προσκυνῆσαι αὐτῷ.) Non opus eſt ut cum aliis *Codd.* legamus προσκυνῆσαι αὐτόν. Proba eſt lectio, in qua fruſtra Hebraicam conſtructionem ſomniarunt *Leusdenus, Paſor, Wyſſius* & alii. Eodem modo loquitur elegantiſſ. *Aelian.* hiſt. animal. l. 10. c. 24. qui de *Accipitre*, quem Tentyritæ colunt, ait: Ταύτῃ τοι καὶ προσκυνοῦσι. *Hunc quoque adorant.* Inſuper velim notari, particulam Καὶ ante ἤλθομεν. plerumque languide *Et* verti. Redde potius, *Propterea, Quare, Ideo.* Sic & apud *Longum* Paſto-

ftoral. l. 3. p. 86. Γαλήνη δὲ ἦν, καὶ ἐρέσσειν ἐδόκει. *Malacia erat, quare remigare visum fuit.* Adde *Philodemum* in Antholog. Gr. l. 7. epigr. 89. p. 608

Ἔξιθι μαρτυρίην γὰρ ἔρως μόνος οὐκ ἐφίλησεν
Ἔμπνουν, καὶ τύκτην κλεῖε, Φιλαινὶ, θύραν.

Exi: testimonium enim solus amor non amat
Vivum: quare affabre factam claude, Philæni, januam.

Item *Anacreont* ode 26. v. 9.

Τέρπει μὲ κ' Ἀφροδίτα,
Καὶ πάλιν θέλω χορεύειν.

Delectat me Venus,
Quare iterum volo saltare.

Vs. 3. Ἀκούσας δὲ Ἡρώδης - - ἐταράχθη.) Pro Ἀκούσας δὲ τοῦτο. vel ταῦτα. *Xenoph. Ephes:* l. 2. p. 25. Ἀκούσας ὁ λεύκων δακρύων ἐπλήσθη. *Auditis.* (fc. his) *Leucon lacrymis oppletus est.* Plenius loquitur *Aelian.* var. hift. l. 12. c. 9. Τοῦτο ἐκεῖνος ἀκούσας - - ἀπῆλθεν - - τῆς πατρίδος. *Ille, hoc audito - - cessit patria.* Et *Anacreon* ode 3. Ἐλέησα, ταῦτ' ἀκούσας. *Misertus sum, his auditis.*

Vs. 4. Καὶ συναγαγὼν πάντας - - ἐπυνθάνετο παρ' αὐτῶν) In συναγαγὼν fupple εἰς ταὐτό. *Polyæn.* l. 4. p. 337. Συναγαγὼν (fc. εἰς ταὐτό.)

τὸ) τοὺ φίλους. *Coactis* (ſc. *in unum*) *amicis*, Integre loquitur *Plutarch.* apud *Stobæum* Serm. 149. p. 516. Τοὺς φίλους συναγαγὼν εἰς ταὐτὸ, διελύσατο τὴν φιλίαν πρὸς αὐτοὺς *Amicis in unum coactis, amicitiam cum illis dirupit.* Adde pro altera phraſi *Dionyſ. Halicarn.* l. 9. p. 617. Ἐντολὰς αὐτοῖς δόντες πυνθάνεσθαι παρὰ τῶν ἡγεμόνων, πότερα κοινῇ γνώμῃ τὰ λῃστήρια ἐξαποστέλλουσιν. *Injungentes illis rogare principes populi, num communi conſilio latrocinia emitterentur.*

Vſ. 6. Καὶ σὺ Βηθλεέμ, γῆ Ἰούδα -- ἐν τοῖς ἡγεμόσιν Ἰούδα.) Fruſtra ſunt alii *Codd.* qui pro γῆ Ἰούδα legunt. τῆς Ἰουδαίας. Hic Γῆ ponitur pro Πόλις. Eodem ſenſu occurrit *Matth.* c. 10. v. 15. & c. 14. v. 34. ut & apud Septuaginta Interpretes *Jeremiæ.* c. 34. v, 22. Καὶ ἐπιστρέψω αὐτοὺς εἰς τὴν γῆν ταύτην. *Et ipſos redire faciam in hanc civitatem.* Adde *Aeſchyl.* Sept. contra Theb. v. 105.

> τί ῥέξεις; προδώσεις
> Τὰν σὰν γᾶν;

Quid facies? prodetne tuam urbem? ubi *Schol.* τὸ γᾶν per πόλιν rectiſſime exponit

Jam oſtendimus, per τοῖς ἡγεμόσιν, *Primarias civitates Judæ* intelligendas eſſe. Adde *Dionyſ. Halicarn.* l. 1. p. 7. qui de urbe *Roma* loquens, ita pergit, τὴν ἡγεμόνα γῆς καὶ θαλάσσης ἁπάσης πόλιν, ἣν νῦν κατοικοῦσι Ῥωμαῖ-

οι, παλαιότατοι τῶν μνημονευομένων λέγονται κατασχεῖν Βάρβαροι Σικελοί. *Urbem terræ marisque totius ducem, quam nunc Romani habitant, primi omni in memoria tenuisse dicuntur Barbari Siculi.*

Vſ. 7. Λάθρα καλέσας αὐτούς.) Nimium conſpicui erant *Magi*, quam ut hæc verba de ſimplici *vocatione ad colloquium* intelligerentur. Καλέσας elliptice ponitur pro καλέσας ἐπ' ἄριςον, vel ἐπὶ δεῖπνον, vel ἐπὶ ἑςίασιν. Ita quoque abſolute loquitur *Plutarch.* de Garrul. p. 511. Ἐκάλεσας αὐτόν; ἔγωγε εἶπεν. *Invitaſtine ipſum? omnino, inquit.* Et *Xenoph.* Memor. l. 2. p. 600. Ὁπότε θύοι, ἐκάλει. *Quoties rem ſacram faciebat, invitabat.* Plenius habent alii. *Ariſtoph* Avib. p. 614. Τοὺς πρέσβεις ἐπ' ἄριςον καλῶ. *Legatos ad cœnam voco.* Item *Dionyſ. Halican.* l. 2. p. 122. Καλεῖν αὐτοὺς ἐπὶ δεῖπνον. *Vocare ipſos ad cœnam.* Ut & *Appian. Alexandr.* de bell. Civ. l. 1. p. 678. Ἐπὶ ἑςίασιν ἐκάλει Νωρβανόν τε καὶ τοὺς συνόντας. *Ad epulum vocat Norbanum, & qui cum eo erant.*

Vſ. 8. Καὶ πέμψας αὐτοὺς - - εἶπε - - ἀκριβῶς ἐξετάσατε περὶ τοῦ παιδίου.) Sic *Achill. Tat.* l. 6. p. 385. Τότε μὲν οὖν εἰπὼν ἐξετάσειν περὶ τῶν εἰρημένων. *Tum vero affirmans, ſe anquiſiturum in ea, quæ dicta fuerunt.* Ceterum heic loci πέμψας, ut monuit magnus *Grotius*,

pro

pro προπέμψας ponitur. Sic *Aeſchyl.* Eum. v. 12.

Πέμπουσι δέ αὐτὸν, καὶ σεβίζουσιν μέγα.
Deducunt autem illum, & colunt magnopere.

Vſ. 9. Οἱ δὲ ἀκούσαντες τοῦ βασιλέως ἐπορεύθησαν, καὶ ἰδὲ ὁ ἀςὴρ -- ἔςη ἐπάνω οὗ ἦν τὸ παιδίον.) Hic ἀκούσαντες verterem *Obtemperantes.* Ita quoque accipitur. *Matth.* c. 18. v. 15. Ἐὰν σε ἀκούσῃ. *Si tibi obtemperaverit.* Et *Marci*, c. 6. v. 20. Καὶ ἀκούσας αὐτοῦ πολλὰ ἐποίει. *Et obtemperans ipſi multa faciebat.* Sic *Aelian.* var. hiſt. l. 3. c. 16. Ὅτι λυσιτελέςερον ἐςι τῶν Ἀθηναίων ἀκȣειν. *Utilius eſſe Athenienſibus obtemperare.* Item *Homer.* odyſ. η. v. 11.

Θεȣ̃ δ' ὡ̃ς δῆμος ἄκουεν.
Et veluti Deo populus obtemperabat.

Adde *Heſiod.* ἐργ. v. 213. Σὺ δ' ἄκουε δίκης. *Tu vero obtempera iuſtitiæ:* ubi *Tzetzes*, ἄκουε.) πειθόμενος ἔσο. Notandum inſuper pro Ἔςη in aliis *Codd.* ἐςάθη reperiri, quod merum gloſſema eſt Amanuenſium, qui forte non intellexerunt ellipſin, quæ hic obtinet. Ἔςη ponitur pro ἔςη ἑαυτὸν, *Collocavit ſe.* Sic *Herodian* l. 4. p. 178. *In altera parte nobiliſſimorum & patriciorum puero-*

erorum Χορὸς ἔςηκε. ſc. ἑαυτον: *chorus collocavit,* ſc. *ſe.*

Vſ. 13. Φεῦγε εἰς Αἴγυπτον - - τοῦ ἀπολέσαι αὐτὸ. *Antonin. Liberal.* c. 28. p. 224. Ἔφυγον πάντες εἰς τὴν Αἴγυπτον. Pro τοῦ ἀπολέσαι in quodam *Cod.* legitur τοῦ ἀποτεῖναι.. Eſt gloſſa. *Herodian.* l. 6. p. 275. Ἐπυνθάνοντο τούς οἰκείȣς ὑπὸ Γερμανῶν ἀπολωλότας. *Audiebant ſuos a Germanis occiſos eſſe.*

Vſ. 14. Παρέλαβε - - νυκτός.) Statuit *Paſor* in Lex. νυκτὸς adverbialiter poni. Quis tales nugas non ſtupet? Datur ellipſis pro Διὰ νυκτὸς, vel Νυκτός ἐπιςάσης. *Polyæn.* l. 1. p. 79. Νυκτὸς ἐπιπλέων. *Nocte navigans.* Plenius *Anacreon* ode 8. Διὰ νυκτὸς ἐγκαθεύδων. Et *Ælian.* hiſt. animal. l. 9. c. 13. Νυκτὸς δ' ἐπιςάσης ἀλλήλων ἀπολαύȣσιν. *Nocte oborta, ſe invicem fruuntur.*

Vſ. 15. Ἕως τῆς τελευτῆς Ἡρώδȣ.) Τελευτὴ, *Finis,* ſc. βίȣ, vel ζωῆς. *Diogen. Laërt.* l. 2. c. 10. Μετὰ τὴν Σωκράτους τελευτὴν. ſc. βίȣ, vel ζωῆς. Addit *Philoſtrat.* vita Apoll. l. 1. p. 36. Τελευτὴν ὑποπτεύσας τοῦ βίȣ. *Finem ſuſpicatus vitæ.* Et incertus Auctor in *Antheolog. Gr.* l. 1. c. 90. epigr. 2.

Ὦ ζωῆς ἀόριςος ἐν ἀνθρώποισι τελευτή.
O vitæ indefinitus inter homines finis!

Vſ. 16. Ἐθυμώθη λίαν.) Verbum hoc ſemel tantum occurrit in N. T. *Lucilius* in An-

Antheolog. Gr. l. 2. c. 32. epigr. 2. τῷ πατρὶ θυμωθεὶς. *Callimach*. epigr. 25.

— — Ἀνδρὶ δὲ ἱππεῖ
Θυμωθεὶς. — —

Vſ. 18. Καὶ οὐκ ἤθελε παρακληθῆναι.) Primo obſervandum Καὶ poni pro Ἢ, *Quæ*. Sic occurrere ſolet apud Sacros & Profanos Auctores. *Matth*. c. 11. v. 16. & 17. Ὁμοία ἐςὶ παιδαρίοις - - καὶ λέγουσιν. *Similis eſt pueris -- qui dicunt*, ubi ex mera gloſſa quidam *Cod*. apud cl. *Wetſten*. pro καὶ legit ἃ, quam lectionem *Syrus* Interpres ſecutus eſt. Similiter *Matth*. c. 15. v. 30. Καὶ ἐθεράπευσεν αὐτοὺς. *Qui ſanavit eos*. Item c. 24 v. 39. Καὶ ἦρεν ἅπαντας. *Quod* (diluvium) *abſtulit omnes*. Adde *Aelian*. hiſt. animal. l. 1. c. 1. Καλεῖται τις Διομήδεια νῆσος, καὶ ἐρωδιὺς ἔχει πολλούς. *Vocatur quædam Diomedea inſula, quæ ardeas habet multas*. Et *Lucian*. opp. T. 3. p. 247. Μετὰ σὲ δὲ ὁ Ἀδείμαντος ἦν - - καὶ με - - παρέπεμψε χειραγωγῶν. *Poſt te vero Adimantus erat - qui me -- manu prehenſum ducebat*.

Deinde Οὐκ ἤθελε vertendum eſſe, *Non potuit*, jam oſtendimus. Ulterius patebit ex ſequentibus. *Pauſan*. l. 3. p. 277. de ſimulachris quibusdam loquens ait: ταῦτα θάλασσα ἀποκινεῖν οὐκ ἐθέλει. *Hæc mare deturbare non poteſt*. Sic *Ariſtoph*. Avib. v. 582.

introducit quendam dicentem, Οὐκ ἐθελήσει μὰ Δί. *Non poterit per Jovem*; ubi *Schol.* Οὐκ ἐθελήσει) ἀντὶ τοῦ, Οὐ δυνήσεται. Sic & *Solon* in Poët. Gnomic. p. 137.

Οὕτω δὴ μόσιον κακὸν ἔρχεται οἴκαδ' ἑκάςῳ,
Αὔλειοι δὲ τ' ἔχειν οὐκ ἐθέλουσι θύραι.

Sic publicum malum cujuslibet ædes occupat, neque vestibulares illud possunt excludere fores.

Vs. 19. Τελευτήσαντος δὲ τοῦ Ἡρώδου.) In τελευτήσαντος supple αἰῶνα, vel βίον, vel τὸ ζῆν. Elliptica exempla passim occurrunt. Plene loquitur *Herodot.* l. 1. Πρὶν ἂν τελευτήσαντα καλῶς τὸν αἰῶνά πύθωμαι. *Priusquam præclare eum finivisse ævum suum rescivero.* Item *Dionys. Halicarn.* l. 1. p. 39. Ἐκεῖ λέγουσι τελευτῆσαι τὸν βίον. *Illic dicunt eum finivisse vitam.* Nec non *Artemidorus* Oneirocrit. l. 1. c. 60. p. 51. τὸ ζῆν τελευτήσαντες ἀφίξονται: *Finita vita abibunt.*

Vs. 20. Τὴν ψυχὴν τοῦ παιδίου.) Elegans periphrasis, pro Τὸ παιδίον. Ita quoque in aliis locis, ut *Actor.* c. 14, v. 2. Τὰς ψυχὰς τῶν ἐθνῶν, pro Τὰ ἔθνη. *Rom.* c. 2. v. 9. Ἐπὶ πᾶσαν ψυχὴν ἀνθρώπου, pro Ἐπὶ πάντα ἄνθρωπον. Similiter *Antiphilus* in Antholog. Gr. l. 1. c. 35. epigr. 2.

-- -- Ψυχὰς ἀνδρῶν κέρδεσιν ἠρεθίσας:
Animas hominum lucris inescati:

Pro

Pro Ἄνδρας. Item *Euripid.* Hecuba v. 84.

Ποῦ ποτε θείαν Ἑλένου ψυχὰν
-- ---- ἐσίδω; -- -- --

Ubi tandem divinam Heleni animam
-- -- *conſpiciam?*

pro θεῖον Ἕλενον. Hinc ibi *Paraphraſt.* θείαν Ἑλένου ψυχὴν) περιφραςικως ἀντὶ τȣ͂ τὸν Ἕλενον.

Vſ. 23. Κατώκησεν εἰς πόλιν - - - ὅτι Ναζωραῖος κληθήσεται.) Primo εἰς πόλιν, pro ἐν πόλει. Ea permutatio præpoſitionis frequentiſſima eſt. Sic *Ioann.* c. 1. v. 18. Ὢν εἰς τὸν κόλπον, pro ἐν τῷ κολπῳ. Adde *Diodor. Sicul.* l. 3. p. 226. Εἰς ὄρος (pro Ἐν ὄρει) ἐκθεῖναι. *In monte exponere.* Similiter *Pindar.* olymp. ode 10. v. 1231 & 1233.

- - - Ἴδε πατρίδα
Βαθὺν εἰς ὄχετον ἄτας - -

- - - *Vidit patriam*
Profundo in gurgite calamitatis - -

pro ἐν βαθεῖ ὀχέτῳ. *Dionyſ. Halicarn.* l. 2. p. 132. Ἀπέφαινεν νὶς την βουλην: pro ἐν τῇ βουλῃ. *Declaravit in Senatu.* Idem apud Latinos obtinet. *Aul. Gell.* Noct. Attic. l. 1. c. 19. *Libri tres in ſacrarium* (pro *in ſacrario*) *conditi Sibyllini appellati.* Itemque Plaut. Caſ. act. 2. Sc. 3. v. 26. *Ubi in luſtra* (pro *in luſtris jacuiſti*?

Dein-

Deinde τὸ κληθήσεται pro ἔσεσθαι poni jam post alios ostendimus. Hæc pauca insuper habeto. *Euripid.* Alc. v. 331.

- - Καὶ θανοῦσ' ἐμὴ γυνὴ
Μόνη κεκλήσῃ - - -

- - *Et mortua mea uxor*
Sola eris - - -

Necnon *Aeschyl.* Sept. contra Theb. v. 933.

Δυσδαίμων σφὶν ἁ τεκοῦσα
Πρὸ πασῶν γυναικῶν, ὁπόσαι
Τεκνογόνοι κέκληνται.

Infelix quæ eos peperit
Pro omnibus feminis, quotquot
Proliferæ fuerunt.

Cap. III, *v.* 2. Καὶ λέγων - - ἤγγικε.) Nimis languide λέγων vertitur *dicens*, cum potius *altiori voce clamans* significet. Sic *Matth.* c. 27. v. 29. λέγοντες, χαῖρε. *Clamantes, Salve!* Sic & apud *Dionys. Perieget.* v. 702. & 704.

Καὶ μετὰ Ληναίων ἱερὸν χορὸν ἐστήσαντο,
Εὐοῖ Βάκχε λέγοντες - - - -

Atque cum Lenæis sacram choræam duxerunt,
Euoë Bacche! clamantes - - -

Eodem sensu usurpatur τὸ *Dicere* apud Latinos. *Ovid.* Fast. l. 4. v. 456.

Me

- - *Me miſeram! filia, dixit, ubi es?*

ubi alii *Codd.* ex mera gloſſa pro *dixit* legunt *clamat.*

Merito cl. *Hombergius* vertit τὸ ἤγγικε, *appropinquat;* præteritum enim pro præſenti ponitur. Sic *Ioann.* c. 1. v. 34. Μεμαρτύρηκα, pro Μαρτυρῶ. Et c. 5. v. 45. Εἰς ὃν ὑμεῖς ἠλπίκατε, pro ἐλπίζετε. Adde Xenophont. *Epheſ.* l. 2. p. 26. Ἔχω μὲν - - τὴν εὔνοιαν τὴν σὴν, κὶ στέργεσθαι διαφερόντως, ὑπὸ σοῦ πεπίστευκα. *Novi equidem benevolentiam tuam, & me eminenter a te amari confido.*

Vſ. 5. Τότε ἐξεπορεύετο πρὸς αὐτὸν Ἱεροσόλυμα καὶ πᾶσα ἡ Ἰουδαία.) Eodem modo loquuntur Exotici. *Philoſtrat.* vita Apoll. l. 4. p. 147. Οὕτως ἐς τὸ ἱερὸν τοῦτο ξυνεφοίτα ἡ Κρήτη. *Ita ad hoc templum confluebat Creta.* Item *Appion Pliſtonices* apud *Aul. Gell.* Noct. Attic. l. 7. c. 9. Διεχεῖτο δ' ἄρα ἡ Ῥώμη καὶ πᾶσα Ἰταλία θεάσασθαι ἰχθύν. *Confluebat igitur Roma & tota Italia ad videndum piſcem.*

Vſ. 9. Καὶ μὴ δόξητε λέγειν ἐν ἑαυτοῖς.) Pro καὶ μὴ λέξητε ἐν ἑαυτοῖς, ſolet eleganter pleonaſtice uſurpari verbum δοκεῖν. Sic *Lucæ* c. 22. v. 24. Τίς αὐτῶν δοκεῖ εἶναι μείζων; pro ἐστι μείζων. 1 *Cor.* c. 7. v. 40. Δοκῶ δὲ κἀγὼ πνεῦμα θεοῦ ἔχειν: pro Κἀγὼ ἔχω. Item ibid. c. 11. v. 16. Εἰ δέ τις δοκεῖ φιλόνεικος εἶναι: pro φιλόνεικος ἐστι. *Galat.* c. 3. v. 4. Εἴ τις δοκεῖ

ἄλλος

ἄλλος πεποιθέναι ἐν σαρκί: pro πέποιθεν ἐν σαρκί. *Hebr.* c. 4. v. 1. Δοκῇ τις ἐξ ὑμῶν ὑςερηκέναι: pro ὑςερηκῇ. Ibid. c. 12. v. 11. Οὐ δοκεῖ χαρᾶς εἶναι: pro Οὐ χαρᾶς ἐςιν. Sic & *Euripid.* Alc. v. 82.

- - - - Πείθου λόγοις
Ἐμοῖσιν εἴπερ ὀρθά σοι δοκῶ λέγειν.

- - - - *Obtempera verbis*
Meis, si quidem recta tibi dico:

pro ὀρθά σοι λέγω. Similiter *Chariton.* l. 4. p. 73. Ὅς δὴ καὶ μέγιςος εἶναι δοκεῖ: pro μέγιςος ἐςι. *Qui sane maximus est.*

Vs. 10. Ἤδη δὲ καὶ.) i. e. *Quin etiam.* Sic *Xenoph. Ephes.* l. 1. p. 5. Ἤδη δὲ καὶ τῶν παρθένοις πρεπόντων καταφρονοῦσα. *Quin etiam ea, quæ virgines decent, despiciens.* Item *Diogen. Laërt.* l. 8. c. 1. Ἤδη δὲ καὶ εἰς παροιμίαν ἐχώρησεν. *Quin etiam in proverbium cessit.*

Vs. 12. Οὗ τὸ πτύον ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ.) Sc. ἐςι. Eadem ellipsis occurrit apud *Philostrat.* Icon. p. 888. Πηλεὺς δὲ οὗτος προβέβληται φοινικοῦν φάρος, μάχαιρα δὲ αὐτῷ - - ἐν χερσίν. Sc. ἐςι. *Peleus autem iste purpureum pallium promittit, & gladius ipsi - - in manibus.* Sc. *est.*

Vs. 14. Διεκώλυεν αὐτὸν - - καὶ σὺ ἔρχῃ πρός με;) Non opus est in Διεκώλυεν emphasin quandam statuere cum *Beza*; quasi esset, *Ob-*

Obnixe prohibuit. Significat ſimpliciter *Prohibuit.* Sic *Dionyſ. Halicarn.* l. 9. p. 610. Τοὺς ὑπὲρ αὐτοῦ δεῖσθαι παρεσκευασμένους διεκώλυε. *Eos, qui pro ipſo deprecari parabant, prohibuit.* Et *Diodorus Sicul.* l. 5. p. 346. de Tyrrhenis loquens, qui coloniam in inſulam quandam mittere moliebantur, loquens, addit: Διεκώλυσαν αὐτοὺς Καρχηδόνιοι. *Prohibuerunt eos Carthaginenſes.*

Simili emphaſi τὸ Καὶ σύ uſurpatur apud *Aelian.* var. hiſt. l. 9. c. 20. qui narrat, cum Ariſtippus, oborta tempeſtate, turbaretur, quosdam dixiſſe, καὶ σὺ δέδοικας ὡς οἱ πολλοί; *& tu times quemadmodum vulgus?*

Vſ. 15. Πρέπον ἐςίν.) Similiter *Lyſias* orat. 18. p. 318. Νῦν δὲ πρέπον ἐςὶ καὶ ὑμᾶς ἀκοῦσαι μου. *Nunc autem decet, vos me quoque audire.* Et *Sophocl.* apud *Stobæum* Florileg. tit. 110. p. 459. Ἐςὶ θρηνεῖσθαι πρέπον. *Lugeri decet.*

Vſ. 17. Οὗτος ἐςιν ὁ υἱός μου ἀγαπητὸς, ἐν ᾧ εὐδόκησα.) Ἀγαπητὸς eſt *Unicus.* Ita & *Matth.* c. 12. v. 18. Ἰδοὺ ὁ παῖς μου - ὁ ἀγαπητός μου. Similiter apud LXX., qui vocem Hebræam, quæ *Unicum* ſignificat, per ἀγαπητὸς exprimunt, ut *Ierem.* c. 6. 26. & *Geneſ.* c. 22. v. 2. Λάβε τὸν υἱόν σου τὸν ἀγαπητόν. h. e. *unicum.* Patet ex *Aquila*, qui pro τὸν ἀγαπητὸν uſurpavit τὸ μονογενῆ. Adde *Diodor. Sicul.* l. 1. p. 83. qui notat Aegyptios regem

regem ſuum fato functum per aliquot dies lugere, καθάπερ ἀγαπητοῦ τέκνου τελευτήσαντος: *Quaſi unicus filius mortuus eſſet.*

Deinde obſervandum τὸ Εὐδόκησα hic pro præſenti Εὐδοκῶ, citra *Hebraiſmum*, quem quidam invita minerva ſomniarunt, uſurpari. Similiter *Matth.* c. 1. v. 20. Ενθυμηθέντος: & c. 5. v. 46. Ἀγαπήσατε: pro quibus alii *Codd.* legunt Ἐνθυμουμένου, Ἀγαπᾶτε, quæ meram gloſſam redolent. Simili modo Aoriſti occurrunt apud Exoticos. *Aelian.* hiſt. animal. l. 1. c. 2. Ὅταν θῆλυ συλλάβωσιν, ἔδησαν (pro δέουσι) καὶ ἐπισύρουσιν. *Cum femellam comprehenderunt, ligaverunt* (pro *ligant*) & *trahunt.* Id. ibid. c. 3. Ἀτρεμοῦντος μὲν ἔχει τὴν ἄγραν, κινηθέντος δὲ ἀνεχώρησε: pro ἀναχωρεῖ. *Si immotus maneat, hunc prædam ſibi facit, ſi vero moveatur, diſceſſit:* pro *diſcedit.* Adde *Sophocl. Aj. flag.* v. 536.

Ἐπήνεσ' ἔργον καὶ πρόνοιαν ἣν ἔθου.
Laudavi factum, & diligentiam, quam adhibuiſti.

Pro *Laudo.* Patet ex *Schol.* Ἐπήνεσα) ἀντὶ τοῦ Ἐπαινῶ

Cap. IV v. 1. Εἰς τὴν ἔρημον.) Sc. χώραν. Addit *Diodor. Sicul.* l. 4. p. 263. Πολλὰ κατὰ τὴν ἔρημον χώραν. *Multa per deſertam regionem.*

Vſ. 2.

Vſ. 2. Ὕστερον ἐπείνασε.) Pro χρόνῳ ὕστερον. *Diogen. Laërt.* l. 6. c. 1. ὕστερον δὲ παρέβαλε Σωκράτει. *Tandem ſe Socrati applicuit.* Plenius loquitur *Antonin. Liber.* c. 4. p. 30. χρόνῳ δ' ὕστερον - - ἐλθεῖν. *Tandem vero - - veniſſe.* Et *Achill. Tatius.* l. 8. p. 479 χρόνῳ δὲ ὕστερον χαρίζεται τὸ χωρίον τῇ Ἀρτέμιδι. *Tandem vero donat agrum Dianæ.*

Vſ. 3. Οἱ λίθοι οὗτοι.) Hic *Hebraiſmum* repperit *Camero.* Fruſtra eſt. *Cinnamus.* l. 4. p. 301. Ὅσις δὲ ὁ λίθος οὗτος - - ὁ λόγος ἑξῆς διηγήσεται. *Qualis autem hic fuerit lapis - - ſequens narratio oſtendet.* Item *Dionyſ. Halicarn.* l. 3. p. 183. Ταῦτα διαπραξάμενος ὁ βασιλεὺς οὗτος. *Cum hæc perpetraſſet hicce Rex.*

Vſ. 4. Οὐκ ἐπ' ἄρτῳ μόνῳ ζήσεται ἄνθρωπος.) Eandem phraſin exhibet *Iſocrat.* Panathen. p. 370. Οὐκ ἀγαπῶ ζῶν ἐπὶ τούτοις. *Non contentus ſum ex his vivens.*

Vſ. 5. Τότε παραλαμβάνει αὐτὸν ὁ διάβολος.) *Beza* vertit παραλαμβάνει, *acceptum tranſtulit*, & inter *Hebraismos* refert, ubi verbum alterum altero comprehenditur. Nugæ! Παραλαμβάνειν eſt *ſecum aſſumere, ſecum ducere.* Sic *Antonin. Liberal.* c. 21. p. 84. Παραλαβὼν τὴν κόρην. *ſecum ducens puellam.* Item *Xenoph. Epheſ.* l. 3. p. 40. Παραλαβὼν δὲ αὐτὸν τὰ μὲν πρῶτα κατάκλειστον εἶχε. *ſecum ducens ipſum, primo occluſum tenuit.*

Vs. 6. Ὅτι τοῖς ἀγγέλοις αὐτοῦ ἐντελεῖται περί σου - - μήποτε προσκόψῃς πρὸς λίθον τὸν πόδα σου.) Prior phrasis occurrit apud *Achill. Tat.* l. 6. p. 391. Ἐγὼ δὲ ἐντειλάμενος αὐτοῖς περὶ τῆς Λευκίππης - - τὴν ψυχὴν εἶχον ἐπὶ τρυτάνης ἐλπίδος καὶ φόβου. *Ego autem, cum præcepissem illis de Leucippe - - angebar animo spe metuque.* Altera apud *Appian. Alexandr.* de bel. Syr. p. 190. ubi narrat, Seleucum, cum Babyloniam obiret, Προσκόψαι πρὸς λίθον, καὶ τοῦ λίθου ἀνασκαφέντος ἄγκυραν ὀφθῆναι. *Offendisse ad lapidem, & lapide effosso anchoram apparuisse.*

Vs. 12. Ὅτι Ἰωάννης παρεδόθη.) Sc. εἱρκτῇ, vel εἰς τὸ δεσμωτήριον. Patet ex *Cinnamo* l. 2. p. 67. Διὰ τοῦτο ἀποψηφισθεὶς - - εἱρκτῇ παρεδόθη. *Propter hoc condemnatus - - carceri traditus est.* Et ex *Dionys. Halicarn.* l. 11. p. 726. Παραδοθεὶς εἰς τὸ δεσμωτήριον, αὐθήμερον ἀποθνήσκει. *In carcerem traditus eodem die moritur.*

Vs. 13. Τὴν παραθαλασσίαν.) Est inter ἅπαξ λεγόμενα hæc vox. *Palæphat.* de Incredibil. p. 36. Ἐληΐζετο τὰ παραθαλάσσια χωρία. *Deprædabatur ad mare sitas regiones.* Adde *Diodor. Sicul.* l. 12. p. 509. Πολλὴν χώραν τῆς παραθαλαττίας δῃώσας. *Multam regionem maritimam incursans.*

Vs. 15. Πέραν τοῦ Ἰορδάνου.) *Dionys. Halicarn.* l. 1. p. 22. narrat Tyrrhenum in Italiam delatum expulisse Pelasgos, non ex omni-

omnibus urbibus, ſed ex iis, quæ πέραν ἦσαν τοῦ Τιβέριος: *trans Tiberim erant.*

Vſ. 16. Ὁ καθήμενος ἐν σκότει - - ἐν χώρᾳ καὶ σκιᾷ θανάτου.) Jam oſtendimus in verbo Καθῆσθαι *Lugendi* latere ſignificationem. Sic *Herodot.* l. 1. p. 19. de Croeſo dicit: Ἐπὶ δύο ἔτεα ἐν πένθει μεγάλῳ καθῆστο τοῦ παιδὸς ἐστερημένος. *Duos annos in luctu magno ſedebat filio orbatus.* Poſſumus etiam *Habitandi* ſignificationem admittere. Patet ex *Lucæ* c. 21. v. 35. Ἐπὶ πάντας τοὺς καθημένους ἐπὶ πρόσωπον πάσης τῆς γῆς. Item ex LXX. ut 2. *Reg.* c. 18. 8. edit. Complut. Ὅτε ἐκαθήμην ἐν Γεδσὺρ: pro quo, quod merum gloſſema eſt, legitur in Vaticano exemplari, Ἐν τῷ οἰκεῖν με ἐν Γεδσὺρ. Denique notetur Hendiadys in verbis Ἐν χώρᾳ καὶ σκιᾷ θανάτου, pro Ἐν χώρᾳ σκιώδει θανάτου, *In regione umbroſa mortis.* Sic 1 *Tim.* c. 3. v. 15. Στύλος καὶ ἑδραίωμα, pro Στύλος ἑδραῖος. Adde *Syrach* c. 7. v. 18. Ἐκδίκησις ἀσεβοῦς πῦρ καὶ σκώληξ, pro πυρώδης σκώληξ. *Punitio impii eſt ignis & vermis*, pro *ignitus vermis.*

Vſ. 17. Ἀπὸ τότε.) Sc. χρόνου. Plenius *Dionyſ. Halicarn.* l. 3. p. 176. Ἐν τῷ τότε συνέβη χρόνῳ. *Tum temporis accidit.* Et *Iſocrat.* Orat. amartyr. p. 600. Ἐν τῷ τοτε χρόνῳ ποιῆσαι. *Tunc temporis feciſſe.*

Vſ. 18. Παρὰ τὴν θάλασσαν.) Alii *Codd.* pro Παρὰ legunt Περί. Proba eſt lectio.

Aelian. var. hist. l. 3. c. 1. Παρ' ἑκάτερα δὲ τοῦ ποταμοῦ αἱ διατριβαὶ εἰσιν. *Ad utrumque latus fluvii sunt recessus.* Item *Homer.* Il. α. v. 34. Βῆ δ' ἀκέων παρὰ θῖνα. *Ibat autem tacitus prope littus:* ubi *Moschopul.* παρὰ θῖνα.) παρὰ ἐνταῦθα τὸ πλησίον.

Vs. 24. Καὶ προσήνεγκαν αὐτῷ πάντας τοὺς κακῶς ἔχοντας, ποικίλαις νόσοις καὶ βασάνοις συνεχομένους.) *Dionys. Halicarn.* l. 9. p. 583. Τοιέτοις συνεχομένοι κακοῖς οἱ ὕπατοι πέμπυσι. *Talibus constricti malis consules mittunt.* Et *Diodor. Sicul.* l. 3. p. 196. de pediculari morbo loquens, ait: Ὁ συνεχόμενος τῷ πάθει, βιαιότερον ἀμύττει τοῖς ὄνυξι. *Qui morbo isto constrictus est, violentius se lacerat unguibus.* Priori autem formula utitur *Philippides* in *Stobæi* Florileg. tit. 145. p. 471.

Οὐ χαλεπὸν ἐςι τῷ κακῶς διακειμένῳ
Εἰπεῖν - - - μὴ κακῶς ἔχε.

Non difficile est male jacenti
Dicere - - - ne male te habeas.

Vs. 25. Καὶ ἠκολούθησαν αὐτῷ ὄχλοι πολλοί.) *Dionys. Halicarn.* l. 11. p. 703. Ἠκολούθει δ' αὐτῷ πολὺς μὲν ἑταίρων ὄχλος. *Sequebatur ipsum sodalium multitudo magna.* Id. ibid. p. 719. Ἠκολούθει δ' αὐτοῖς καὶ ἄλλος ὄχλος δημοτῶν ἐυκ ὀλίγος. *Sequebatur & eos alia plebejorum multitudo haud pauca.*

Cap.

Cap. V. *v.* 1. Ἀνέβη εἰς τὸ ὄρος, καὶ καθίσαντος αὐτου προσῆλθον αὐτῷ οἱ μαθηταί.) Ponitur εἰς τὸ ὄρος pro εἰς τί ὄρος, *in aliquem montem.* Sic 1. *Theſſ.* c. 4. v. 6. Ἐν τῷ πράγματι, pro Ἔν τινι πράγματι. Similiter Ὁ pro Τίς uſurpavit *Aelian.* var. hiſt. l. 1. c. 25. Εἰ δέ τῷ δοκεῖ. *Si alicui viſum fuit.* Et *Diogen. Laërt.* l. 6. c. 5. Παρακαλῶν περί τοῦ. *Intercedens pro aliquo.* Item *Diodor. Sicul.* l. 1. p. 27. Ταύτην δὲ ὑπὸ τοῦ δήποτε Φθαρεῖσαν ἔγκυον γενέσθαι. *Hanc autem ab aliquo ſcilicet vitiatam prægnantem evaſiſſe.* Nec non *Libanius* epiſt. 227. Ἂν ὑπὸ τοῦ παίηται. *Si ab aliquo lædatur.*

Structuram, quæ in ultimis verbis proſtat, imitantur Exotici, pro καθίσαντι αὐτῷ προσῆλθον. *Philoſtrat.* vita Apoll. l. 3. ὑπαναςαμένου δε τοῦ Ἀπολλωνίου, κατεῖχεν αὐτὸν. *Aſſurgente Appollonio, retinuit ipſum.* Item *Polyæn.* l. 6. p. 546. Παιδίου γεννηθέντος, αὐτῷ μέλλων ὄνομα τίθεσθαι. *Nato filio, ipſi nomen impoſiturus.*

Vſ. 6. Διψῶντες τὴν δικαιοσύνην.) Διψᾶν eſt *Cupere.* Hinc *Suidas* Ἐδίψησεν exponit per Ἐπεθύμησεν. Quare & apud *Euſtath.* ad Il. α. p. 254. edit. Florent. Πολυδίψιον explicatur per Πολυπόθητον, *Valde concupitum.* Adde *Aelian.* hiſt. animal. l. 1. c. 5. Τὴν ὁρμίαν ἀποθερίσαι διψῶν. *Chordam conſumere cupiens.* Et *Antipatr.* in Epigr. inedito. Ἱδρῷ

διψή-

διψήσασα πιεῖν τεόν. *Sudorem cupiens bibere tuum.* Subjunge ex Latinis *Cicer.* ad Quint. Fr. l. 3. epist. 5. *Nec honores sitio.* Et Tuscul. Quæst. l. 5. c. 6. *Ardentius sitire voluptates.*

Vs. 9. Εἰρηνοποιοί.) Vox hæc ἅπαξ λεγομένη est. Occurrit apud *Dion. Cass.* l. 44. p. 266. Γυμνὸς, ὁ εἰρηνοποιός. *Nudus, pacificus.*

Vs. 11. καὶ διώξωσι -- ἕνεκεν ἐμοῦ.) Hic Διώκειν est *Accusare.* Proprie *Persequi in judicio*, idque elliptice pro Διώκειν τὴν δίκην, & adhuc plenius, pro Διώκειν κατά τὴν δίκην. *Aristoph.* Equit. act. 1. sc. 2. p. 308. Διώξωμαί σε δειλίας: pro Διώξωμαί σε τὴν δίκην. *Persequar te* (sc. *in judicio*) *ob timiditatem:* ubi *Schol.* Διώξωμαι) κατηγορήσω. *Isocrat.* de Permut. p. 478. Ἱεροσυλίας ἕτερον διώκων. Sc. τὴν δίκην. *De Sacrilegio alium persequens.* Sc. *in judicio.* Plenius Id. adv. Call. p. 558. Ἐκεῖνος δὲ ἐχθρὸς ὢν Καλλιμάχῳ τῷ νῦν ἐμὲ διώκοντι τὴν δίκην, ἀπήντησεν ἀργύριον φέροντι. *Ille vero inimicus Callimacho, qui me nunc persequitur in judicio, obviam factus fuit, argentum ferenti.* Adde *Homer.* Il. α. v. 173.

--- Οὐδέ σ' ἔγωγε
Λίσσομαι εἵνεκ' ἐμεῖο μένειν. --

--- *Neque ego te*
Rogo gratia mei manere. --

Vs.

Vſ. 12. Ὅτι ὁ μισθὸς ὑμῶν πολὺς . . οὕτω γὰρ ἐδίωξαν τοὺς προφήτας τοὺς πρὸ ὑμῶν.) Πολὺς pro Μέγας. *Aelian.* var. hiſt. l. 1. c. 19. Αἰτίαν τῆς ἀπωλείας γενέσθαι τὴν πολλὴν τρυφήν. *Exitii cauſam fuiſſe magnum luxum.* Et *Polyæn.* l. 2. p. 143. Λείαν ἄγων πολλήν. *Prædam agens magnam.*

Poſt verba Τοὺς πρὸ ὑμῶν, ſupplent ὑπάρχοντας. *Cod.* Cantabrig. & *Irenæus.* Eſt merum ſupplementum. Poſſis & βεβιωκότας, vel γενομένους ſupplere. Patet ex *Diodoro Siculo* l. 15. p. 4. Οἱ μὲν γὰρ πρὸ αὐτῶν βεβιωκότες - - τὴν τηλικαύτην κατεκτήσαντο δόξαν. *Nam qui ante hos vixerunt - - acquiſiverunt tam inſignem gloriam.* Adde *Dionyſ. Halicarn.* l. 4. p. 235. Πάντες οἱ πρὸ αὐτοῦ γενόμενοι βασιλεῖς. *Omnes, qui ante ipſum fuerunt, reges.* Elliptice autem loquitur *Diodor. Sicul.* l. 1. p. 75. Χρηςότητι πολὺ διαφέρων τῶν πρὸ αὐτοῦ. Sc. βεβιωκότων, vel γενομένων. *Benignitate multum præſtans iis, qui ante ipſum. Sc. vixerant.*

Vſ. 14. Πόλις - - ἐπάνω ὄρους κειμένη.) h. e. *ſita.* Sic *Philoſtrat.* vita Apoll. l. 3. p. 137. Πόλιν δὲ ἐπ' αὐτοῦ κεῖσθαι Πάτταλα. *Et ad id* (oſtium) *urbem Pattalam ſitam eſſe.* Et *Dionyſ. Perieget.* v. 335.

- - - Ἐν δέ οἱ ἄκρῃ
Στηλάων Ἀλύβη κεῖται μία, - -

- - - *In ea autem promontorium*
Columnarum Alyba sita est una. - -

Vs. 15. Οὐδὲ καίουσι λύχνον - - - καὶ λάμπει.) Nova sententia est, quare Οὐδὲ hic idem est ac Οὐ, *Non.* Ita quoque reperitur & apud alios. *Dio Cass.* l. 41. p. 174. Περὶ γὰρ τούτων οὐδὲ ἔξεσί τινι ἄρχην πύθεσθαί τι. *De iis enim non licet cuipiam omnino consulere quid.* Sic & *Libanius* epist. 39. p. 19. Καὶ γὰρ οὐδ' ὄνομα ἄλλως οὗτος ἐστιν, ἀλλ' ὄντως ἐπιστάμενος ἄγειν. *Non enim is nomen mentitur, sed recte instituere didicit,* Similiter *Nec* pro *Non* usurpavit *Plaut.* Mostell. act. I. Sc. 3. v. 83. *Nec recte si illi dixeris.* Item *Cicero* ad Famil. l. 10. epist. 1. *Furnium nostrum tanti a te fieri - - nec miror.*

Notandum præterea καὶ ante λάμπει, poni pro Ἵνα *Ut*, quemadmodum & v. 29. Καὶ μὴ ὅλον τὸ σῶμα βληθῇ εἰς γέενναν. Item c. 6. v. 33. Καὶ ταῦτα πάντα. c. 13. v. 15. Καὶ ἰάσωμαι αὐτούς. Adde *Marc.* c. 4. v. 12. Καὶ ἀφεθῇ. *Ioann.* c. 4. v. 34. Καὶ τελειώσω αὐτοῦ τὸ ἔργον. *Actor.* c. 1. v. 8. καὶ ἔσεσθέ μοι μάρτυρες. Hebr. c. 12. 9. Καὶ ζήσομεν. *Apocal.* c. 1. v. 6. Καὶ ἐποίησεν ἡμᾶς βασιλεῖς Subjunge *Ioel.* c. 3. v. 3. Τὰ κοράσια ἐπώλουν ἀντὶ τοῦ οἴνου. καὶ ἔπινον. h. e. *ut biberent.* Item. *Libanium* epist. 355. p. 174. Πείθων αὐτὸν ὡς ἀρκεῖτε γελάσαι καὶ φιλῆσαι τὴν κεφαλήν, καὶ τὸ ἔγκλημα λέλυται. *Persuadens tibi, sufficere*

cere ſi videas & osculeris caput, ut accuſatio ſolvatur.

Vſ. 16. Οὕτω λαμψάτω τὸ φῶς ὑμῶν.) Οὕτω hic per *Propterea* vertendum eſt, uti *Lucæ*, c. 24. v. 26. Καὶ ουτως, Et *propterea.* Item. *Rom.* c. 1. v. 15. Οὕτω τὸ κατ' ἐμε &c. c. 6. v. 11. Οὕτω καὶ ὑμεῖς, &c. 1 *Cor.* c. 15. v. 44. Οὕτω καὶ γέγραπται. *Apocal.* c. 3. v. 16. Οὕτως, ὅτι χλιαρὸς εἶ. Similiter *Theognis* v. 191. pravas pravorum matrimoniorum ſequelas memorans, ait:

Οὕτω μὴ θαύμαζε γένος - - ἀςῶν
Μαυροῦσθαι - - -

Propterea ne mirere - - cives
Deperire - - -

Denique quemadmodum heic loci Φῶς dicitur λάμπειν, ſic & Ἐπιλάμπειν *Homero* hym. in Mercur. v. 140. Φόως ἐπέλαμπε σελήνης. *Lux ſplendebat lunæ.*

Vſ. 17. Καταλῦσαι τὸν νόμον.) *Diodor. Sicul.* l. 13. p. 567. Ὅτι τοὺς ἰδίους αὐτὸς καταλύει νόμους. *Quod ipſe proprias leges ſolvat.* Item *Dio Caſſ.* l. 56. p. 573. Τὸν νόμον, τὸν περὶ τῶν μὴ γαμούντων - - καταλυθῆναι ἠξίουν. *Legem in conjugii expertes latas - - antiquari rogarunt.*

Vſ. 23. Ἐὰν οὖν προσφέρῃς τὸ δῶρόν σου.) Jam oſtendimus οὖν redundare. Sic & apud

 Ae-

Aeschyl. Agam. v. 533. Καὶ γὰρ οὖν πρέπει. *Et enim decet.* Sic & *Igitur* redundat apud *Plaut.* Capteiv. act. 4. sc. 2. v. 91. *Igitur olim si advenissem, magis tu tum istuc diceres.* Notandum insuper τὸ δῶρον poni pro τὴν θυσίαν, ex usu τῶν LXX. Sic *Genes.* c. 14. v. 5. ex *Ms. Clem.* Ἐπὶ τοῖς δώροις αὐτοῦ οὐ προσέσχε: pro quo in exemplari *Vatic.* legitur Ἐπὶ ταῖς θυσίαις.

Vs. 25. Μήποτέ σε παραδῷ ὁ ἀντίδικος τῷ κριτῇ, καὶ ὁ κριτής σε παραδῷ τῷ ὑπηρέτῃ, καὶ εἰς φυλακὴν βληθήσῃ.) Omnes hujus versus formulæ prostant apud Exoticos. *Aphthonius* p. 88. Πῶς ἂν οὐ διοίσει τὸν μοιχὸν ἀνελεῖν, ἢ παραδοῦναι τοῖς κρίνουσιν: *Qui igitur non interverit adulterum occidere, vel tradere judicibus.* Item *Heliodor.* l. 1. p. 25. Οἱ δὲ τῷ δημίῳ παραδιδόναι — ἐδοκίμαζον. *Alii carnifici me tradere censebant.* Et *Lucilius* in Antholog. Gr. l. 2. c. 37. epigr. 1. p. 234. Εἰς φυλακὴν βληθεὶς - - ὡμολόγησε φόνον. *In carcerem conjectus - - fassus est cædem.*

Vs. 32. Παρεκτὸς λόγου πορνείας.) Elegans Græcismus, uti jam ostendimus, pro Παρεκτὸς πορνείας. Sic & *Julian.* orat. 1. p. 14. Καὶ οὐδὲν διάφορον προσῆν εἰς παιδείας λόγον (pro εἰς παιδείαν) τοῖς ἡγεμόσι. *Nec insigne quicquam ad virtutis rationem* (pro *ad virtutem*) *principibus erat.*

Vs.

Vſ. 23. Ἀποδώσεις δὲ τῷ Κυρίῳ τοὺς ὅρκους σου.) Ἀποδώσεις, *Reddes*. h. e. *Perſolves.* Eodem ſenſu apud *Diodor. Sicul.* l. 4. p. 293. τοῖς μεγάλοις θεοῖς τὰς εὐχὰς ἀποδόντας - - ἀναθεῖναι τὰς φιάλας εἰς τὸ τέμενος. *Magnis Diis vota cum perſolviſſent, phialas repoſuiſſe in fano.* Simili modo *Reddere*, pro *Perſolvere* uſurpavit *Propert.* l. 2. eleg. 21. v. 59.

Tu quoniam es, mea Lux, magno demiſſa periclo,
Munera Dianæ debita redde choros.

Vſ. 34. Μὴ ὀμόσαι ὅλως.) Supple θέλετε. *Ne jurare omnino,* Sc. *velitis.* h. e. *Ne juretis.* Sic *Demonax* apud *Stobæum* ſerm. 44. p. 150. Θνητοὶ γεγονότες μὴ φρονεῖν (ſc. θέλετε) ὑπὲρ θεούς. *Mortales cum ſitis, ne ſapere (ſc. velitis) ſupra Deos.* Item *Aeſchyl.* Prom. vinc. v. 711. Οἷς μὴ πελάζειν. *Quibus ne propinquare,* ſc. *velis.* ubi *Schol.* μὴ θέλε πλησιάζειν.

Vſ. 38. Ὀφθαλμὸν ἀντὶ ὀφθαλμοῦ.) Simili ſtructura utitur *Antipater* in Antholog. Gr. l. 6. c. 11. epigr. 2. Ἀπέτισεν -- ἀνθ' αἵματος αἷμα. *Luit pro ſanguine ſanguinem.* Et *Aeſchyl.* Choeph. v. 310.

Ἀντὶ δὲ πληγῆς φονίας φονίαν
Πληγὴν τινέτω. - - -
Pro mortifera plaga mortiferam
Plagam ſuſtineat. - - -

Vſ.

Vſ. 43. Ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σȣ.) Ut conſtet antitheſis, quæ hoc in verſu obtinet, videtur ita debere verti, *Diliges amicum tuum.* Eodem ſenſu ὁ Πλησίον uſurpavit *Symmachus* in *Proverb.* c. 6. v. 1. Ἐὰν ἐγγυήσῃ σὸν πλησίον. *Si ſpoponderis pro amico tuo.* Ibi *ſeptuaginta* pro σὸν πλησίον adhibent σὸν φίλον.

Vſ. 46. τίνα μισθὸν ἔχετε.) *Achill. Tat.* l. 5. p. 345. Μισθὸν τῆς αἰσχύνης ἔχουσι. *Mercedem flagitii obtinent.* Item *Antiphilus* in Antholog. Gr. l. 1. c. 40. epigr. 5. p. 89.

- - - - - Ἐξ ἁλὸς εἰς γῆν
Νηξάμενος, φόρτου μισθὸν ἔχω θάνατον.

- - - - *E mari in terram*
Enatans, transvectionis mercedem habeo mortem.

Vſ. 47. Καὶ ἐὰν ἀσπάσησθε τοὺς ἀδελφοὺς ὑμῶν μόνον, τί περισσοὺ ποιεῖτε.) Primo jam oſtendimus Ἀσπάζεσθαι heic loci ſignificare *Benevolo & amico proſequi animo.* Ita quoque occurrit apud *Ariſtoph.* Plut. v. 743. Τὸν πλοῦτον ἠσπάζοντο: ubi appoſitiſſime *Schol.* ἠσπάζοντο.) ἤγȣν ἐφιλοφρονοῦντο. Deinde videtur per τοὺς ἀδελφοὺς intelligendos eſſe *amicos*, quare in aliis *Codd.* legitur τοὺς φίλους, quod meram gloſſam redolet. Eodem quoque ſenſu reperitur hæc vox apud τοὺς LXX.

in

in *Cantico Salomon.* c. 5. v. 2. Μεθύσθητε ἀδελφοί. h. e. *amici*, ut patet ex textu Hebræo.

Cap, VI, *v.* 4. Αὐτὸς ἀποδώσει σοὶ ἐν τῷ φανερῷ.) Αὐτὸς. h. e. *ſponte*, *ultro.* Ita & *Ioann.* c. 16. v. 27. Αὐτὸς γὰρ ὁ πατὴρ φιλεῖ ὑμᾶς. *Sponte enim pater diligit vos.* Ubi vide quæ dedimus. Adde *Oppian.* Hal. l. 4. v. 125. qui ſic de ſcaris: Ἐς βρόχον αὐτοὶ ἵενται. *In laqueos ſponte deveniunt.* Id. Cyneg. l. 2. v. 80. Ἐπὶ δήιον αὐτὸς ἱκάνει. *Contra hoſtem ſponte venit.* Ultimam phraſin habet *Dionyſ. Halicarn.* l. 2. p. 99. Τοὺς τραχήλους ἀπέκοπτον ἐν τῷ φανερῷ. *Cervices amputabant in propatulo.* Item *Diogen. Laërt.* l. 6. p. 656. Ἀνδρὶ ἐν τῷ φανερῷ συνεγένετο. *Cum viro in propatulo congrediebatur.*

Vſ. 6. Κλείσας τὴν θύραν.) *Philodemus* in Anthol. Gr. l. 7. epigr. 89. p. 608. Κλεῖε Φιλαινὶ θύραν. *Claude Philæni januam.*

Vſ. 7. Ἐν τῇ πολυλογίᾳ.) Vox ſemel lecta in N. T. occurrit apud *Heliodor.* l. 5. p. 254. Τὸ γὰρ ϛενὸν τοῦ καιροῦ πολυλογίαν οὐκ ἐπιδέχεται. *Non enim anguſtia temporis prolixitatem verborum admittit.*

Vſ. 13. Εἰς τοὺς αἰῶνας.) Formulam hanc merito ab *Hebraiſmi* labe vindicavit cl. Auctor. Parerg. ſacr. p. 26. Supple ἅπαντας. Patet ex *Iſocrate* Hel. laud. p. 347. Πάρεδρον εἰς ἅπαντα τὸν αἰῶνα κατεϛήσατο. *Aſſeſſorem in omne ſæculum conſtituit.* Elliptice dixit

Anti-

Antipater in Anthol. Gr. l. 4. c. 27. epigr. 9. p. 505. Εἰς αἰῶνας, Ὅμηρε - - ἀείδῃ. *In sæcula, Homere - - celebraris.* Sic etiam apud Latinos, teste *Justino* l. 2. c. 4. *In ævum*, pro *In omne ævum* occurrit. Confer *Horat.* carm. l. 4. od. 14. v. 3.

Vs. 26. Τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ.) h. e. *aëris.* Sic c. 16. v. 3. Στυγνάζων ὁ οὐρανὸς, pro quo ex mera Glossa alii *Codd.* legunt ἀὴρ. Sic *Alcæus* in Poët. Lyric. p. 394. Ὕει μὲν ὁ Ζεῦς, ἐν δ' οὐρανῷ μέγας χείμων. *Pluit quidem Iupiter, & in aere magna est procella.*

Vs. 28. καταμάθετε.) Verbum hoc semel in N. T. occurrens habet *Diodor. Sicul.* l. 4. p. 295. Τοὺς Ἀργοναύτας - - καταμαθόντας τὸ πῦρ - - ὁρμῆσαι δρόμῳ πρὸς τὴν πόλιν. *Argonautas - - cum conspexissent ignem - - cito cursu tendisse ad urbem.*

Vs. 29. Περιεβάλετο.) *Polyæn.* l. 4. p. 344. οἱ δὲ κυάνεα - - περιεβέβληντο. *Alii coeruleis - - amicti erant.* Et *Dionys. Halicarn.* l. 4. p. 216. Ἐσθῆτα πιναρὰν περιβεβλημένος. *sordida veste amictus.*

Vs. 34. Ἀρκετὸν - - ἡ κακία αὐτῆς.) Pro Ἀρκετὸν πρᾶγμα, vel χρῆμα. Sic *Libanius* epist. 9. p. 3. Φροντὶς καλὸν. Sc. πρᾶγμα, vel χρῆμα. *Cura præclarum est*, sc. *negotium.* Item *Dio Cass.* l. 56. p. 573. Ἄριστον (sc. πρᾶγμα, vel χρῆμα) γυνὴ σώφρων. *Optimum*

mum (Sc. *negotium*) *eſt mulier pudica.* Similiter. *Anacreon* ode 56. v. 12.;

Ἱερὸν γὰρ ἐςι Φοίβε
Κιθάρη - - - -
Sacrum enim eſt Phœbi
Cithara - - - -

pro Ἱερὸν πρᾶγμα, vel χρῆμα. Plenius alii locuti ſunt. *Syneſius* apud *Suid.* t. 1. p. 691. Οὐ γάρ ἐςιν ἀλήθεια πρᾶγμα ἐγκείμενον. *Non enim eſt veritas negotium obvium.* Et *Lucian.* adv. Indoct. p. 392. Σκόπει τοίνυν, ὡς ἱερὸν χρῆμα ἡ συμβουλή. *Proinde conſidera, quam ſacrum ſit negotium conſilium.*

Cap. VII. *v.* 5. Ἔκβαλε - - καὶ τότε διαβλέψεις.) Præcedente Imperativo ſubſequitur Futurum διαβλέψεις, pro Imperativo διάβλεψον, monente *Bebelio* de Phr. N. T. §. 10. Sic quoque plane apud *Epictet.* Enchirid. c. 40. Τάξον τινὰ ἤδη χαρακτῆρα σαυτῷ καὶ τύπον, ὃν φυλάξεις (pro φύλαξον) ἐπί τε σαυτοῦ ὤν, καὶ ἀνθρώποις ἐντυγχάνων. *Præſcribe jam formam quandam tibi & legem, quam cuſtodies* (pro *cuſtodi*) *cum tecum es, vel cum hominibus congrederis.* Adde *Libanium* epiſt. 125. p. 102. Διεξελθὼν, ἃ σύνοιδά σοι, γυμνὸς ἔφην, πορεύου, καὶ πενίαν οὐ μέμψῃ: pro μέμψου. *Enarrans ea, quorum tibi conſcius ſum, nudus dixi, proficiſcere, & paupertatem tuam non accuſabis,* pro *accuſa.*

Vſ.

Vs. 11. Οἴδατε - - διδόναι) Ex elegantiori Græcismo, pro Δίδοτε, *Datis*. Jam aliquot exempla dedimus. Adde *Libanium* epist. 158. p. 78. Ὁ δὲ ἄρχοντας ἀγαθοὺς οἶδε θαυμάζειν: pro θαυμάζει. *Ille autem magistratus bonos suspicit.*

Vs. 13. Εἰσέλθετε διὰ τῆς στενῆς πύλης.) *Apollodorus Gelous* apud *Stobæum* Serm. 38. p. 128.

- - - - Οὐδὲ εἷς
Τέκτων ὀχυρὰν οὕτω ἐποίησεν θύραν,
Δι' ἧς γαλῆ καὶ μοιχὸς οὐκ εἰσέρχεται.

- - - - Ne *quidem unus*
Faber munitam adeo fecit januam,
Per quam felis & moechus non ingrediantur.

Vs. 24. Ὠικοδόμησε τὴν οἰκίαν.) Sic *Dio Cassius* l. 55. p. 556. Ὁ δὲ Αὔγουστος, τὴν οἰκίαν οἰκοδομήσας, ἐδημοσίωσε πᾶσαν. *Augustus autem domum ædificatam publicam omnino fecit.*

Vs. 25. Καὶ ἔπνευσαν ἄνεμοι, καὶ προσέπεσον τῇ οἰκίᾳ ἐκείνῃ. - - τεθεμελίωτο γὰρ ἐπὶ τὴν πέτραν.) Pro Προσέπεσον alii *Codd.* legunt προσέπηξαν. Optima est lectio recepta. *Dio Cass.* l. 48. p. 386. Ἄνεμος μέγας προσπεσὼν πολλὰς τῶν νεῶν - - προσήραξε. *Vehemens ventus irruens multas navium - - allisit.* Et *Polyæn.* l. 1.

l. 1. p. 89. Ἀνέμου προσπεσόντος παμμεγέθους. *Vento irruente valde magno.* Ceterum τεθεμελίωτο, omiſſo augmento, pro ἐτεθεμελίωτο. Id Græcis frequentiſſimum eſt. Item *Polyæn.* l. 1. p. 7. Ἵππον Ἔπειος ποίησεν, pro ἐποίησεν. *Equum Epeus fecit.* Nec non *Bion.* Idyl. 3. v. 6. Τὸν ἔρωτα δίδασκον, pro ἐδίδασκον. *Amorem docebam.*

Vſ. 27. Ἡ πτῶσις.) Bis tantum heic loci, & *Lucæ* c. 2. v. 34. *Heliodor.* l. 9. p. 413. Ὥστε χθαμαλωτέραν γενέσθαι τῆς λίμνης τὴν πτῶσιν. *Ut ruina ſtagno inferior fieret.* Id. p. 421. Κατὰ τὴν πτῶσιν κυλινδηθέντων. *In ruina devolutis.*

Cap. VIII. *v.* 1. Καταβάντι δὲ αὐτῷ ἀπὸ τοῦ ὄρους.) *Dionyſ. Halicarn.* l. 1. p. 65. Καταβάντες ἀπὸ τοῦ Παλαντίου τῆς κορυφῆς. *Deſcendentes a Palantini vertice.* Et *Appian. Alexandr.* de bel. Parth. p. 283. Καταβαίνουσι - - ἀπὸ λόφων. *Deſcendunt - - a collibus.*

Vſ. 3. Καὶ ἐκτείνας τὴν χεῖρα.) *Dio Caſſius* l. 42. p. 212. Ἐκτείνας τὴν χεῖρα - - τὴν γῆν - - κατεφίλησε. *Extendens manum - - terram - - oſculatus eſt.*

Vſ. 18. Ἀπελθεῖν εἰς τὸ πέραν.) Incertus Auctor in *Anthol. Gr.* l. 2. c. 13. epigr. 22. p. 206. Μέλλων εἰς τὸ πέραν ἀπιέναι. *Cis tranſiturus.*

Vſ. 19. Καὶ προσελθὼν - - εἶπεν αὐτῷ.) *Serinus* apud *Stobæum* Serm. 145. p. 483.

Προσελθὼν δέ τις τῶν Λυδῶν, ὦ βασιλεῦ, εἶπεν, πάντων ἐπὶ γῆς καλῶν ὁ ἥλιος τοῖς ἀνθρώποις αἴτιος. *Accedens quidam Lydorum, o rex, dixit, omnium in terra bonorum autor est hominibus sol.*

Vs. 22. Θάψαι τοὺς νεκρούς.) *Aelian.* var. hist. l. 4. c. 1. Τοὺς νεκροὺς ἐν βύρσαις θάπτουσι. *Mortuos in pellibus sepeliunt.* Et *Sophocl.* Antig. v. 248.

- - Τὸν νεκρόν τις ἀρτίως
Θάψας βέβηκε; - - -
- - *Mortuum quis jam*
Sepeliens abiit? - - -

Vs. 24. Σεισμὸς μέγας ἐγένετο - - αὐτὸς δὲ ἐκάθευδε.) *Aelian.* hist. animal. l. 11. c. 19. Νύκτωρ γίνεται σεισμός. *Noctu terræ motus fit.* Notandum Δὲ, ante ἐκάθευδε, *Attamen* significare. Sic & apud *Libanium* epist. 18. p. 5. Σοὶ τῆς ἀρχῆς ὁ χρόνος τὰς οἰκίας πεποίηκε πόλεις, ἀδικοῦντι μὲν οὐδένα, λαμβάνοντι δέ. *Tibi præfecturæ tempus ex domibus urbes comparavit, neminem quidem lædenti, attamen accipienti.*

Vs. 25. Ἤγειραν αὐτὸν, λέγοντες, κύριε, σῶσον ἡμᾶς, ἀπολλύμεθα.) Primo ἤγειραν. Sc. ἐξ ὕπνου. *Meleager* in Antholog. Gr. l. 7. epigr. 9. p. 583. Σύγκοιτον ἐγείρας, Sc. ἐξ ὕπνου. *Postquam conjugem excitaveris.* Sc. *e somno.* Plene *Homer.* Il. E. v. 422. Ἐξ ὕπνου

νου - - οἰκῆας ἐγείρῃ. *E ſomno - - domeſticos excitet.* Deinde Ἀπολλύμεθα ſignificat *In pereundi periculo ſumus.* Similiter Incertus Auctor in *Antholog. Gr.* l. 7. epigr. 200. p. 630.

Εἰ τοὺς ἐν πελάγει σώζεις, Κύπρι, κἀμὲ τὸν ἐν γῇ
Ναυηγὸν Φιλίης σῶσον ἀπολλύμενον.

Si eos, qui in pelago ſunt ſervas, Venus, me quoque in terra
Naufragum amicitiæ ſerva, cum in pereundi periculo ſim.

Vſ. 32. Κατὰ τοῦ κρημνοῦ) *Dionyſ. Halicarn.* l. 9. p. 596. Κατὰ κρημνοῦ βαλεῖν. *De præcipitio dejicere.* Et *Epictet.* Enchir. c. 61. Κατὰ κρημνοῦ - - φέρεσθαι. *De præcipitio - - ferri.*

Vſ. 33. Ἀπήγγειλαν πάντα, καὶ τὰ τῶν δαιμονιζομένων.) Primo Ἀπήγγειλαν πάντα, Sc. τὰ συμβεβηκότα. h. e. *Quæ contigerunt.* Additur 1. *Maccab.* c. 4. v. 26. Ἀπήγγειλαν πάντα τὰ συμβεβηκότα. Deinde pro καὶ τὰ τῶν δαιμόνων legitur in *Cod. Cantabrig.* κατὰ τῶν δαιμονιζομένων, quaſi ſenſus eſſet, *annuntiarunt omnia de Dæmoniacis.* Optima eſt recepta lectio, & neceſſaria. Hic Καὶ notat *Præcipue, Præſertim.* Ita quoque *Marci* c. 16. v. 7. Καὶ τῷ Πέτρῳ. *Præcipue Petro.* Et *Actor.* c. 1. v. 14. Καὶ Μαρίᾳ. *Præcipue*

 Ma-

Mariæ. Adde 3 *Reg.* c. 11. v. 1. Καὶ ἔλαβε γυναῖκας ἀλλοτρίας, καὶ τὴν θυγατέρα Φαραώ. h. e. *præcipue filiam Pharao.* Et *Herodot-* l. 2. c. 66. Ξυρέονται πᾶν τὸ σῶμα, καὶ τὴν κεφαλήν. *Raduntur toto corpore, præcipue capite.*

Vſ. 34. Πᾶσα ἡ πόλις ἐξῆλθεν.) Sic *Urbs* dicitur ξυνελθεῖν, apud *Philoſtrat.* vita Apoll. l. 6. c. 34. p. 272. Ξυνελθοῦσα δὲ ἡ πόλις ἐκέτευεν ὑπὲρ τῶν μεγίστων. *Congregata vero urbs ei ſupplicaverat de rebus maximi momenti.*

Cetera in Matthæum ad Faſciculi ſequentis N. 1. *reſervavimus.*



IV.



IV.

JOH. CAR. BONNET,

SCHOLÆ APUD TABERNAMONTANOS
MAGISTRI ET V. D. M.

OBSERVATIO EXEGETICA
AD
MATTH. III, 7.

§. 1.

Variis hujus loci interpretationibus, quas ſingulas adferre & impugnare, cum longum, tum uſus foret perexigui, novam ſuperaddere liceat; ſi vero nova eſt, quam egomet nondum legi. Multa enim veterum recoquuntur, quæ nova putantur ab illis, qui ea iterum propinant. Sed vel vetus ſit mea Obſervatio, vel aliquid novitatis habeat; ſi modo vera eſt. Age vero, ne præfari videar, rem proponam.

§. 2.

Narrat divus Evangeliſta Matthæus, quod & Lucas cap. III. 3. ſeqq. iisdem fe-

re verbis memoriæ tradit, extitiſſe Joannem Baptiſtam, qui Iudæos, ut pœnitentiam agerent, adhortatus ſit, neque id eum irrito feciſſe conatu: Magnam enim confluxiſſe hominum multitudinem, Hieroſolymam inprimis atque Jordani incolentium ripas, qui peccata ſua confeſſi, adeoque quam ille poſtulaverat, pœnitentiam agentes, ab eo baptizari voluerint. Hujus numeri multos de Phariſæorum ac Sadducæorum grege fuiſſe, adjicit ſolus Matthæus, innuit tamen idem & Lucas, dum eos ὄχλυς, i. e. *mixtas diverſarum ſectarum turbas nominat.* Quos quidem tanto accedentes numero, ἐπὶ τὸ βάπτισμα αὐτῦ i. e. eo fine, *ut*, prægreſſa jam pœnitentia, a Joanne *baptizarentur*, lætus adſpiciens Baptiſta, Γεννήματα, ait: ἐχιδνῶν, τίς ὑπέδειξεν ὑμῖν φυγεῖν ἀπὸ τῆς μελλύσης ὀργῆς; h. e. *Propagines viperarum, quis oſtendit vobis effugere iram futuram?*

§. 3.

Disquirimus *primum*, quos Ioannes Γεννήματα ἐχιδνῶν appellaverit? *Deinde*, quisnam ſenſus ſit additæ quæſtionis?

Viperarum progenies illam, quæ & multos Phariſæorum ac Sadducæorum comprehendebat, turbam; non autem, quod quidam volunt, excluſis Phariſæis atque Sad-

Sadducæis, alios esse, qui a Luca c. III, 7. ὄχλοι οἱ ἐκπορευόμενοι βαπτισθῆναι nominantur, quippe qui ab illa mixta nostra turba, collatis locis, minime diversi deprehenduntur, naturalis vocum series abunde confirmat. Hos vero, simulata pietate, vel hostili animo venisse, vel etiam illos Sacerdotes fuisse atque Levitas, quos d. Ioannes Evangelista, cap. I, 19. Hierosolyma missos esse retulit, ut, quisnam sit Ioannes B., cognoscerent; quæ singula alii aliique statuunt, id tantùm discriminis habere videntur, ut aliud alio falsosimilius sit, unumque longius a veritate recedat atque alterum.

§. 4.

Quod si enim hostili eos animo accessisse dixeris; vocula ἐπὶ *contra* vertenda foret, ad quod satis respondit *Raphelius*. Si illos vero ficta sanctitate adfuisse contenderis, simul concedas oportet, & reliquos omnes, quotquot præter Pharisæos atque Sadducæos aderant, ejusdem hypocriseos fuisse reós, eoque subsequentem Baptistæ increpationem, (si quidem increpatio foret,) meruisse: ὄχλους enim alloquitur Luc. d. l. Quis autem tales haud pœnitentes a Ioanne, ejus rei optime gnaro, baptizatos fuisse affirmaverit? Quid multa? Ellipsis illa duriuscula est, & maximopere, ut demon-

ſtretur, opus habet. Quid? quod Ioannes admonet eosdem, ut fructus ferant hujus ſuæ μετανοίας ἀξίως. Qui vero reſipuerunt, ſoli reſipiſcentiæ fructus edere poſſunt, neque hi hypocritæ ſunt. Non autem intelligendos eſſe legatos Iudæorum Hieroſolymitanorum quos Io. Ev. cap. I, 24. ex Phariſæis fuiſſe ſcriptum reliquit, *cum* ex eo liquet, quod non ſimul Sadducæos etiam legatorum aliquos fuiſſe narratur, *cum* quod multos hujus generis hominum adfuiſſe legimus: nam pauci legatorum munere funguntur; turbas legare, riſum movet: *tum* univerſa utriusque hiſtoriæ ſeries maximam earundem innuit differentiam.

§. 5.

Dices: qui hos quæſo *Viperarum progenies* appellat Baptiſta, qui vera atque haut fucata ornati probitate, animoque vere pœnitente aderant, ut baptiſmatis ſymbolo jamjam peccata ſua abluta quaſi & a Deo ſibi condonata eſſe certiores fierent, & confirmarentur? Certum eſt, quod reſpondeam. Appellatio hæc, num ob præjudicatam opinionem, num aliam ob cauſam? adhuc indigni aliquid pœnitentium hominum perſona continere videbatur. Sed ego quidem, impiorum ac perditorum parentum filium, illo-

illorum vero moribus abſtinentem dici, non vituperationem eſſe, ſed potius laudi poſſe verti, duxerim. Notandum enim eſt, non ipſos *viperas* nuncupari, ſed *progenies viperarum.* Harum vero compellationum maximam differentiam eſſe, non eſt, quod dubitemus, ubi, quod divus Evangeliſta noſter c. XXIII, 33. commemoravit, contulerimus: quo in loco Salvator Optimus haud pœnitentes Phariſæos atque Scribas Ὄφεις, γεννήματα ἐχιδνῶν alloquitur. Hi nempe & improborum fuerunt filii, & ipſi majorum premebant veſtigia. Illaudabili uti parente minime dedecori ducitur, dummodo tute virtutum ac pietatis laudem conſequaris. Quisquis vero mali corvi malum eſt ovum, habet, cujus ſe pudeat.

§. 6.

Interrogat Baptiſta: Τίς ὑπέδειξεν κ. τ. λ. Senſus facilis videtur. Mirabatur Ioannes, tantopere ſibi applaudi, totque reperiri, qui ipſi dicto audientes, peccata ſua confiteantur & abhorreant, quoque id baptiſmatis uſu publice teſtentur, certatim accurrant, cum neutiquam id ſperandum videretur, ſi quidem propago ſint majorum corruptis moribus, atque perditiſſimorum, qui viperæ magis, quam homines dici mereantur. Ideoque mirabundus, ſimulque

 lætus,


lætus, *quisnam fuit*, interrogat Vir sanctus: *qui indicavit vobis* & exemplum, (ὑπόδειγμα) quasi præivit, *ut* jam pœnitentia acta *effugiatis iram futuram?* Miror sane, tanta vos frequentia ad me confluere; vix ac ne vix quidem eos me audituros esse crediderам, quorum majores quoscumque ad se missos Prophetas tantopere persecuti, omneque bonum abominati sunt: præcipue quod ad illos inter vos pertinet, qui præterea iis sese manciparunt hæresibus, quæ nullam salubrem admittere videbantur admonitionem. Qui igitur fit, ut tantopere meam superetis spem atque opinionem? *Quare*, ita pergit Baptista commate subsequenti, cum res præter opinionem, ac perpetuam gentis vestræ consuetudinem cecidit, *edite* jam *fructus, qui hac vestra resipiscentia digni sunt*, eique conveniunt: reipsa μετάνοιαν, mentis ac studiorum vestrorum immutationem, adeo a majorum studiis differentium, testamini; neque enim sufficit, quod ore pœnitere vos peccatorum vestrorum confitemini; factis comprobare oportet, cet.

§. 7.

At dubium moves ex Luc. VII, 29. 30., ubi relatum legimus, universum populum baptizari voluisse a Ioanne, exceptis tantum Pharisæis ac Legisperitis. Habeo, quod

quod respondeam. Pharisæi non opponuntur Legisperitis. Alii enim Legisperiti Sadducæi erant, alii Pharisæi, alii denique Esseni. Sensus igitur est: Pharisæi iique Legisperiti s. præcipue illi, qui ultra Pharisæorum vulgus sibi sapere videbantur, aspernabantur Baptistam. Neque enim hic omnes & singulos Pharisæos putari inde facile colligere potes, quod hinc inde aliquos illorum, licet omnium paucissimos, resipuisse deprehendimus. Pharisæos E. absolute poni vides; quia, si horum ingentem numerum, (aliæ enim sectæ ab iis numero longe superabantur,) baptizatorum vero miram respicias paucitatem, fere nullos baptizatos fuisse & pœnitentiam egisse affirmare posse videmur. Præcipue quod ad illos pertinet, qui supra plebis suæ sectæ fæces eminere volebant. §. 8.

Quod si ita rem concipias, L. B., evanescere simul videbis illud dubium ex Matth. XXIII, 33. cujus Vir doctissimus *Fr. Spanhemius P.* in Dub: Evang. Part. III. p. m. 115. seq. meminit; omniaque conspirabunt amicissime. Cæterum tuum esto judicium de qualicunque hac mea observatione. Vbi indigna quidem, quæ adoptetur, at quæ legatur tamen digna visa fuerit; satis habebo, & quo Tecum meliora in posterum communicem, operam dabo.



V.



V.

SERIES
PROFESSORUM REGIORUM
IN ACADEMIA
UPSALENSI
NUNC QUAM MAXIME DOCENTIUM

Theologi.

MATTHIAS ASP, S, Theol. D. Prof. Primarius & Archi-Præpositus.
GABRIEL MATHESIUS, S. Th. D. & Prof. O,
LAURENTIUS HYDREN, S. Th, D. & Prof. O
NICOLAUS WALLERIUS, S. Th. D. & Prof. O. & Kalsenianus. *)
JOHANNES J. AMNELL, S. Th. Prof. O.

Iuris Consulti.

DANIEL SOLANDER, J. U. D. Juris Patrii & Romani Prof. O.
ANDREAS BERCH. Jurispr. Oecon, & Comm. Prof. O.
NICOLAUS RISELL, Juris Publ. præsertim Suec: Prof. O.

Medi-

*) Quam honorificum sit Nomen *Kalseniani* Professoris, cum Venerabili hominum pari, ex quo originem suam ducit, tum Viro max. Reverendo NIC. WALLERIO, hunc titulum gerenti, sequentia probabunt Programmata Academiæ Regiæ Upsalensis, quæ amicitiæ & liberalitati S. R. Amnellii debeo. N. B.

Medici.

CAROLUS LINNÆUS, M. D. sacræ Regiæ Majestatis Archiater, Medic. & Botan. Prof. O. & Eques Aur. de stella Polari.

SAMUEL AURIVILLIUS, Med. Reg. Anat. & Medic. Practicæ Prof. O.

Philosophi.

PETRUS EKERMAN, Eloquentiæ Prof. O,

JOHANNES IHRE, Reg. Canc, Consiliarius, Eloq, & Polit. Prof. O. & Skytt. & Eques Aur. de stella Polari.

MARTINUS STROEMER, Astronomiæ Prof. O. *Abiit hic Caroli-coronam universæ illic Informationi publicæ præesse jussus.*

LAURENTIUS DAHLMAN, Moral, & Polit. Prof. O.

JOHANNES GOTSCHALK WALLERIUS, Chemiæ, Metall. & Pharm. Prof. O.

JONAS MELDERCREUTZ, Matheseos Inf. Prof. O.

CAROLUS FR. GEORGII, Historiarum Prof. O.

CAROLUS AURIVILLIUS, Poeseos Prof. O.

CAROLUS ASP, Logices & Metaph. Prof. O.

SAMUEL DURÆUS, Physices Prof. O.

BIRGERUS FRONDIN, Regiæ Bibliothecæ Academicæ Præfectus Ord.

JOHANNES LÆSTBOHM, Oeconomiæ Practicæ. Prof. O. & Borgstrœmianus.

ERICUS HESSELGREN, Linguarum Orient. Prof. O.

DANIEL MELANDER, Astronomiæ Prof. O.

JOHANNES FLODERUS, Græc. Litt. Prof. O.

FRIDERICUS MALLET, Astronomiæ Observator.

GUSTAVUS ANTONIUS BOUDRIE, Academiæ Regiæ Secretarius.



VI.



SERIES
PROFESSORUM IN ACADEMIA CAROLINA
LUNDENSI

Theologi.

AMBROSIUS WESTRING, S. Th. D. & Prof. Prim. nec non Templi Cathedralis Præpositus. *)
JONAS WÆHLIN, S. Th. D. & Prof. O.
CAROLUS JESPERUS BENZELIUS, S. Th. D. & Prof. O.
GUSTAVUS ERNESTUS a BILDSTEIN, S. Th. D. & Prof. O.

Iuris consultus.

LARS JOHAN COLLING, Juris Patrii & Rom. Prof. Reg. & Ord. Assessor Extr. Acad. Elect. Mog. Scient. Util.

Medici.

GUSTAVUS HARMENS, M. D. Med. & Phil. Exper. Prof. O,
EBERHARDUS ROSEN, R. C. M. Assessor: Med. Pract. Prof. O.


Philosophi.

SVEN BRING, Hist, Prof. Reg. O. & Ac. R. EE. LL. M.
JOHAN NELANDER, Jur. nat. & Moral. Prof. Reg. O.

JO-

*) Hic ni fallor, ante aliquot menses mortuus est.

LARS LIEDBECK, Matheseos Prof. Reg. O.
SVEN J. MUNTHE, L. L. OO. & Græcæ Prof. Reg. O.
JOHAN CORYLANDER, S. Th. D. & Bibliothecarius.
LARS LAUREL, Phil. Theor. Prof. Membrum Acad. Scient. Suec.
JOHAN H. BURMESTER, Eloq. & Poeseos Prof. O.
ERICUS GUSTAVUS LIDBECK, Hist. Nat. Prof. Reg. O. Director Plant. Scan. & membrum Acad. Scient, Suec.
CLAUDIUS BLICKERT TROZELIUS, Oecon. Prof. Reg. & O.
JONAS WÆHLIN, M. D., Regius Medicus & Chemiæ Prof. O.



VII.



VII.

INDEX PROFESSORUM ACADEMIÆ ABOENSIS

Theologi.

SAMUEL PRYSS, S. Theol. D. & Prof. prim. & Archipræpositus.

JOHANNES TILLANDER, S. Theol. D. & Prof. O.

CAROLUS ABRAHAMUS CLEWBERG, S. Th. P. O.

Iuris Consultus.

OLAVUS PRYSS, J. D. & Prof. O.

Medicus.

JOHANNES LECHE, M. D. & Prof. O.

Philosophi

ALGOTHUS a SCARIN, Histor. & Philos. Civilis Prof. O. nec non Acad. Bibliothecarius.

HENRICUS HASSEL, Eloquentiæ Prof. O,

CAROLUS MESTERTON, S. Th. D. & Philos. primæ & Rationalis Prof. Reg. & O.

PETRUS KALM, Oeconom. Prof. O, & horti Acad. Præfectus.

JACOB. GADOLIN, S.Theol.D. & Physices Prof.O.

ISAAC ROSS, S. S. Lit. Prof. Reg. O.

MARTINUS JOHANNES WALLERIUS, Mathes. Prof. Reg. & O.

PETRUS ADRIANUS GADD, Director Oecon. Reg. nec non Chemiæ Prof. O.

Extraordinarii.

WILHELMUS ROBERTUS NÆÆF, S. Theol. Adjunctus & Poeseos Prof. Extra O.

JACOBUS J. HAARTMAN, Philos, & Hist. Litter. Prof. Reg. & Extra O.



VIII.

VIII.

MAGNIS*)
LITERARUM PATRONIS, HOSPITIBUSQUE
CVJVSCVNQVE ORDINIS,
PATRIBUS ITEM AC CIVIBUS
ACADEMICIS ET URBICIS,
RECTOR ACADEMIÆ UPSALENSIS,
JOHANNES J. AMNELL,
GR. LIT. PROFESSOR REG. ORD.
S. ET O.

Pleraque licet vaga ſint ac volatica in hominum ritibus, ut quos. non in ſecula aut luſtra, ſed in annos, in menſes atque dies, deſultoria levitate, mutari cernimus; ſic tamen fateamur, oportet,

*) Programmata hæc duo ſeq. ſatis oſtendunt Reverendiſſimi quondam Epiſcopi, ANDREÆ KALSENII, nec minus Nobiliſſimæ ejus Conjugis ELISABETÆ LEMOINE inſignia in Academiam Upſalenſem, Sueciam, quin & in rem totius Chriſtianæ Eccleſiæ merita. Digniſſimus ergo erat, cui Summa Regis ſententia nunquam intermorituram memoriam decerneret, & hunc in finem conſtituta Profeſſione Theologica *Regia* & *Kalſeniana* monumentum ære perennius erigeretur. Ita jam quotannis *Angli* ſuum celebrant BOYLEUM, & STOLPIUM ſuum

tet, tacito populorum conſenſu, quorumdam ſaltim inſtitutorum non æque commutabilem ac variam eſſe rationem: haut dubie, quod iſta, præ ceteris, nullo non tempore ſua commendarit & manifeſtior utilitas, & naturalis quaſi condecentia. Quid juſtius, quidve conſonum magis, quam ut civibus, de publica re immortaliter promeritis, quorumque inſigniori operæ fructum etiam uberem acceptum relaturi ſint poſteri, ſuus poſt fata habeatur honos? Et quid ex uſu magis eſſe poſſit, quam ut τὸ τῶν θανόντων γέρας conſpicati, qui ſunt in vivis, ad eximia defunctorum decora honeſte æmulanda accendantur? Hinc eſt, quod non heri demum aut nudius tertius cœperit, nec vero deſierit poſtmodo funebrium laudationum mos honeſtiſſimus. Ita prius multo in Hellade increbuiſſe ἐπιταφίυς λόγυς, quam quidem certior hiſtoria Græca incipiat, nos edocet PHILOSTRATUS, quando in *Heroicis* ſuis, jam tum ætate belli Troici ritum huncce Grajis uſitatum, *Mneſthei* confirmat exemplo, *Ajacem* Telamonium funebri ſermone celebran-

Belgæ, ſuumque *Sueci* gratiſſimo animo KAISENIUM venerantur. Celebrent itaque & hunc Virorum Pietate & Liberalitate illuſtrium *Ternionem* exteri, divitesque ἄτεκνοι ſingularum gentium & provinciarum ſe patiantur his exemplis, in omne ævum memorandis, excitari, ut talibus vel ſimilibus Inſtitutis commoda ſanctioris religionis, vel aliarum ſcientiarum, quin etiam Academiarum aut ſcholarum promoveant, & ubi publici rerum gerendarum nervi deficiunt, veluti in terris truculento bello tot annos exhauſtis, religioni, & Academiis Scholisque publicis munificentia ſua ſuccurrant. N. B.

brantis. Nec vero ſine delectu ſingulari deſignatos olim in Græcia Rhetoras, qui ſepultorum hominum decora resque egregie geſtas e cathedra ſuggeſtove decenter exponerent, annalium produnt monimenta. Sic apud THUCYDIDEM, in horum funere, qui bello ceciderant Peloponneſiaco, ἀνὴρ ᾑρημένος ὑπὸ τῆς πόλεως, ὃς ἂν γνώμῃ τε δοκῇ μὴ ἀξύνετος εἶναι, καὶ ἀξιώματι προήκῃ, λέγει ἐπ' αὐτοῖς ἔπαινον τὸν πρέποντα – – προελθὼν ἀπὸ τοῦ σήματος ἐπὶ βῆμα ὑψηλὸν πεποιημένον, ὅπως ἀκούοιτο ὡς ἐπιπλεῖστον τοῦ ὁμίλου. Grajorum diſcipulos atque imitatores Romanos haut ſero eumdem hunc adoptaſſe morem, ſatis commonſtrat funebris in *Brutum* oratio *Valerii Poplicolæ*, quam in hujus vita memorat PLUTARCHUS. Et hac quidem ex parte adeo non leves mobilesque exſtiterunt vel Græci deinceps ac Latini, vel, qui hodie florent, populi cultiores, ut, per tot ſecula, a majoribus ad ſeros nepotes derivatus hic mos, demumque & a gentibus, Chriſtiana ſacra amplexis, ſtudioſe ſervatus, apud nos perennet etiamnum, neque in poſterum facile ſit deſiturus.

Quintus agitur annus, ex quo Reip. ſacræ, civili, literariæ, permultis Sibi nominibus jam diu devinctiſſimæ, ſupremum dixit vale, Deo reddendam pie placideque efflans animam, magnæ, dum vixit, in S:M R:M M:TEM fidei VIR, Veſtmannorum ac Dalecarlorum EPISCOPUS, & Sacri Synedrii Aroſienſis PRÆSES Celebratiſſimus, Reverendiſſimus DOCTOR, DOMINUS ANDREAS KALSENIUS; quem aliquanto poſt, in S. æde dictæ ſedis Epiſcopalis honorificentiſſime tumulatum, inter acerbiſſimos planctus, uti par erat, dilaudare non prætermiſerunt, indulgentiſſimo orbatæ Ephoro, Muſæ Aroſienſes. Cum his paria omnino ſenſere Upſalenſes noſtræ, Magni VIRI in literatum orbem univerſum, atque in hanc inpri-

mis Academiam, ingentia promerita per ſilentium veneratæ hactenus, nunc vero etiam palam loquuturæ; loquuturæ, inquam, in præſens, quæ, donec perſtabit res Academica, loqui non abſiſtet, quibus nos decedentes trademus lampada, Patrum Civiumque noſtratium poſteritas. Non meum eſt, huic perituræ tradere chartulæ vitam illuſtris VIRI, quam victuris literarum monimentis mandavere jam alii, alii mox mandabunt. Id unum, quod nunquam ſatis dicitur, ego nunc dicam: Hunc Noſtrum non ſibi vixiſſe ac ſuis, ſed Patriæ, ſed Eccleſiæ, ſed Camenis; Quem & graviſſimum Præſulem, cauſſarumque Sui fori arbitrum, juris atque ordinis longe ſervantiſſimum, & bonorum artium æſtimatorem ac Patronum munificentiſſimum, novimus omnes, qui domi noſtræ non ſumus hoſpites. Probe viderat prudentiſſimus VIR, nusquam defore Marones, ubi Mæcenates fuerint; nec vero cum ingenuis artibus harumque alumnis ſatis belle agi, ſi quando Pallas *laudatur & alget.* Hinc Ille non adprobatione ſola, non conſilio, non cohortatione monitove ſuo, (quamquam id etiam,) ſed re ſua, ſed præſentiſſima ope, juvit Muſas ac ſublevavit. Ita ſuas illas Sætrenſes acidulas Academiæ Regiæ Upſalenſi proprias eſſe juſſit Noſter, una cum rei ſalutaris illic gerendæ nervo, pecunia videlicet, his, quibus opes fortuna, natura ſanitatem corporis negavit, alendis curandisque pie dicata. Nempe, quum emiſſum jamdiu videret e Machaonum Upſalenſium ſcholis numeroſiſſimum examen Medicorum, Aulæ Regiæ, provinciis, urbibus & agris, Academiis denique datorum; eorumque non jam in Belgio, ſed in Svecia, in Academia patria, Doctoratus adeptorum inſignia: his illius ſcientiæ incrementis nobiſcum lætatus Noſter, quam ſtudioſiſſime id egit, ut, nova experiendi opportunitate conceſſa, apud nos

& in

& in cœpto flore persisteret, & ultra proveheretur ars medica. Nec tamen sibi judicavit satis VIRI summe benefici pietas, quæ ad corporis valetudinem conferant, studia insigniter promovisse, nisi novo etiam, eoque maxime salutari instituto, graviores sumtus suos requirente, mentis sanitati consultum iretur. Ordinariam loquor S. Theologiæ Professionem Regiam & Kalsenianam, ab optimo LEGATORE, dum vita fuit, sapienter ordinatam, & demum post Ipsius excessum, vergente superiori anno, a S. R. M:TE clementissime confirmatam; qua prænotiones Theologicæ adversum empæctas, ratione vel plane non usos, vel abusos turpiter, sobrie solideque vindicentur. Sed ea de re alias. Superest unum, quod adjiciam. Ut propemodum non desiderent in vivis VIRUM hunc, ceteroqui multo desideratissimum, nostræ Camenæ, superstes facit VIDUA Nobilissima, sui sexus rarum decus, D:NA ELISABET LEMOINE; quæ a probata Sibi voluntate morientis MARITI, vel gravioribus, quæ ingruere dein videbantur, impedimentis, ne transversum quidem unguem dimoveri se passa, nulli curæ, sumtui nulli parcit, dummodo cum suavissimo Conjuge, quemadmodum per omnem vitam, ita post hujus etiam fata, unum penitus atque idem sentire Sibi sit integrum. Quamobrem amborum CONJUGUM bene merentissimorum cognatas sociare laudes, sui semper officii noster ducet Helicon. Sed vero, quæ levissime adtigi, copiose persequetur & ornate, delectus a Senatu Academico Orator primarum in dicendo partium, Isque futurus adeo, si quis alius, communis nostri in Reverendiss. b. m. EPISCOPUM amoris & observantiæ, nunquam intermoriture, gravissimus facundissimusque interpres, Vir Maxime Reverendus & Amplissimus, Dn. Dr. MATTHIAS ASP, Reg. & Ordin. S. Theol. Profess. Celeberrimus;

rimus; publice dicturus pro roſtris CAROLINÆ ædis, craſtini diei hora X antemeridiana. Quam vellemus, ut in parentalibus hiſce venerari coram liceret Academiæ Regiæ CANCELLARIUM Illuſtriſſimum, S. R. M:TIS Regnique Sviogoth. SENATOREM, Reg. Collegii Nomothetici PRÆSIDEM, R. R. que O. O. EQ. ac COMMEND. Excellentiſſimum COMITEM, DN. CAROLUM EHRENPREUS; Quem, præterquam quod Ipſe ſuevit in dies noſtro bene facere Heliconi, paria ſuſcipientibus aliis, inque his KALSENIANÆ liberalitati, maximum ſtatuere pretium, noſtrum neminem prætererit. Cum vero nobis in præſens oporteat eſſe ſatis, vel abſenti maximo Mæcenati noſtro probari Muſarum Upſalenſium in beatos EVERGETÆ Manes pietatem; mirifice nos reficit concepta animis fiducia, fore, ut, quæ Tua erga τὸν Μακαρίτην fuit amicitia, quæque in chorum noſtrum eſt indulgentia ſingularis, Regni Sviogothici ARCHIEPISCOPE & Athenæi Regii PROCANCELLARIE Eminentiſſime, Reverendiſſime PATER, Dn. Dr. HENRICE BENZELI, ſollemnibus hiſce funereis magnus interſis Μυστηγέτης. Te vero etiam, pro ſumma, qua in Parnaſſium agmen es, facilitate, GUBERNATOR Uplandiarum, ac R. O. de Stella Polari COMMENDATOR, Perilluſtris & Generoſiſſime BARO, Dne CAROLE von GROOTH; Vos item, cujuscunque dignitatis HOSPITES, illuſtrem ac perhonorificam præſentiam Veſtram funebri huic officio commodetis, quam ſtudioſiſſime rogo quæſoque. Veſtram denique, PATRES Civesque, frequentiam, non eſt, quod ſollicitus ambiam; ut quos, tacente me, pia cauſſa ad panegyrin hanc exſequialem per ſe ſit invitatura. P. P, Upſalis, VI Maji, MDCCLV.



IX.





IX.

LITERARUM PATRONIS,
HOSPITIBUS,
PATRIBUSQUE AC CIVIBUS
ACADEMICIS ET URBIBUS
RECTOR
ACADEMIÆ UPSALENSIS,
JOHANNES J. AMNELL,
S. ET O.

Sanioris Philofophiæ in Theologia ufus uti nullo non tempore longe patuit, ita longiffime patet latiffimeque noftro hoc feculo, quo quidem Diviniffimam laceffunt veritatem folito plures adverfarii, atque in his non modo quibus falfa, fed & quibus nulla eft religio. Unde factum, ut, quæ prius etiam utiliffima fuerunt fanctioris litteraturæ fubfidia, nunc denique neceffaria omnino evaferint. Eft, quocum decertent hodie noftri, *Monftrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademtum*; idque, Lernææ inftar hydræ, πολυκάρηνον. Atheifmus utpote, cum ceteris in confinio pofitis erroribus. Sunt vero etiam ex hoftibus, qui eximie liberales fibi videantur, quando exfiftere Deum ita largiuntur, ut Divinam rerum omnium conditarum curam & cuftodiam vel pernegent, vel certe vocent in dubium; Deiftæ, Fataliftæ, neque multum ab his recedentes quidam δεισιδαιμονέστεροι. Accedunt Irreligionarii non unius generis,

ris, & Antiscripturarii; Naturalistæ item, qui rationem Divinarum rerum faciunt reginam, quique ne famulam quidem esse sinunt, Pictistæ & Herrnhutiani. Denique sunt, qui in amplectendis erroribus ita cunctentur, ut interim æque dubia iisdem sit ipsa veritas; Scepticos loquor, quique, his fere vicini, religionum ἀδιαφορίαν irreligiose tuentur, & cogitandi libertatem licentiose crepant, Indifferentistas. Taceo reliquam Fanaticorum turbam ac Pseudochristianorum,

- - *non mihi quos numero comprendere fas est.*

Ergo quis ambigat, quin sanctiorum literarum alumnis, ut ad Theologicas ἀκροάσεις veræque religionis vindicias rite accingantur, multa opus sit præparatione in his potissimum partibus, quæ demonstrandæ religionis Christianæ veritati viam aperiant, & instar fundamenti reliquam piorum dogmatum molem sustineant? In explanandis ejuscemodi veritatibus sitæ sunt *Prænotiones*, quas vocant, *Theologicæ*, superioris quidem ævi doctoribus haut neglectæ, sed recenti demum ætate operosius excultæ a summis magistris, qui, compendiaria & generali Theologiæ revelatæ protheoria, systematis jam diu præmitti solita, non contenti, prænotiones illas in justæ scientiæ formam redigere cœperunt. Quod quidem institutum ita se probavit jam pridem Civi inter Britannos nobili ac præclare docto, ROBERTO BOYLE, eximio sui seculi suæque gentis ornamento, ut de suo ære annuum stipendium liberalissime addiceret Theologo, octo quotannis habituro lectiones, quibus Christianæ religionis veritas adversum Atheos, Paganos, Judæos, Muhammedanos, cet., assereretur: idquod præstitit egregie, cui muneris hoc datum erat, Vir percelebris, RICHARDUS BENTLEY, cujus de *stultitia Atheismi* conciones octo, MDCXCII recitatæ, & Anglorum vernacula, &, per interpretes, La-

tina

tina aliisque dein linguis, non sine magno eruditorum adplausu, in lucem prodiere. Ceterum BOYLEO nec sincera pietate, nec serio disciplinæ sanctioris provehendæ nisu, nec verò munisicentia insigni concessit Reverendissimus b. m. Episcopus Arosiensis, Dn. Dr. ANDREAS KALSENIUS, Academiæ Regiæ Upsalensi amplissimàm legans pecuniæ summam, unde annuum redeat salarium novo Professori Theologo, prænotionibus, quas dixi, quæque ex his pendent, veræ religionis adversum tot hostes vindiciis, peculiarem daturo operam. Ut vero Magni hujus Viri supremæ voluntati, bonis piisque omnibus acceptissimæ, primo quoque tempore fieret satis, incredibili studio egit Vidua Conjux Nobilissima, & Ea quidem liberalissimi pientissimique Mariti æmula, Dna ELISABET LEMOINE; Cujus devotissimis precibus id Clementissime dedit S. R. M: Tas, ut ex hoc tempore Facultati Theologicæ Upsalensi accedat novus ille *Professor Ordinarius Regius & Kalsenianus*, cui communia jura sint ac privilegia cum ceteris ejus Facultatis ad hanc Academiam, Regia constitutis auctoritate, Doctoribus publicis: idque ea lege, ut non stata solum hora in acroaterio Academico prænotiones Theologicas publice tradat, sed & opusculum aliquod, prælectionum suarum argumento lucem feneraturum, in annos singulos typis divulget. Huncce in modum, posteaquam de novo instituto senfa sua subjectissime aperuerat jussus Academiæ nostræ Senatus, Clementissimeque super hæc admissum erat consilium Cancellarii ad Regiam hanc Academiam Illustrissimi, S. R. M:tis Regnique Senatoris, Reg. Collegii Nomothetici Præsidis, O. O.que R. R. Eq. & Commendat. Excellentissimi Comitis, D:NI CAROLI EHRENPREUS, Qui neque heic ardentiori suo de Academia immortaliter promerendi studio deesse

ſe voluit; S. R. M. ſententia Clementiſſime lata d, XX Decembr. ſuperioris anni, æternam eſſe juſſit B. Legatoris memoriam, quam tradat poſteris *monumentum ære perennius*, Profeſſio Theologiæ Regia & Kalſeniana. Id vero minime ſilendum, quod, cum S. R. M: Nobiliſſimæ Kalſeniæ Viduæ Clementiſſime jus conceſſiſſet & facultatem novum hunc Profeſſorem Theologum denominandi, Hæc, ſupremo b. Conjugis deſiderio convenienter, devotiſſima commendatione ſua muneri huic admovendum voluerit illum, quem quidem ipſum, tamquam multiplicibus conſpicuum promeritis, atque ad hæc inprimis nova munia natum factumque, non potuiſſet non ſubjectiſſime commendare Senatus Academicus, ſi ſuarum id jam fuiſſet partium. Virum loquor Maxime Reverendum Ampliſſimumque, Philoſophiæ Theoreticæ in Academia noſtra hucusque Profeſſorem, Dn. Dr. NICOLAUM WALLERIUM; quem diplomate Clementiſſime dato d. XIV Jan. hujus ineuntis anni novam arduamque provinciam illam adire juſſit PATRIÆ PATER *Auguſtiſſimus, Sereniſſimus Princeps*, ADOLPHUS FRIDERICUS, Suiogothorum REX Potentiſſimus. Itaque, quod tum Chriſtiano cœtui, tum literato orbi univerſo, tum vero imprimis Eccleſiæ & Academiæ patriæ felix ſit, auſpicatum & ſalutare! primi Profeſſoris REGII & KALSENIANI inaugurandi ſollemnia indicturus, Vobis, Patres Conſcripti, veteranum ſiſto Collegam exploratiſſimæ fidei, WALLERIUM Noſtrum: eumque Philoſophum pariter ac Theologum, editis compluribus limatiſſimi ingenii monimentis, domi foriſque celeberrimum: qui, poſteaquam ſcientias Philoſophicas, quæ novo muneri jam capeſſendo neceſſarium ſubſternunt fundamentum, mira cum laude ſua, novennium heic tradidit, jam demum in Theologorum referen-

dus

dus ordinem. latiorem campum pristinis deliciis, in multiplicem cœtus Christiani usum convertendis, apertum post hæc inveniet. Quæ vero duce optimo jam diu gavisa es, Lectiss. Juventus Academica, in posterum quoque veterem agnosces Magistrum, veritates, quas de rebus Divinis & sana ratio suggerit & sanior revelatio, junctim Tibimet inculcaturum. Quum autem in eo jam sit, ut nova adeat munia Vir Maxime Reverendus, designatus S. Theologiæ Professor Ordinarius Regius & Kalsenianus, crastinæ lucis hora X antemerid. in acroaterio majori Carolino, pererudita oratione, *naturalismo pseudo-Christianorum* iturus obviam; qua decet, animi reverentia abs Te petimus, Reverendissime Pater, Regni Sviogoth. Archiepiscope & Regii hujus Lycei Procancellarie Eminentissime, Dn. Dr. HENRICE BENZELI, digneris pro singulari, quo & in saluberrimum illud novæ Professionis institutum, & in Theologum pariter nostrum, ferri Te novimus, studio & favore, exoptatissima præsentia Tua huic panegyri præcipuum decus addere. Tu quoque, Liber Baro Perillustris & Generosissime, Gubernator Uplandiarum, & R. O. de Stella Boreali Commendator Splendidissime, Dne CAROLE VON GROOTH, quæ Tua est in Helicona nostrum, & in Celeberrimum WALLERIUM, propensior voluntas, hisce interesse velis sollemnibus, qua par est, observantia rogo atque obtestor. Vos itidem, cujuscunque loci atque ordinis Hospites, Patres item ac Cives Academici & Urbici, faciles Oratori nostro ac frequentes adeste. Ille vero etiam, perorata gravi caussa, omnibus ac singulis nostrum vota præibit ardentissima, pro Patria, PATRIÆQUE PATRE & MATRE Clementissimis, itemque pro AUGUSTA DOMO, junctis animis nuncupanda. P. P. Upsalis, VIII Maji, MDCCLV.


X.



X.

MUNIFICENTIA NOBIL. ET AMPLISSIMI PETRI MOGGII, DOMINI IN RENESSE, DUM VIVERET, NOMINE NOBILISSIMORUM ET PRÆPOTENT. ORDINUM ZELANDIÆ AD POTENTISSIMOS ORDINES FOEDERATI BELGII DELEGATI, LAUDATA.

Insigniorem Excellentissimi MOGGII Liberalitatem & Munificentiam, propensiusque Ipsius studium haud exiguam divitiarum Illi concessarum partem conferendi in emolumentum Reipublicæ, cujus ex primariis Civis fuit, Sacræ & Litterariæ vel Civilis, hac occasione, post laudatam *Kalsenii* Liberalitatem. silentio penitus præterire nefas foret. Is enim ante paucos annos ad hos similesve usus, instituto in omne ævum memorando, ex ære suo, ni fallor, Summam 420000 florenorum Belgicorum legavit, commisitque Instituti hujus laudandi rationem & curam Nobilissimis & Præpotentibus Zelandiæ Ordinibus. Habent igitur *Zelandi* mei inter majores suos MOGGIUM, Virum munificentissimum, Ternioni Virorum Liberalissimorum, præcedentibus Programmatis memoratorum, omnino æquiparandum, & jure meritoque associandum, cujus insignia hac in parte promerita quotannis celebrent. Quid de liberalissimo hoc legato *Moggiano* statuerint, Nobilissimi & Præpotentes negotii hujus arbitri, nondum in comperto est; quamprimum autem id rescivero, L. B. communicabo. N. B.



BIBLIOTHECA
BREMENSIS
NOVA
HISTORICO-PHILOLOGICO-THEOLOGICA

CLASSIS TERTIÆ
FASCICVLVS SECVNDVS.





BREMÆ & AMSTELODAMI
Sumptibus Bibliopolarum
G. W. RUMPII & H. VIEROOT.
MDCCLXIII.

VIRO
VENERABILI
HERMANNO VENEMAE
THEOLOGO FRANEQUERANO
ET
HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ
PROFESSORI CELEBRATISSIMO,
CUI
QUAM MULTA DEBEANT
HISTORIA SACRA ET PROFANA,
VATICINIORUM SACRORUM
LIMATIOR EXEGESIS
ET
CRITICA SACRA,
AUCTORITATEM HUMANAM EXUENS,
ET NON MINUS SUPERSTITIONI
QUAM PROTERVÆ LIBERTATI
MODUM PONENS,
HAUD IGNORAT ORBIS LITTERATUS,
OCTAVUM HUNC
BIBLIOTHECÆ
BREM. NOVÆ
FASCICULUM
SACRUM FACIT,

PRO

PRO LUMINE MANIFESTO,

QUO

CANTICA PSALMORUM,

ET VATICINIA IACOBI,

DANIELIS ET MALACHIAE

COLLUSTRAVIT,

PUBLICE GRATIAS AGIT,

UTQUE NON SOLUM

COMMENTARIIS,

QUI IAM PRELA EXERCENT,

IN RELIQUOS PSALMORUM

ET IEREMIAE LIBROS,

SED ETIAM

ALIIS QUAMPLURIMIS SCRIPTIS,

ORACULA DIVINA ILLUSTRANTIBUS,

VEL HISTORIAM SACRAM

DILUCIDIUS EXPONENTIBUS

ORBEM CHRISTIANUM

SIBI DEVINCIRE PERGAT,

ET, SI POTE,

EX DIVITE QUOQUE SUA PENU

BIBLIOTHECAE HUIC

FAVEAT,

CUM VOTO

OMNIGENAE FELICITATIS,

ENIXE ROGAT

EDITOR.

ELENCHUS
OPUSCULORUM
FASCICULI SECUNDI
CLASSIS TERTIÆ.

IV.



I. ELIÆ



I.

ELIAE PALAIRET, CONTINUATIO AUCTORUM SACRORUM CLASSICORUM

ET QUIDEM

MATTHÆI. *)



Cap. IX. *v.* 2. Καὶ ἐμβὰς εἰς τὸ πλοῖον.) *Polyæn.* l. 1. p. 60. Εἰς τὰς τριήρεις ἐμβαίνειν. *Triremem conſcendere.* Et Incertus Auctor in *Antholog. Gr.* l. 2. c. 13. epigr. 22. p. 260. Εἰς πορθμεῖον ἐμβαίνει, *Navem trajectoriam conſcendit.*

Vſ.

*) V. Faſciculi præcedentis p. 128.

Vſ. 11. Διάτι μετὰ τῶν τελωνῶν - - ἐσθίει ὁ διδάσκαλος ὑμῶν;) Non tantum apud Judæos, ſed etiam apud Græcos aliosque male audiebant *Publicani*. Unde *Muſonius* apud *Stobæum* Serm. 16. p. 58. narrat, Theocritum, cum rogaretur, quænam eſſent ſæviſſimæ feræ, reſpondiſſe: Ἐν μὲν τοῖς ὄρεσιν ἄρκτοι καὶ λέοντες. ἐν δὲ ταῖς πόλεσιν τελῶναι καὶ συκοφάνται. *In montibus quidem urſi & leones, in urbibus vero publicani & ſycophantæ.*

Vſ. 12. Οὐ χρείαν ἔχουσιν οἱ ἰσχύοντες ἰατροῦ.) *Diodor. Sicul.* l. 5. p. 315. Επερωτῶσι τίνες εἰσι, καὶ τίνων χρείαν ἔχουσιν. *Sciſcitantur, qui ſint, & quibus opus habeant.* Item *Diogen. Laërt.* l. 2. c. 12. Δοκεῖς μοι χρείαν ἔχειν ἱματίου καινοῦ. *Videris mihi opus habere veſte nova.* Deinde verbum Ἰσχύειν, eſt *Bene valere*, & opponitur τῷ Κακῶς ἔχειν. *Hippocrat.* aphor. Sect. 2. §. 8. Ἢν ἐκ νόσου τροφὴν λαμβάνων τις μὴ ἰσχύῃ, σημαίνει ὅτι πλείονι τροφῇ τὸ σῶμα ἐνδέεται. *Si a morbo cibum quis capiens, non bene valeat, indicat copioſiori cibo corpus indigere.*

Vſ. 13. Ἔλεον θέλω, καὶ οὐ θυσίαν.) Verte, *Miſericordiam gratam acceptamque habeo, ſed non Sacrificium.* Primo verbum Θέλειν eo ſenſu occurrit apud *Athenagoram* p. 5. Θυσίας κατάγουσιν, ἃς ἂν ἐθέλωσιν ἄνθρωποι. *Victimas offerunt, quas gratas acceptasque habuerint homines.* Deinde καὶ ἐν,

pro

pro *ſed non*, etiam occurrit apud alios. Sic *Muſæus* vſ. 232.

- - Ἤδη κυανόπεπλος ἀνέδραμε νυκτὸς ὀμίχλη,
Ἀνδράσιν ὕπνον ἄγουσα, καὶ οὐ ποθέοντι Λεάνδρῳ.

- - *Jam atrata cucurrit noctis caligo*
Viris ſomnium afferens, ſed non amanti Leandro.

Ceterum pulchre in legibus ſuis obſervat Pythagoras, notante *Diodoro Siculo* l. 12. p. 491. *incolas debere inter alia* ἔχειν δὲ καὶ τὴν ψυχὴν καθαρὰν πάσης κακίας, ὡς τῶν θεῶν οὐ χαιρόντων ταῖς τῶν πονηρῶν θυσίαις τε καὶ δαπάναις, ἀλλὰ ταῖς τῶν ἀγαθῶν ἀνδρῶν δικαίαις τε καὶ καλαῖς ἐπιτηδεύσεσι; *habere quoque animos ab omni vitiorum labe purgatos; Siquidem Dii non ſacrificiis & impenſis pravorum, ſed juſtis & honeſtis bonorum virorum moribus gaudeant.*

Vſ. 15. Ἐφ' ὅσον.) Χρόνον addunt ex mera ellipſios reſtitutione varii *Codd.* Sic *Philoſtrat.* vita Apoll. l. 2. p. 61. Ἐφ' ὅσον τῷ ἀνθρώπῳ δοκεῖ. *Quamdiu homini placet.* Et *Achill. Tat.* l. 5. p. 295. Ἐφ' ὅσον ἡ ψυχὴ καίεται. *Quamdiu anima ferveſcit.*

Vſ. 18. λέγων. ὅτι ἡ θυγάτηρ μου ἄρτι ἐτελεύτησεν.) Frequenter Ὅτι poſt *Dicendi* verba redundare ſolet: ſic noſter c. 9. vs. 33. Λέγοντες. ὅτι οὐδέποτε ἐφάνη οὕτως ἐν τῷ Ἰσραήλ. Item *Marci* c. 1. vs. 15. καὶ λέγων. ὅτι πε-

πλήρωται ὁ καιρὸς. Et vs. 37. & 40. Adde c. 3. vs. 11. & 21. Similiter *Diodor. Sicul.* l. 14. p. 660. Εἰσαχθέντες δ' εἰς τὸ συνέδριον εἶπον, ὅτι λέγει βασιλεὺς Ἀρταξέρξης. *Introducti autem in senatum dicunt, dicit rex Artaxerxes.*

Notandum turpiter se dare plerasque versiones, vertentes τὸ Ἐτελεύτησεν, *Mortua est.* Eam autem non mortuam fuisse, patet ex *Marci* c. 5. vs. 23. ubi puellæ pater dicit, ὅτι τὸ θυγάτριόν μου ἐσχάτως ἔχει. Vertendum igitur Ἐτελεύτησεν, *In moriendi periculo est.* Sæpius hæc *Periculi* notio obtinet in verbis. Sic *Matth.* c. 8. vs. 25. Ἀπολλύμεθα. *In pereundi periculo sumus:* ubi, quæ dedimus, vide sis. Item *Lucæ* c. 5. vs. 6. Διεῤῥήγνυτο. *In rumpendi periculo erant.* Et c. 8. vs. 42. Ἀπέθνησκεν. *In moriendi periculo erat.* Idem apud profanos Auctores in usu est. 1. *Maccab.* c. 1. vs. 5. de *Alexandro:* Ἔγνω ὅτι ἀποθνήσκει. *Novi, quod in moriendi periculo sit.* Adde *Cicer.* de Div. l. 2. c. 66. *Quum Ptolomæus familiaris ejus in prælio telo venenato ictus esset, eoque vulnere moreretur.* i. e. *in moriendi periculo esset.*

Vs. 21. Σωθήσομαι.) Sc. ἐκ τῆς νόσου. *Diodor. Sicul.* l. 1. p. 30. de *Iside* loquens, observat multos a medicis, propter morbi difficultatem desperatos, ὑπὸ ταύτης σώζεσθαι. Sc.

Sc. ἐκ τῆς νόσυ. *Illius ope liberari.* Sc. a *morbo.* Plenius Id. ibid. p. 93. Ὑπὲρ τῶν παιδίων - - ἐκ τῆς νόσυ σωθέντων. *Pro liberis - - a morbo liberatis.*

Vſ. 35. Ἐν τῷ λαῷ.) Perperam in aliis *Codd.* omittitur illud Ἐν. Denotat *Coram.* Sic *Dio Caſſius* l. 54. p. 260. Λέγω δὲ ἐν εἰδόσιν. *Loquor enim coram conſciis.*

Cap. X. *v.* 1. Ἐξουσίαν πνευμάτων.) h. e. *Poteſtatem in Spiritus.* Citra neceſſitatem varii *Codd.* κατὰ πνευμάτων legunt. Eodem modo loquuti ſunt Veteres. *Herodian.* l. 5. p. 248. Τὰς τῶν ἐθνῶν ἐξυσίας ἐνεχείρισε. *Populorum poteſtatem tradebat.* & l. 3. p. 144. Διελὼν - - τὴν τοῦ ἔθνους ἐξυσίαν. *Dividens gentis poteſtatem.*

Vſ. 8. Δωρεὰν ἐλάβετε, δωρεὰν δότε.) *Xenoph. Epheſ.* l. 1. p. 20. Δυνησόμεθα δὲ αὐτοὺς - - λαβεῖν δωρεάν. *Hos poterimus - - accipere gratis.* Adde *Dionyſ. Halicarn.* l. 4. p. 206. Τὴν δὲ Ὀκρισίαν - - δίδωσι δωρεὰν τῇ ἑαυτοῦ γυναικί. *Ocriſiam vero - - dono dedit uxori.*

Vſ. 16. Ἐγὼ ἀποστέλλω ὑμᾶς - - ἐν μέσῳ λύκων.) Pro εἰς μέσον. Exempla jam dedimus; Quibus adde *Ammonium* vita Ariſtot. p. 2. Στέλλεται ἐν Ἀθήναις: pro εἰς Ἀθήνας. *Venit Athenas.* Id. p. 4. Ἐπανέρχεται - - ἐν Μακεδονίᾳ: pro εἰς Μακεδονίαν. *Redit* in

in Macedoniam. Plura qui velit, adeat cl. *Schraderum* ad *Musæum* p. 266.

Vs. 17. Ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων.) Optime vidit *Lucas Brugens.* τῶν poni pro τούτων: *Ab his hominibus.* Sic *Matth.* c. 27. vs. 28. Ἀπὸ τῶν δύο. h. e. τούτων, inquit *Schmidius.* Similiter τοὺς pro τούτους occurrit apud *Aristoph.* Avib. p. 560.

Κἀναπυθώμεθα τοὺς δὲ, τίνες ποτε,
Καὶ πόθεν - - -
Et interrogemus hos, quinam sint,
Et unde - - -

Vs. 22. Ἔσεσθε μισούμενοι ὑπὸ πάντων.) *Aelian.* var. hist. l. 10. c. 22. Μισηθεὶς ὑπὸ Ἀλεξάνδρου. *Alexandro invisus.* Et *Euripid.* in Jone v. 596.

- - - Τῶν μὲν ἀδυνάτων ὕπο
Μισησόμεσθα - - -
- - - *A tenuioribus quidem*
Odio habebimur - - -

Vs. 23. Ὅταν δὲ διώκωσιν ὑμᾶς.) Egregie vim verbi Διώκειν post *Erasm. Schmid.* ex *Herod.* enucleavit cl. *Raphelius*, qui ostendit, significare, *aliquem eo adigere, ut urbem relinquere, & in exilium abire cogatur.* Sic *Polyæn.* l. 5. p. 455. Οὕτω τοὺς βλασφημοῦντας μαθὼν, οὓς μὲν ἀπέκτεινεν, οὓς δὲ ἐδίωξεν. *Ita cognitis obtrectatoribus, hos interfecit, illos exilio mulctavit.* Id. l. 8. p. 759. Ῥωμαῖοι Κοριόλανον

καιον ἐδίωξαν. *Romani Coriolanum exilio mulctarunt.*

Vs. 21. Καὶ μὴ φοβηθῆτε ἀπὸ τῶν ἀποκτεινόντων - - τὸν δυνάμενον καὶ ψυχὴν καὶ σῶμα ἀπολέσαι.) Simile ferme quid de *Furiis* dicitur apud *Dionys. Halicarn.* l. 8. p. 507. ubi Coss. aliquis Romanorum dicit: *Credo terribiles istas Furias, quæ, ut tu quoque, Minuci, monuisti, facinorosis* sunt implacabiles, τότε μοι παρακολουθήσειν, ψυχήν τε καὶ σῶμα αἰκιζομένας: *Tunc me subsecuturas esse, ut animam & corpus excrucient, si prodidero eos, qui me servarunt.* Priorem phrasin habet *Theophrast.* charact. c. 26. φοβεῖται ἀπὸ ἐνυπνίου τινος. *Metuit sibi ab aliquo somnio.* Sic & *Catullus* carm. 16. v. 9. *Verum a te metuo.*

Vs. 29. Ἄνευ τοῦ πατρὸς ὑμῶν.) *Homer.* Odyf. o vs. 300. Οὔτι ἄνευ θεοῦ ἔπτατο δέξιος ὄρνις. *Non sine Dei nutu volavit dextera avis.* Adde *Aeschyl.* Perf. vs. 164.

Ὃν (ὄλβον) Δαρεῖος ἦρεν οὐκ ἄνευ θεῶν τινός.
Quam (felicitatem) *Darius intulit non sine Deorum alicujus nutu.*

Vs. 30. Ἠριθμημέναι εἰσι.) *In numero sunt.* h. e. *Curæ cordique sunt.* Sic *Dio Cassius* l. 56. p. 587. Ἐπεί γε ὁ συνάρχων αὐτοῦ Γαΐος Καπίτων καὶ πάνυ τιναλλως ἠριθμεῖτο. *Quandoquidem ipsius collega Cajus Capito tantum*

obiter curabatur. Eodem ſenſu occurrit τὸ ἐναριθμεῖσθαι apud *Euripid.* Oreſte vs. 622.

Εἰ τοῦ μὸν ἔχθος ἐναριθμῇ.

Si meam inimicitiam curas.

ubi *Schol.* ἐναριθμῇ) ἀντὶ τοῦ Φροντίζῃ, καὶ ἐν φροντίδι ἔχεις. Hinc Ἀνήριθμος *Is eſt, qui non curatur, qui deſpectus eſt*, apud *Sophocl.* Aj. flag. vs. 607. Μίμνω ἀνήριθμος: Ubi *Schol.* ἀνήριθμος) ἐν οὐδενὶ ἀριθμῷ ταττόμενος, ἀλλὰ παρερριμμένος.

Vſ. 35. Διχάσαι ἄνθρωπον κατὰ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ.) Quis non ridet pleraſque Verſiones vertentes τὸ ἄνθρωπον per *hominem?* Antitheſis verborum oſtendit eſſe *filium.* Ita quoque hæc vox occurrit apud τοὺς LXX. *Deuter.* c. 22. vs. 30. Οὐ λήψεται ἄνθρωπος τὴν γυναῖκα τοῦ πατρὸς αὐτοῦ. *Non capiet filius uxorem patris ſui.* Et *Sirach* c. 3. 13. Ἡ γὰρ δόξα ἀνθρώπου ἐκ τιμῆς πατρὸς αὐτοῦ. *Gloria enim filii ex honore patris ſui eſt.*

Vſ. 39. Ὁ εὑρὼν τὴν ψυχὴν αὐτοῦ ἀπολέσει αὐτήν.) Primo notandum verba Ὁ εὑρὼν, non ſolum eſſe vertenda, *qui ſervaverit*, ſed etiam preſſius, *qui ſervare voluerit*, ut patet ex *Marci* c. 9. vs. 35. quæ *Volendi* ſignificatio in aliis quoque verbis obtinet. Sic *Matth.* c. 26. vs. 18. Ποιῶ τὸ πάσχα, *Volo celebrare paſcha.* Item c. 13. vs. 58. Οὐκ ἐποίησεν, *Noluit facere.* Et c. 3. vs. 14. Διεκώλυεν, *Prohibere volebat.* Adde *Ioann.* c. 9.

vs.

VS. 27. Καὶ οὐκ ἠκούσατε, *ſed noluiſtis intelligere*. Sic & apud *Sophocl.* Aj. flag. v. 1147.

Δίκαια γὰρ τὸν δ' εὐτυχεῖν κτείναντά με;

Æquumne eſt, ut is, qui me occidere voluit, proſperet?

Item *Sophocl.* Trachin. vs. 1210. Οἷά μ' εἴργασαι; *Qualia mihi facere vis?* Patet ex *Schol.* εἴργασαι) θέλεις ἐργάσασθαι. Denique *Lucan.* l. 1. vs. 351.

Detrahimus dominos urbi ſervire paratæ: ubi appoſitiſſime *Scholiaſt.* exponit *Detrahere* per *Detrahere volumus*. Denique phraſis Ἀπολλύειν ψυχὴν reperitur apud *Achill. Tat.* l. 3. p. 213. Ἵνα μὴ τὴν ψυχὴν μόνον ἀπολέσῃ, ἀλλὰ καὶ τὴν ταφήν. *Ut non ſolum animam amitteret, ſed etiam ſepulturam.* Ita quoque *Plaut.* Amph. act. 1. Sc. 1. v. 85. *Animam amittunt, priusquam demigrent loco.*

Vſ. 41. Μισθὸν - - λήψεται.) *Dionyſ. Halicarn.* l. 2. p. 106. Μισθὸν τῆς προδοσίας λαβοῦσα. *Mercede proditionis accepta.* Et *Antiphilus* in Antholog. gr. l. 3. c. 10. epigr. 5. Ὄφρα λάβοι μισθὸν ἐφημέριον. *Ut accipiat mercedem diurnam.*

Cap. XI. *Vſ.* 4. Εἶπεν αὐτοῖς. πορευθέντες ἀπαγγείλατε τῷ Ἰωάννῃ ἃ ἀκούετε καὶ βλέπετε.) Simile ferme quid dicit Scipio apud *Polyæn.* l. 8. p. 727. Cum comprehendiſſet aliquot Carthaginenſium ſpeculatores, eos more Romano plectere noluit, ſed exercitum

universum circumire jussit; quo facto, ἀπάγγείλατε, εἶπεν, ἃ τεθέασθε, πρὸς τὸν πέμψαντα ὑμᾶς. *Renunciate, inquit, ea quæ vidistis, ei qui vos misit.*

Vs: 7. Ἤρξατο - - λέγειν.) Pro Ἔλεγε, *Dicebat.* Solet ita plus vice simplici verbum Ἄρχεσθαι ante aliud verbum redundare. Vid. c. 12. v. 1. Καὶ ἤρξαντο τίλλειν, pro καὶ ἔτιλλον, c. 16. v. 22. Ἤρξατο ἐπιτιμᾷν, pro Ἐπετίμησε. *Marc.* c. 6. v. 7. Καὶ ἤρξατο αὐτοὺς ἀποστέλλειν, pro καὶ αὐτοὺς ἀπέστειλεν. *Luc.* c. 3. v. 8. Μὴ ἄρξησθε λέγειν, pro Μὴ λέγετε. *Joann.* c. 13. v. 5. Ἤρξατο νίπτειν, pro Ἔνιπτεν. *Actor.* c. 1. v. 1: Ὧν ἤρξατο - - ποιεῖν καὶ διδάσκειν, pro Ὧν ἐποίει καὶ ἐδίδασκεν. cf. c. 18. v. 26. c. 19. v. 8. Similiter apud τοὺς LXX *Genes.* c. 2. v. 13. Ὧν ἤρξατε ὁ Θεὸς ποιῆσαι, pro ἐποίησε. 1. *Paralipom.* c. 1. v. 15. Οὗτος ἤρξατο εἶναι γίγας, pro ἦν γίγας. Idem apud Latinos obtinet. *Phædr.* 1. 2. 25. *Corripere cœpit singulas*: pro *Corripuit.* Et *Terent.* Andr. 5. 1. 2. *Satis pericli cœpi adire*: pro *adii.*

Vs. 10. Ὃς κατασκευάσει τὴν ὁδόν σε.) *Diodor. Sicul.* l. 2. p. 128. Κατεσκεύασεν ὁδοὺς πολυτελεῖς. *Paravit vias magnis impensis.* Item *Libanius* epist. 62. p: 32. Κατασκευάζων ὁδόν τινα βαράθρου χαλεπωτέραν. *Parans viam barathro tristiorem.*

Vs. 12. Ἁρπάζουσιν αὐτήν.) *Dionys. Halicarn.* l. 1. p. 81. Τὰς ἀρχὰς ἁρπάζοντες μᾶλλον

λον ἢ λαμβάνοντες. *Imperium rapientes magis quam accipientes.* Et *Appian. Alexandr.* de bel. Syr. p. 187. Τῆς ἀρχῆς ἁρπαζομένης ὑπὸ ἀλλοτρίων. *Imperio ab alienis rapto.*

Vſ. 18. Ἦλθε γὰρ Ἰωάννης μήτε ἐσθίων, μήτε πίνων.) Pro Ἰωάννης γὰρ μήτε ἤσθιεν, μήτε ἔπινεν. Iam oſtendimus verbum Ἔρχεσθαι quandoque redundare. Sic apud *Dion. Caſſ.* l. 48. p. 362. Αὐτόν τε ἐκεῖνον παρ' ὀλίγον ἦλθον ἀποχρήσασθαι: pro παρ' ὀλίγον ἀπεχρήσαντο. *Ipſum parum abfuit quin interficerent.* Adde *Nicarchum* in Antholog. Gr. l. 2. c. 6. epigr. 5.

Εἰς Ῥόδον εἰ πλεύσοι τις Ὀλυμπικὸν ἦλθεν ἐρωτῶν.

pro ἐρώτησε. *Rhodum an navigaret aliquis Olympicum interrogavit.* Similiter *Sedulius* carm. l. 2.

- - - *Agnus*
Ecce Dei veniens peccatum tollere mundi:

pro *tollens.* Sic *ibis carpere*, pro *Carpes* dixit *Propert.* l. 6. 33.

Seu pedibus terras, ſeu pontum carpere remis
Ibis, & accepti pars eris imperii.

Vſ. 25. Νηπίοις.) Sc. τέκνοις. Plene *Dionyſ. Halicarn.* l. 2. p. 110. Ἔχουσαι - - τέκνα νήπια. *Habentes - - infantes liberos.* Et *Homer.* Il. ζ. vs. 94. Αἴκ' ἐλεήσῃ - - νήπια τέκνα. *Si miſerata fuerit - - infantes liberos.*

Vſ.

Vs. 26. Ναὶ ὁ πατὴρ.) Nominativus pro Vocativo, ὦ πάτερ. Sic *Libanius* epist. 218. p. 104. Ἄγε οὖν ὦ φίλος (pro φίλε) ἴω τὸ τραῦμα. *Agedum*, o *amicus* (pro *amice*) *medere huic vulneri.*

Cap. XII. *Vs.* 5. Ἀναίτιοί εἰσι.) Bis tantum hic & vs. 7. occurrit hæc vox. Usurpavit *Aeschyl.* Choephor. vs. 873. Ὅπως δοκῶμεν τῶν δ' ἀναίτιοι κακῶν εἶναι. *Ut videamur horum insontes malorum esse.* Et *Dionys. Halicarn.* l. 1. p. 63. Ἔφη παντὸς ἀναίτιος εἶναι τοῦ λεγομένου. *Dixit se totius dicti insontem esse.*

Vs. 9. Καὶ μεταβὰς ἐκεῖθεν ἦλθεν εἰς τὴν συναγωγὴν αὐτῶν.) Eodem fere modo loquitur *Cinnamus* l. 4. p. 149. Ὁ δὲ - - - ἐκεῖθεν μετέβη, καὶ ἐπὶ Βάριν ἦλθεν. *Ille autem - - - prætergressus inde ad urbem Barin venit.*

Vs. 11. Ἐὰν ἐμπέσῃ εἰς βόθυνον.) *Diogen. Laërt.* l. 1. c. 1. narrat Thaletem astra intuentem, εἰς βόθρον ἐμπεσεῖν. *In foveam incidisse.* Incertus Auctor in *Antholog. Gr.* l. 2. c. 5. epigr. 7. Ἐμπίπτως ἁλμυρὸν ἐς πέλαγος. *Incidens in salsum pelagus.*

Vs. 12. Ὥστε ἔξεστι.) Ὥστε pro Οὖν, *Igitur.* Similiter apud alios. *Liban.* epist. 27. p. 12. Ὥστε θαῤῥῶν ἴθι καὶ γράφε. *Igitur animum sumito & scribe.* Et *Diodor. Sicul.* l. 11. p. 408. Ὥστε μὴ νόμιζε - - ὑπὲρ τῆς ἰδίας ἐλευθερίας

ἧττον

ἧττον κινδυνεύσειν. *Igitur ne putes - - eos pro ſua libertate minus periclitaturos eſſe.* Item *Dionyſ. Halicarn.* l. 8. p. 508. Πολέμου καὶ εἰρήνης αὐτοὶ κύριοι. ὥστε παρὰ τούτων αἰτεῖσθε εἴτε ἀνοχὰς, εἴτε διαλλαγάς. *Belli & pacis hi arbitri ſunt; igitur ab iis petite vel inducias, vel pacem.*

Vſ. 16. Ἵνα μὴ φανερὸν αὐτὸν ποιήσωσιν.) *Dionyſ. Halicarn.* l. 2. p. 124. Αὐτὰ δὲ - - - φανερὰν δυνάμενα ποιῆσαι πᾶσαν τὴν προαίρεσιν τοῦ ἀνδρὸς - - ἐρῶν. *Illa autem quæ poſſunt viri propoſitum manifeſtum facere - - dicam.* Sic Id. l. 3. p. 141. Τοῦτο δὲ φανερὸν αὐτοῖς ποιεῖν. *Hoc autem ipſis manifeſtum facere.*

Vſ. 19. Ἐρίσει.) Verbum ſemel tantum lectum habet *Philonides* apud *Stobæum* Florileg, p. 141. Ἅπαν ἐρίζεις, καὶ συνιεὶς οὐδὲ ἕν. *De omni re diſceptas, quamvis ne hilum quidem intelligens.* Et *Ariſtid.* t. 1. p. 148. Ὑπὲρ τῆς πόλεως θεοὶ - - ἤρισαν. *De urbe Dii - - diſceptarunt.*

Vſ. 20. Ἕως ἂν ἐκβάλῃ εἰς νῖκος τὴν κρίσιν.) Conf. in h. l. Obſervationes noſtras, ubi ita hæc verba explicanda ſtatuimus: *Uſque quo exploſerit victoria ſua* (h. e. *reſurrectione*) *judicium capitale.* Sc. crucis, quod ſubiturus erat. Oſtendimus verbum Ἐκβάλλειν, inter alia, ſignificare, *Explodere*, *Exſibilare*, & ita *Ejicere;* quod ſcil. a theatro deſumptum ſit, ubi quicquid ſpectatoribus *diſplicebat*, dice

dicebatur ἐκβάλλεσθαι. Eodem ſenſu uſurpavit *Libanius* epiſt. 217. p. 104. Τὸ δὲ ὅλως ἐκβαλεῖν τὰς χάριτας ὀυχ ἑλληνικὸν. *Charitas autem prorſus explodere Græcos non decet.*

Vſ. 25. Πᾶσα πόλις ἢ οἰκία μερισθεῖσα καθ' ἑαυτῆς οὐ σαθήσεται.) Idem exprimit Appius Claudius apud *Dionyſ. Halicarn.* l. 9. p. 560. Μίαν εἶναι λέγων τῆς ἐξουσίας τοῦ ἀρχεῖυ κατάλυσιν, ἐὰν σασιάζουσι πρὸς ἀλλήλους οἱ ἄνδρες. *Unam eſſe dicens collegii diſſolutionem, ſi inter ſe diſſideant viri.*

Vſ. 30. Ὁ μὴ ὢν μετ' ἐμοῦ.) h. e. *Qui a partibus meis non ſtat. Qui partes meas non ſequitur.* Sic *Dionyſ. Halicarn.* l. 7. p. 420.. Καὶ ἦν ὁ δῆμος μετ' ἐκείνυ. *Et ſtabat populus a partibus ejus.* Et *Iſocrates* Panegyr. p. 148. Πόλεων τὰς πλείσας οἱ μεθ' ἡμῶν ὄντες ἔχουσι. *Civitates plurimas poſſident, qui a partibus noſtris ſtant.*

Vſ. 36. Ἀποδώσουσι περὶ αὐτοῦ λόγον.) Alii *Codd.* pro περὶ legunt ὑπὲρ. Proba eſt recepta lectio. Patet ex *Diodoro Siculo* l. 12. p. 502. Ζητῶ πῶς ἂν δυναίμην ἀποδοῦναι τὸν περὶ τούτων λόγον. *Apud me conſidero, quomodo poſſim de his rationem dare.*

Vſ. 37. Καὶ ἐκ τῶν λόγων.) Καὶ hic ſignificat *Vel*, unde ex mera Gloſſa alii *Codd.* legunt Ἢ. Sic & *Marci* c. 4. vſ. 27. καὶ καθεύδει ᾗ ἐγείρεται. h. e. *Vel ſurgit.* Item *Philipp.* c. 4. vſ. 16. Ἅπαξ καὶ δὶς. h. e.

vel

vel bis. Adde *Athenagor.* p. 2. Καὶ οὐδεὶς αὐτῶν νόμῳ ϗ φόβῳ δίκης - - μὴ στέργειν τὰ πάτρια εἴργεται. *Et nemo eorum, lege vel metu pœnæ - - ut a majoribus ſuis accepta inſtituta colere pergat, abſterretur.* Denique ἐκ τῶν λόγων recte vertitur, *Propter verba.* Simili ſenſu τὸ Ἐκ occurrit apud *Aeſchyl.* Agamn. vſ. 1232. Ἐκ τῶν δε ποινὰς φημι βουλεύειν τινα. *Propter hæc aliquem dico meditari pœnas.* Ita quoque *Et* pro *Vel* uſurpatur Latinis. *Tibull.* 1. 10. 49.

Illa velim rapida Volcanus carmina flamma
Torreat, & liquida deleat amnis aqua.

Vſ. 40. Ἐν τῇ καρδίᾳ τῆς γῆς.) Verte ſimpliciter *In terra.* Καρδία redundat, uti & *Jonæ* c. 2. vſ. 4. Ἀπέρριψάς με εἰς βάθη καρδίας θαλάσσης. *Abjeciſti me in profundates maris.*

Vſ. 41. Ἄνδρες Νινευῖται - - καὶ ἰδὲ, πλεῖον Ἰωνᾶ ὧδε.) Simili pleonasmo loquitur *Palladas* in Antholog. Gr. l. 1. c. 83. epigr. 2. Ἕλληνες ἐσμεν ἄνδρες. Et *Dionyſ. Perieget.* vſ. 362.

Ἀγχι δὲ Λευκανοὶ καὶ Βρέντιοι ἄνδρες ἔασι.
Prope vero *Lucani & Brentii viri ſunt.*

Ultimam formulam uſurpavit *Aeſchyl.* Chœph. vſ. 57.

- - - - Τὸ δ' εὐτυχεῖν
Τό δ' ἐν βροτοῖς θεός τε, ϗ θεοῦ πλέον.

Pro-

- - - - *Prospere agere,*
Hoc inter mortales Deus est, & plus quam Deus.

Vs. 42, Βασίλισσα.) Vox proba, quæ frustra ab aliis impetita fuit. *Heraclit.* de Incredibil. p. 71. Συνουσίας ὠρέχθαι τὴν βασίλισσαν. *Coitum appetivisse reginam.* Et *Aelian.* var. hist. fragm. p. 770. Τρικορυσία βασίλισσα. *Triplicem galeæ cristam gerens regina.*

Vs. 44. Ἐπιστρέψω εἰς τὸν οἶκον μου.) Alii *Codd.* Ὑποστρέψω legunt. Proba est lectio recepta, pro Ἐπιστρέψω ὀπίσω εἰς τὸν οἶκον μου. *Appian. Alexandr.* de bel. Parth. p. 265. Ἐπέστρεψεν εἰς τὴν Ἰταλίαν. *In Italiam reversus est.* Plene habet *Aelian.* var. hist. l. I. c. 6. Ἐπιστρέψασαι ὀπίσω εἰς ἤθη. *Revertentes ad sua loca.*

Vs. 45. Ἑπτὰ ἕτερα πνεύματα - - καὶ γίνεται τὰ ἔσχατα - - χείρονα.) Ἑπτὰ significat hic *Plures spiritus.* Sic 1 *Reg.* c. 2. v. 5. Στεῖρα ἔτεκεν ἑπτά. *Sterilis peperit plures* h. e. πλείσους, uti vertit *Symmachus.* Deinde in Ἔσχατα supple ἀτυχήματα, vel κακά. Plene *Aristid.* t. I. p. 192. Δέχεται - - Θηβαίους ἐπὶ τοῖς ἐσχάτοις ἀτυχήμασι. *Recipit - - Thebanos in extremis miseriis.* Item *Ioseph.* Oper. t. 2. p. 3. Ὁ περὶ τῶν ἐσχάτων κακῶν κίνδυνος. *Miseriæ extremæ discrimen.* Simili pravo sensu *Ultima bella* dixit Sabinus epist. I. v. 22.

Men-

- - Mendaci celantur robore Achivi,
Et Phrygas in miſeros ultima bella fe-
runt.

Cap. XIII. *v.* 1. Ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ.) Omnes Verſiones prave dant Ἐν, *In*, cum vertendum ſit *Poſt.* Ita quoque occurrit apud τοὺς LXX. *Eccleſiaſt.* c. XI. v. 1. Ὅτι ἐν πλήθει ἡμερῶν εὑρήσεις αὐτόν. *Etenim invenies poſt multitudinem dierum.* h. e. *poſt multos dies.* Et *Eſaiæ*, c. 16. v. 14. Ἐν τρισὶν ἔτεσιν -- ἀτιμασθήσεται ἡ δόξα Μωάβ. *Poſt tres annos -- contemnetur gloria Moab.*

Vſ. 2. Ὄχλοι πολλοί, ὥστε αὐτὸν -- καθῆσθαι, καὶ πᾶς ὁ ὄχλος ἐπὶ τὸν αἰγιαλὸν εἱστήκει.) Primo notanda ellipſis, pro ὄχλοι οὕτω πολλοί, ὥστε. *Turbæ adeo multæ, ut.* *Sophocl.* Antig. v. 1369. Γνώμης γὰρ οὐκ ἄπειρος (pro οὕτως ἄπειρος) ὥσθ' ἁμαρτάνειν. *Sapientia enim non eſt deſtituta (*Sc. *adeo) ut peccet.* Plenius loquitur *Aeſchines* Orator apud *Stobæum* Serm. p. 231. Οὕτως ἰσχυρόν ἐστιν ἀλήθεια, ὥστε πάντων ἐπικρατεῖν τῶν ἀνθρωπίνων λογισμῶν. *Adeo validum quid eſt veritas, ut ſuperet omnes humanas cogitationes.* Item *Diodor. Sicul.* l. 1. p. 38. Ἡ καταφορὰ - - οὕτως ἐστὶν ὀξεῖα καὶ βίαιος, ὥστε δοκεῖν μηδὲν βέλους διαφέρειν. *Impetus - - adeo concitatus & violentus eſt, ut a ſagittæ impetu nihil differre videatur.* Ultimam phraſin levi differentia ignorant Mo-

schus Idyl. 2. v. 48. Ἕστασαν ἐπ' ὄφρυος αἰγιαλοῖο. *Stabant in supercilio littoris.*

Vs. 5. Ἐπὶ τὰ πετρώδη -- διὰ τὸ μὴ βάθος ἔχειν.) Τὰ πετρώδη. Sc. χωρία. Addit *Philostrat.* vita Apoll. l. 3. p. 136. Τελευτῶν -- εἰς χωρία πετρώδη. *Desinens -- in loca petrosa.* Ultima verba illustrat *Diodor. Sicul.* l. 3. p. 221. Τῆς θαλάσσης βάθος ἐχούσης -- βρόμῳ μεγάλῳ παραπλήσιον ἦχον ἐξίησι. *Mari profunditatem habente -- magni instar fremitus sonum edit.*

Vs. 15. Ἐπαχύνθη γὰρ ἡ καρδία τοῦ λαοῦ τούτου -- μήποτε ἴδωσι τοῖς ὀφθαλμοῖς, ἢ τοῖς ὠσὶν ἀκούσωσι.) Verbum Παχύνεσθαι, quod proprie ad *corpus* pertinet, eleganter ad *mentem* transfertur. Apud *Philostrat.* vita Apoll. l. 1. p. 10. dicitur Apollonius rejecisse ἐμψύχους βρώσεις,, ὡς -- τὸν νοῦν παχυνούσας: *animalium esum, ut -- qui mentem redderet pinguem.* h. e. *stupidam, stolidam.* Hinc Παχὺς, *Pinguis*, absolute ponitur, pro Παχὺς τὴν διάνοιαν, *Pinguis mente.* h. e. *Stupidus, stolidus.* Vide Aristoph. Nub. act. 3. sc. 1. coll. *Herodiano* l. 2. p. 97. Vocabulum autem Καρδία, *Cor*, de *Intellectu* citra Hebraismum usurpari, ostenderunt *Pfochen.* Diatr. §. 127. *Anna Fabri* ad *Anacreont.* ode 2 v. 6. & cl. *Elsner.* obs. sacr. ad h. l. Eodem sensu voce *Cor* usus est *Claudian.* Eutrop. l. 2. v. 47.

Adeo

- - - *Adeone retuſi*
Quisquam cordis erit? - - -

Denique merito duas ultimas formulas ab Hebraismo contra *Bezam* aliosque vindicavit doctiſſ. *Georg.* Vindic. l. 3. c. 4. p. 357. *Homer.* Il. μ. v. 442. Οἱ δ' οὔασι πάντες ἄκουον. *Illi autem auribus omnes audiverunt.* Id. ibid. γ. v. 27.

- - - Ἀλέξανδρον - -
Ὀφθαλμοῖσιν ἰδὼν - -
- - - *Alexandrum* - - -
Oculis cernens. - - -

Vſ. 17. Πολλοὶ προφῆται - - ἐπεθύμησαν ἰδεῖν.) Πολλοὶ pro Πάντες, uti recte *Euthymius* ad h. l. monuit. Ita quoque *Rom.* c. 5. 15. Οἱ πολλοὶ ἀπέθανον. Ibid. v. 19. Ἁμαρτωλοὶ κατεστάθησαν οἱ πολλοί. *Lucian.* Op. t. 1. p. 44. Μάρτυρα γάρ σε παραστήσασθαι πρὸς τοὺς πολλοὺς ἐθέλω. *Te enim teſtem apud omnes ſiſtere volo.* Similiter Πολλὰ pro Πάντα dixit *Euripid.* Hec. v. 279.

Ἣ δ' ἀντὶ πολλῶν ἐστί μοι παραψυχή.
Hæc pro omnibus rebus eſt mihi ſolatium.

Ita quoque videtur *Multis* pro *Omnibus* uſurpaſſe *Horat.* carm. l. 1. ode 24. v. 9. *Multis ille bonis flebilis occidit.* Adde *Liban.* epiſt. 119. Ἐγὼ δὲ σὲ ἐπιθυμῶν ἰδεῖν, ἥσθην ἰδών. *Ego te videre deſiderans, gaviſus ſum videns.* Et *Xenophont.*

Ephes. l. 1. p. 4. Ἀνθία τὴν Ἀβροκόμην ἐπεθύμει ἰδεῖν. *Anthia Abrocomam cupiebat videre.*

Vs. 20. Μετὰ χαρᾶς λαμβάνων αὐτόν.) Λαμβάνειν hic significat *cum obsequio amplecti.* Ita *Maxim. Tyr.* diss. 37. p. 362. Ἐπαινεῖ τις φιλοσοφίαν; καὶ οὐ λαμβάνει. *Laudat quis philosophiam? atqui non amplectitur.* Eodem sensu τὸ *Accipere* occurrit apud *Flor.* l. 1. c. 2. *Hæc omnia quasi monitu Deæ Egeriæ, quo magis Barbari acciperent.* Prior phrasis occurrit apud *Polyæn.* l. 5. p. 456. Συνθέοντες μετὰ χαρᾶς. *Concurrentes cum gaudio.*

Vs. 29. Ἅμα αὐτοῖς.) *Antonin. Liberal.* c. 41. p. 326. Ἅμα αὐτῷ ἐπὶ τὴν ἀλώπεκα βῆναι. *Cum ipso contra vulpem exire.* Et *Homer.* odyss. λ. v. 387.

- - - ὅσσοι ἅμ' αὐτῷ
- - - θάνον - - -
- - - *Quotquot cum ipso*
- - - *perierunt* - - -

Vs. 30. Συναυξάνεσθαι ἀμφότερα.) Egregie hoc verbum de Urbium incremento usurpavit *Demosthen.* apud *Stobæum* Serm. 161. p. 417. Συναυξάνεσθαι δεῖ τὴν πόλιν τοῖς τῶν ἀγαθῶν πολιτῶν πολιτεύμασι. *Crescere oportet civitatem bonorum civium administrationibus.*

Vs. 35. Ἀπὸ καταβολῆς κόσμου.) Vox Καταβολὴ proprie *Iactum* significat; cum vero

ro *Fundamentum* denotat, elliptice uſurpatur pro Καταβολὴ θεμελίε. Patet ex *Ocello Lucano* c. 4. Οἷον ἐπὶ οἰκοδομίας θεμελίε καταβολή. *Quemadmodum ad ædificandam domum* (neceſſarius eſt) *fundamenti jactus*.

Vſ. 36. Φράσον ἡμῖν τὴν παραβολήν.) In alio *Cod.* apud *Millium* legitur Διασάφησον pró Φράσον, quod gloſſam redolet. Sic *Palæphat.* p. 27. Εἰκὸς δὲ - - φράσαι Ὀδυσσεῖ τοὺς χρόνους. *Veroſimile autem eſt - - eum Ulyſſi expoſuiſſe tempora.* Et *Iſocrat.* Areopag. p. 250. Τὰς δὲ αἰτίας οὐ φράζω. *Cauſas autem non expono.*

Vſ. 46. Πολυτιμὸν μαργαρίτην.) Vox Πολύτιμος bis tantum hic & *Ioann.* c. 12. v. 3. occurrit. - *Heliodor.* l. 1. p. 7. Λίθων πολυτίμων. Et *Herodian.* l. 1. p. 56. Λίθοις πολυτίμοις, *Lapidibus pretioſis*.

Vſ. 47. Σαγήνη.) Vox ſemel lecta. *Phavorinus* Philoſophus apud *Stobæum* Serm. 148. p. 504. Τὰ θηρία τὴν σαγήνην ὑποχωροῦντα. *Animalia everriculum declinantia.* Et *Aelian.* hiſt. animal. l. 11. c. 12. Οὐκ ἔτι πλησιάζει σαγήνῃ. *Non amplius appropinquat ad verriculum.*

Vſ. 48. Ἀναβιβάσαντες ἐπὶ τὸν αἰγιαλόν.) *Palæphat.* p. 10. Ἀναβιβάσαντες ἐπὶ τοὺς ἵππους. *cum equis impoſuiſſet.* Et *Appian. Alexandr.* de bel. Hiſp. p. 444. Τὴν στρατιὰν ἀνα-

ἀνεβίβασεν ἐπὶ τὰς μηχανάς. *Exercitum perduxit ad machinas.* Adde *Numer.* c. 23. v. 4. Ἀνεβίβασα μόσχον -- ἐπὶ τὸν βωμόν.

Vs. 54. Ὥστε ἐκπλήττεσθαι αὐτοὺς, καὶ λέγειν πόθεν τούτῳ ἡ σοφία καὶ αἱ δυνάμεις;) Sic *Aelianus* var. hist. l. 5. c. 7. Ἐνταῦθα, φασὶν, ἐκπλαγῆναι καὶ τὸν Ἀλέξανδρον, καὶ εἰπεῖν, ὅτι μείζονας ἀντιπάλους Κάλανος κατηγωνίσατο. *Tum, ajunt, etiam Alexandrum perculsum fuisse, & dixisse, Calanum potentiores adversarios debellasse.* Ferme cum ultima sententia conspirat, quod habet *Philostrat.* l. 4. c. 31. p. 170. de Appollonio Tyanensi loquens: Περὶ τούτων ἀπὸ τῆς κρηπῖδος τοῦ νεὼ διελέγετο, πάντας ἐκπλήττων, ἐν ταῖς διανοίαις μόνον, ἀλλὰ καὶ ταῖς ἰδέαις τοῦ λόγου. *De his* (virtutibus) *e templi crepidine disserebat, percellens omnes, non solum sententiis, sed etiam dicendi genere.*

Cap. XIV. *v.* 4. Οὐκ ἔξεστί σοι ἔχειν αὐτήν.) *Achill Tat.* l. 4. p. 221. Οὐκ ἔξεστί σοι παρελθεῖν εἴσω τοῦ νεώ. *Non licet tibi ingredi templum.* Item *Appian. Alexandr.* de bell. Civil. l. 1. p. 619. Οἷς οὐκ ἐξῆν ψῆφον -- φέρειν. *Quibus non licebat calculum -- ferre.* Notanda ellipsis in ἔχειν αὐτήν. Sc. ὡς γυναῖκα γαμετήν. Patet ex *Diodoro Siculo* l. 4. p. 305. Μυθολογοῦσι Διόνυσον -- ἔχειν αὐτὴν (Ἀριάδνην) ὡς γυναῖκα γαμετήν. *Fabulantur Bacchum -- ipsam* (Ariadnen) *uxoris loco habuisse.*

Vs.

Vſ. 5. Ὅτι ὡς προφήτην αὐτὸν εἶχον.) Languide Verſiones illud ὡς per *Velut* exprimunt. Significat *Vere*, *Revera*, idque elliptice pro ὡς ἀληθῶς. Similiter in aliis locis. ut *Marci* c. 6. v. 15. Ἢ ὡς εἷς τῶν προφητῶν. i. e. *vel re vera unus prophetarum*. Sic *Joann*. c. 1. v. 14. Ὡς μονογενοῦς παρὰ πατρός. Et *Philipp*. c. 2. v. 8. Ὡς ἄνθρωπος. Vide quæ ad hæc duo ultima loca dedimus. Similiter *Nehem*. c. 7. v. 2. Ὅτι αὐτὸς ὡς ἀνὴρ ἀληθής. *Quia ipſe revera erat vir verax*. Plenius loquuti ſunt *Iſocrat*. Areopag. p. 255. Ἐξ ὧνπερ χρὴ κρίνειν τοὺς ὡς ἀληθῶς εὖ πράττοντας. *Ex quibus judicandum eſt eos revera recte agere*. Item *Diogen. Laërt*. l. 4. p. 438. Ἦν ὡς ἀληθῶς ὁ Βίων - - σοφιστὴς ποικίλος. *Erat revera Bion - - Sophiſta callidus*. Nec non *Iamblich*. apud *Stobæum* Serm. 211. p. 709. Θεὸς ἦν τις ὡς ἀληθῶς. *Deus revera aliquis erat*.

Vſ. 6. Γενεσίων δὲ ἀγομένων.) Vox Γενεσίων ſemel inſuper occurrit *Marci* c. 6. v. 21. ubi pro Γενεσίοις alii *Codd*. ex mera gloſſa Γενεθλίοις legunt. Occurrit apud *Dion. Caſſ*. l. 47. p. 337. Τὰ γενέσια αὐτοῦ δαφνηφοροῦντας - - ἑορτάζειν ἠνάγκασαν. *Natales ejus coronatos - - celebrare eos cœgerunt*. Et paulo poſt ſub finem. Ἐψηφίσαντο τῇ προτεραίᾳ τὰ γενέσια ἀγάλλεσθαι. *Decreverunt pridie ejus diei natales celebrare*. Ceterum verbum Ἄγεσθαι pro

Celebrari apud Exoticos quoque occurrit. *Dionys. Halicarn.* l. 2. p. 129. Ἑορτὴ δ' αὐτῶν ἐςι - - ἐπὶ πολλὰς ἡμέρας ἀγομένη. *Festum eorum per multos dies celebratur.* Et *Dion Cass.* l. 54. p. 545. Τὰ δὲ δὴ Αὐγουςάλια, ἃ καὶ νῦν ἄγεται, τότε πρῶτον ἐκ δόγματος ἐπλέσθη. *Augustalia etiam, quæ nunc celebrantur, tunc ex Senatus consulto acta sunt.*

Vs. 7. Μεθ' ὅρκου ὡμολόγησεν αὐτῇ δοῦναι.) *Dionys. Halicarn.* l. 7. p. 453. Μεθ' ὅρκου τὴν ψῆφον ἐπιφέρειν. *Cum juramento calculum ferre.* Id. l. 11. p. 730. Μεθ' ὅρκου δικάσαντες. *Cum juramento judicantes.* Adde *Diodor. Sicul.* l. 13. p. 627. Δύναμιν πολλὴν ὡμολόγησαν δώσειν. *Copias multas promiserunt se daturos.* Id. l. 14. p. 645. Ὡμολόγησεν αὐτοῖς δώσειν χρήματα. *Promisit se ipsis daturum pecunias.*

Vs. 12. Καὶ ἐλθόντες ἀπήγγειλαν τῷ Ἰησοῦ.) Pro ἐλθόντες alii *Codd.* ex mera glossa ἀπελθόντες dant. Sæpius simplex Ἔρχεσθαι pro Ἀπέρχεσθαι occurrere solet. Sic *Homer.* odyss. α. v. 281. Ἔρχεο πευσόμενος. *Abi interrogaturus:* ubi *Schol.* Ἔρχεο) Ἄπελθε. Nec non *Euripid.* Hec. v. 286.

- - - Ἐλθὼν δ' εἰς Ἀχαικὸν ςρατὸν,
Παρηγόρησον - - - -

- - *Abiens vero ad Græcum exercitum,*
Admone - - - -

ubi

ubi quoque *Paraphraſt.* Ἐλθὼν) Ἀπελθὼν δὲ εἰς τὸν ϛρατὸν τῶν Ἑλλήνων.

Vſ. 13. Ἠκολούθησαν πεζῇ.) Vox Πεζῇ ſemel tantum legitur. *Diodor. Sicul.* l. 1. p. 35. Πεζῇ πορευθῆναι. *Pedeſtri itinere permeare.* Et *Philoſtrat.* vita Apoll. l. 2. p 56. ubi Cameli dicuntur aquam Πεζῇ διαβαίνειν. *Pedibus tranſire.*

Vſ. 19. Ἀναβλέψας εἰς τὸν ὀυρανὸν.) *Philoſtrat.* vita, Apoll. l. 4. p. 183. Ἀναβλέψας εἰς τὸν ὀυρανὸν, ἔϛαι τι, ἔφη, μέγα. *Oculis in cœlum ſublatis, magnum quid, inquit, erit.* Item *Aelian.* hiſt. animal. l. 1. c. 22. Ὄυτε εἰς ὀυρανὸν ἀναβλεποντες. *Neque in cœlum ſuſpicientes.*

Vſ. 21. Χωρὶς γυναικῶν.) h. e. *Præter feminas.* Sic *Dionyſ. Halicarn.* l. 5. p. 313. Ἔλαβον ϗ χρήματα, χωρὶς ὧν οἱ ϛρατιῶται διήρπασαν. *Ceperunt & pecunias, præter ea, quæ milites rapuerant.* Id. ibid. p. 340. Χωρὶς τῶν ἐν ταῖς μάχαις ἀπολυμένων. *Præter eos, qui in prœliis perierunt.*

Vſ. 24. τὸ δὲ πλοῖον ἤδη μέσον τῆς θαλάσσης ἦν -- ἦν γὰρ ἐναντιος ὁ ἄνεμος.) Ex mera gloſſa, qua reſtituitur ellipſis, *Cod. Cantabr.* legit εἰς μέσον pro μέσον. Id autem iterum pro ἐν μέσῳ ponitur. Plenius loquitur *Iulianus* in Antholog. Gr. l. 4. c. 12. epigr. 4. p. 462.

Ἄρεα καὶ Παφίην ὁ ζωγράφος ἐς μέσον οἴκου
- - - γέγραφεν - -
Martem & Venerem pictor in medio do-
mus
- - - *depinxit.* - -

Adde *Polyæn.* l. 5. p. 484. Παραφυλάξας ἄνεμον ἐναντίον. *Captato vento adverso.* Et *Heraclid. Pontic.* allegor. Homer. p. 422. Ἐναντίων ἐστηκότων ἀνέμων. *Adversis stantibus ventis.*

Vs. 31. Εἰς τί ἐδίστασας;) *Lucian.* in Antholog. Gr. l. 2. c. 2. epigr. 1. p. 186. Εἰς τί μάτην νίπτεις δέμας Ἰνδικόν; *Ad quid frustra lavas corpus Indicum?* Et *Nicarchus* ibid. c. 30. epigr. 1. p. 225. Ἐς τί μάχεσθε; *Ad quid pugnatis?* Verbum Διστάζω bis tantum hic & c. 28. v. 17. occurrit. Illud usurpat *Diodor. Sicul.* l. 4. p. 306. Θησέως διστάζοντος περὶ τῆς διαβολῆς. *Theseo in dubium vocante hanc calumniam.* Nec non *Dio Cass.* l. 48. p. 383. Διστάζοντος οὖν τοῦ Καίσαρος - - - ἀπεκρίναντο. *Dubius cum Cæsar esset - - responderunt.*

Cap. XV. *v.* 1. Οἱ ἀπὸ Ἱεροσολύμων γραμματεῖς.) Præpositio Ἀπὸ indicat *istos scribas fuisse Hierosolymitinos.* Ita quoque occurrit apud *Diodor. Sicul.* l. 14. p. 706. τοὺς ἀπὸ Πελοποννήσου - - εἴασαν ἀπελθεῖν. *Peloponnesios - - siverunt abire.* Confer cl. *Schraderum* ad *Musæum* p. 257.

Vs.

Vs. 2. Διατί - - παραβαίνουσι τὴν παράδοσιν τῶν πρεσβυτέρων; οὐ γὰρ νίπτονται τὰς χεῖρας αὐτῶν.) Priorem phrasin habet *Dionys. Halicarn.* l. 8. p. 498. Διὰτί πολεμεῖς ἡμῖν; *Quare nobis bellum infers?* Alteras quoque alii. *Tymneus* in Anthol. Gr. l. 3. c. 5. epigr. 33. Τὸν παραβάντα νόμους - - ἔκτανε. *Transgressum leges - - occidit.* Item *Dionys. Halicarn.* l. 2. p. 106. Παραβῆναι τὰς ὁμολογίας. *Transgredi pacta.* Adde *Homer.* odyss. β. v. 261. χεῖρας νιψάμενος - - εὔχετ' Ἀθήνῃ. *Manus lotus - - precatus est Minervam.* Nec non *Hesiod.* op. v. 741. Χεῖρας νιψάμενος - - ὕδατι λευκῷ. *Manus lotus - - aqua limpida.* Ceterum per Πρεσβύτεροι intelliguntur *Majores.* Eodem sensu adhibuit *Porphyrius* institut. p. 1. Πειράσομαι διὰ βραχέων - - τὰ παρὰ τοῖς πρεσβυτέροις ἐπελθεῖν. *Conabor brevibus - - quæ a Majoribus tradita sunt, exponere.*

Vs. 4. Ὁ κακολογῶν πατέρα.) *Diogen. Laërt.* l. 1. c. 2. Μὴ κακολογεῖν τοὺς πλησίον. *Non maledicere proximis.* Item *Isocrat.* Archid. p. 235. Μηδὲν οὖν ἐνδῶμεν τοῖς εἰθισμένοις ὑμᾶς κακολογεῖν. *Nihil igitur iis, qui nobis maledicere assueti sunt, ansæ præbeamus.*

Vs. 6. Ἠκυρώσατε τὴν ἐντολὴν τοῦ Θεοῦ.) *Dionys. Halicarn.* l. 2 p 131. Ἐὰν μὴ κατὰ τοὺς ἱεροὺς δόξῃ πεπρᾶχθαι (εἰρήνην) νόμους, ἀκυροῦν. *Si juxta sacras leges non esse facta* (pax)

(pax) *videatur, irritam reddere.* Sic inter Apocryphos *Esdras* c. 6. v. 32. Ἐὰν παραβῶσι τι τῶν γεγραμμένων ἢ ἀκυρώσωσι. *Si transgrediantur quid earum, quæ scripta sunt, & irritum reddant.*

Vs. 7. Προεφήτευσε περὶ ὑμῶν.) *Themistius* Orat. 1. p. 16. Πάντα ταῦτα συγγέγραπται τῷ φιλοσόφῳ οὐδὲν τίμιον - - προφητεύοντι περὶ τουδε τοῦ βασιλέως. *Omnia hæc conscripta sunt a philosopho, qui nihil dignum - - prædixit de hoc principe.*

Vs. 11. Ἀλλά τὸ ἐκπορευόμενον ἐκ του σόματος.) Levi differentia eodem modo loquitur *Theognis* v. 609.

- - Οὐδέ τι καλὸν ὅτῳ ψεῦδος προσομαρτῇ
Ἀνδρί, κἂν ἐξέλθῃ πρῶτον ἀπὸ σόματος.

Neque quicquam pulcrum est ei, quem mendacium comitatur, viro, etsi primum exierit ex ore.

Vs. 19. Κλοπαί.) Vox bis tantum hic & *Marci* c. 7. v. 22. *Libanius* epist. 18. p. 6. κλοπῆς μὲν ἄν σε πλεῖςον ἔφην ἀφεςάναι *A furto te longe abesse dicerem.* Et *Longus* pastoral. l. 2. p. 42. Ὡμολόγει γὰρ οὐδεὶς τὴν κλοπήν. *Confitebatur enim nemo furtum.*

Vs. 20. Ἀνίπτοις χερσί.) *Diogenian.* centur. 1. §. 43. Ἀνίπτοις χερσί. *Illotis manibus.* Et *Hesiod.* op. v. 724. Λείβειν αἴθοπα οἶνον χερσὶν ἀνίπτοισιν. *Libare nigrum vinum illotis manibus.*

Vs.

Vſ. 24. Εἰς τὰ πρόβατα.) Εἰς pro Πρὸς. Sic & apud alios. Ita incertus Auctor *Diſſert. Moral.* in Opuscul. Mythologic. p. 728. Αἴ τις - - παιδίον ἐς Πέρσας ἀποπέμψαι. *Si quis - - infantem ad Perſas mittat.* Item *Xenoph. Ephes.* l. 1. p. 8. Πέμπουσιν - - εἰς θεούς. *Mittunt ad Deos.* Denique *Appian. Alexandr.* de bel. Pun. p. 29. Ἐσέπεμπεν ὡς ἐς φίλους. *Mittit ut ad amicos.*

Vſ. 26. οὐκ ἔστι καλόν.) Alii *Codd.* ex mera gloſſa legunt. Οὐκ ἔξεστι. Optima phraſis eſt, quam & alii habent. *Libanius* epiſt. 218. p. 104. Ἀλλὰ τὸ μὲν οὐκ ἐκείνῳ, Τὸ δὲ οὐ σοὶ καλόν. *Sed alterum quidem non illum, alterum vero te non decet.* Sic *Bion.* Idyl. p. 204. Οὐ καλὸν - , ποτὶ τέκτονα φοιτῆν. *Non decet - - ad fabrum ventitare.* Et *Dionyſ. Halicarn.* l. 9. p. 603. Ῥωμαίοι δὲ τὰ ὅμοια ὑμῖν δεδρακότες, οὐ καλόν. *Romanos vero idem vobis feciſſe non decet.*

Vſ. 27. Ἡ δὲ εἶπε. Ναί κύριε.) Optime poſt *Pricæum* pronunciavit cl. *Elsnerus* Ναί eſſe particulam concedentis. Vertendum igitur *Eſto.* Sic etiam occurrit apud *Aphthonium* p. 96. *Nonne igitur a ratione alienum eſt, omnia judicem admittere, aut habere, ſolam hanc legem* (Scil. in adulteros latam) *omnium calculum recuſare judicum?* Ναί, φησιν, ἀλλὰ μεγάλα τῶν μοιχῶν ἀδικήματα.

τα. *Esto, inquit quis, sed magnæ sunt adulterorum injuriæ.*

Vs. 29. Ἐκάθητο ἐκεῖ.) Nullus video quare omnes versiones ferme in Ἐκάθητο *Sedendi* significationem sectentur, cum *Commorandi* aptior sit. *Libanius* epist. 46. p. 23. Εἴ με ἐν Κιλικίᾳ καθήμενοι κινεῖν ἐπειρᾶσθε, *Si in Cilicia commorantes me vocare tentaretis.* Ut & epist. 119. p. 65. Περί τὸν Εὔβουλον οὐκ ὀλίγων καθημένων. *Apud Eubulum paucis commorantibus.*

Vs. 30. Καὶ ἔρριψαν αὐτοὺς παρὰ πόδας τοῦ Ἰησοῦ.) *Aelian.* var. hist. l. 1. c. 21. Περιελόμενος τὸν δακτύλιον ἔρριψεν ἀδήλως παρὰ τοὺς πόδας, ὃν ἔτυχε φορῶν. *Detractum annulum, quem gestabat, clam abjecit ad pedes.*

Vs. 34. Πόσους ἄρτους ἔχετε;) Πόσους. Sc. τὸν ἀριθμόν. Plene habet *Diogen. Laërt.* l. 2. p. 266. Πρὸς δὲ τὸν εἰπόντα πολλὰ τὰ ἀγαθὰ, ἐπύθετο πόσα τὸν ἀριθμόν; *Dicente quodam complura esse bona, rogabat quot numero?*

Cap. XVI. *v.* 2. Λέγετε. Εὐδία πυρράζει γὰρ ὁ οὐρανός.) Vox Εὐδία semel tantum legitur. *Philostrat.* vita Apoll. l. 4. p. 146. Μετὰ εὐδίας τε καὶ εὐπλοΐας. *Cum serenitate favente navigatione.* Eleganter quoque figurato sensu hac voce usus est *Sotion* apud *Stob.* Serm. 64. p. 243. Οἱ κόλακες ἐν εὐδίᾳ παραμένουσιν. *Adulatores in sereno rerum statu permanent apud aliquem.* Ultima verba

ver-

vertere poſſis *ſole rubeſcit cælum*, quomodo loquitur *Avienus* orb. deſcript. v. 13.

- - - *Matutino quā cælum Sole rubeſcit.*

Vſ. 3. Καὶ πρωί.) Proba lectio, pro qua ex mera gloſſa alii *Codd.* legunt καὶ πρωΐας. *Ariſtoph.* Veſp. 480. Ἥκειν εἴπῃ πρωί. *Venire juſſerit mane.* Et *Heſiod.* op. v. 462. Πρωὶ μάλα σπεύδων.

Vſ. 7. Λέγοντες - - ὅτι ἐλάβομεν.) Sæpiuſcule ſolet redundare vocula ὅτι poſt *Dicendi* verba, ſequente primæ Perſonæ verbo. Similiter *Marci* c. 2. v. 12. Ὅτι οὐδέποτε οὕτως εἴδομεν. Et c. 8. v. 16. Λέγοντες ὅτι ἄρτους οὐκ ἔχομεν. Adde *Diodor. Sicul.* l. 12. p. 507. Τοῦ δὲ Περικλέους εἰπόντος, ὅτι τὴν περὶ τῶν χρημάτων ἀπολογίαν αἰτούμενος, ζητῶ πῶς ἂν δυναίμην ἀποδοῦναι τὸν περὶ τούτων λόγον. *Pericle dicente, rationem pecuniarum expedire juſſus, mecum diſquiro, quanam via illam reddere poſſim.* Similiter *Dion Caſſ.* l. 43. p. 235. Αὐτὸν - - εἰπεῖν, ὅτι ἐγὼ μὲν χαρίζομαι τοῦτο ὑμῖν. *Ipſum - - dixiſſe, ego quidem concedo huncce vobis.* Ut & l. 47. p. 331. Ἑνὸς γοῦν τινὸς κεφαλὴν ἰδὼν, εἶπεν ὅτι τοῦτον οὐκ ἠπιστάμην. *Cujusdam capite conſpecto, dixit, hocce non novi.*

Vſ. 18. Καὶ πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς.) Notandum in τῷ Κατισχύσουσιν latere

Poten-

Potentialem significationem, ut sit *prævalebunt*, pro *prævalere poterunt*. Sic *Matth.* c. 12. v. 31. Ἀφεθήσεται, *Remitti poterit.* Et c. 16. v. 26. Ἤ τι δώσει, h. e. *dare poterit.* Sic *Dionys. Halicarn.* l. 1. p. 5. Ὃν (νόμον) οὐδεὶς καταλύσει χρόνος. *Quam* (legem) *nullum abolere poterit tempus.* Et *Æschyl.* Perf. v. 93.

Δολόμητιν δ' ἀπάταν θεοῦ
Τίς ἀνὴρ θνατὸς ἀλύξει;

Dolosam fraudem Dei quis vir mortalis evitabit? pro *evitare poterit.* Ceterum Veteres quoque *Tartaro* Πύλας *Ostia* tribuerunt. *Iulianus* in Antholog. Gr. l. 3. c. 25. epigr. 19.

- - - Πύλας κρατέροιο βερέθρου
Ὄμμασιν ἀγρύπνοις τρισσὲ φύλασσε κύον.
- - - *Ostia robusti inferni*
Oculis vigilibus triplex custodi canis.

Vs. 22. Ἤρξατο ἐπιτιμᾶν.) Pro Ἐπετίμησε. Jam aliquot exempla dedimus supra c. 11. v. 7. Sic *Dion Cassius* l. 47. p. 351. Οἱ μὲν (ποταμοὶ) παντάπασιν ἐξέλιπον, οἱ δ' ἀναπάλιν ῥεῖν ἤρξαντο. *Hi* (fluvii) *omnino defecerunt, illi retro fluere inceperunt:* pro *retro fluxerunt.* Similiter *spectare incipiam* pro *spectabo*, dixit *Propert.* 1. 3. 15.

Inque sinu caræ nixus spectare puellæ
Incipiam, & titulis oppida capta legam.

Vs.

Vſ. 24. Ὀπίσω μου ἐλθεῖν.) Hic fruſtra Helleniſmum ſtatuit illuſtr. *Grotius*. Patet ex *Palæphato* de Incredib. p. 40. Ἐλθὼν δὲ ὁ Περσεὺς ὀπίσω αὐτῶν - - φησὶ δεῖξαι αὐτῷ τὸν Γοργόνα. *Perſeus vero eas ſequens - - juſſit ſibi oſtendere Gorgonem.*

Vſ. 25. Τὴν ψυχὴν αὐτοῦ σῶσαι.) *Achill. Tat.* l. 5. p. 337. Σώσεις γάρ μου τὴν ψυχήν. *Servabis enim vitam meam.* Item *Lyſias* orat. 5. p. 75. Σώσας τὴν αὐτοῦ ψυχήν. *Servata ſua vita.*

Vſ. 26. Τί γὰρ ὠφελεῖται - - ζημιωθῇ.) Utrumque uſurpavit *Iſæus* orat. 4. p. 433. Τί ἡμεῖς ὠφελούμεθα νικήσαντες, ἢ τί οὗτος ἐζημιώθη ἡττηθείς; *Quid commodi nobis erit vincentibus, aut quid damni accipiet victus?*

Vſ. 28. Ἐρχόμενον ἐν τῇ βασιλείᾳ αὐτοῦ.) Hic Ἔρχεσθαι ſignificare *Abire*, oſtenderunt cll. *Raphelius* & *Alberti*. Idem quoque jam notavimus ſupra c. 14. v. 12. Huic explicationi obſtare præpoſitionem Ἐν putat doctiſſ. *Wolfburgius* obſ. ſacr. p. 38. pro qua Εἰς tum debuiſſet extare. Hic bonus dormitat Homerus. Ἐν pro Εἰς ſexcenties occurrit. Aliquot exempla dedimus ſupra c. 10. v. 16. quibus adde *Ammonium* vita Ariſtot. p. 3. Ὁ δέ γε Ἀριστοτέλης ἔρχεται ἐν τῇ τῶν Μακεδόνων πόλει: pro εἰς πόλιν. *Ariſtoteles venit in Macedonum urbem.* Id. ibid. ad

fin. Ἦλθεν ὁ Ἀριστοτέλης ἐν Χαλκίδι. *Venit Aristoteles in Chalcidem.* Sic *Phædrus* l. 5. c. 2. *In conspectu meo* (pro *conspectum meum*) *audet venire.*

Cap. XVII. *v.* 1. Κατ' ἰδίαν.) Sic *Dionys. Halicarn.* l. 10. p. 680. Ἃ κατ' ἰδίαν ἐπιτηδεύων διετέλει. *Quæ seorsim continuo exercebat.*

Vs. 2. Ἔλαμψε τὸ πρόσωπον αὐτοῦ.) Sic *Oculi* dicuntur λάμπειν apud *Long.* Pastoral. l. 4. p. 127. Λάμπουσι δὲ ὑπὸ ταῖς ὀφρύσιν οἱ ὀφθαλμοί. *Fulgent oculi sub superciliis.*

Vs. 9. Μηδενὶ εἴπητε τὸ ὅραμα.) Sic *Callimach.* epigr. 2. Εἶπέ τις - - τεὸν μόρον *Aliquis mihi indicavit - - tuam mortem.* Et *Philostrat.* vita Apoll. l. 3. p. 113. Σὺ δ' ἂν εἴποις, ἔφη, τὸ πρῶτον σῶμα. *Tu autem, inquit, prius indica corpus.*

Vs. 11. Ἀποκαταστήσει πάντα.) *Herodian.* l. 2. p. 84. Τὰς ἐκείνου εἰκόνας ἀποκαταστήσαντες. *Restitutis ejus imaginibus.* Et *Diogen. Laert.* l. 2. c. 18. Τὴν δημοκρατίαν ἀποκαταστῆσαι. *Rempublicam restituere.*

Vs. 12. Μέλλει πάσχειν.) Incertus Auctor in *Poet. Gnomic.* p. 219. Μένει δ' ἕκαστον τοῦθ' ὅπερ μέλλει παθεῖν. *Manet unumquemque id, quod passurus est.*

Vs. 14. Γονυπετῶν αὐτῷ.) *Phurnutus* de nat. Deor. p. 154. Καὶ τὰς Λιτὰς ὁ ποιητὴς ἔφη Διὸς θυγατέρας εἶναι, χωλὰς μὲν οὔσας, δια-

διὰ τὸ πίπτειν τοὺς γονυπετοῦντας. *Narrat quoque poeta Litas filias eſſe Iovis, claudas vero, quod cadere ſoleant, qui genua flectunt.*

Vſ. 15. Καὶ κακῶς πάσχει.) Ex mera Gloſſa alii *Codd.* legunt. κακῶς ἔχει. *Liban.* epiſt. 153. p. 76. Ἐκ ἐπιεικείας, ᾗ, τοῦ πάσχειν κακῶς ἐνταῦθα ἥκει. *Præ æquitate ſua, & quod male patiatur, eo devenit.* Id. epiſt. 165. p. 8. Παρὰ δὲ τῶν ἰσχυόντων εἰ μὴ πάσχει κακῶς. *Si ab iis, qui plurimum poſſunt, non male patiatur.* Item *Aeſchyl.* Prom. vinct. v. 749.

- - - Κρεῖσσον γὰρ εἰσάπαξ θανεῖν,
Ἢ τὰς ἁπάσας ἡμέρας πάσχειν κακῶς.
- - - *Melius enim eſt ſemel mori,*
Quam omnibus vitæ diebus male pati.

Vſ. 18. Ἐπετίμησεν αὐτῷ.) *Diogen. Laërt.* l. 2. c. 18. Ἕως Ἀσκληπιάδης ἐπετίμησεν αὐτῷ. *Usque dum Aſclepiades objurgaverit ipſum.* Et *Aelian.* var. hiſt. l. 11. c. 9. Ἐπιτιμώντων αὐτῷ τῶν φίλων. *Objurgantibus ipſum amicis.*

Vſ. 21. Τοῦτο δὲ τὸ γένος.) Γένος pro εἶδος. Ita quoque occurrit apud *Heſiod.* op. v. 11. Οὐκ ἄρα μοῦνον ἔην ἐρίδων γένος. *Non ſane una eſt contentionum ſpecies:* ubi *Moſchopulus,* ἐρίδων γένος.) Τὸ γένος ἐνταῦθα ἀντὶ τοῦ εἶδος.

Cap. XVIII. *v.* 2. Ἔστησεν αὐτὸ ἐν μέσῳ αὐτῶν.) Sic plane *Appian. Alexandrin.* de bel. ſyr. p. 172. Ἵστη δ' αὐτοὺς ἐν μέσῳ. *Collocat autem eos in medio.*

Vſ. 6. Συμφέρει αὐτῷ, ἵνα - - καταποντισθῇ ἐν τῷ πελάγει τῆς θαλάσσης.) *Polyæn.* l. 2. p. 208. Ὡς ὑμῖν συμφέρει. *Prout vobis expedit.* Et *Dionyſ. Halicarn* l. 3. p. 169. Ὡς ὑμῖν συνέφερεν. *Prout nobis expediebat.* Similiter *Appian. Alexandrin.* de bel. Pun. p. 5. qui narrat, Carthaginenſes juſſiſſe triremium præfectos Xanthippum μετὰ τῶν συμπλεόντων Λακώνων καταποντῶσαι: *cum Laconibus una navigantibus ſubmergere.* Denique *Iulian.* in Antholog. Gr. l. 4. c. 8. epigr. 23. p. 451. Πέσες ἐν πελάγεσσι θαλάσσης. *Cecideris in profunditates maris.*

Vſ. 7. Οὐαὶ τῷ κόσμῳ ἀπὸ τῶν σκανδάλων. ἀνάγκη γάρ ἐστιν - - πλὴν οὐαὶ τῷ ἀνθρώπῳ ἐκείνῳ.) Hic Ἀπὸ *Ob*, *Propter* ſignificat, non ex Hebraiſmo, ut cl. *Olearius* voluit, quem merito refutavit doct. *Georgius* Vindic. l. 2. c. 2. p. 155. *Dionyſ. Halicarn.* l. 9. p. 616. Παραβαίνειν τὰς - - ὁμολογίας ἀπὸ τοιαύτης αἰτίας. *Violare fœdera* - - *ob talem cauſam.* Dicitur Charmus vimineum baculum dedicaſſe Neptuno, apud *Philodemum* in Anthol. Gr. 6. c. 2. epigr. 1. p. 547. Νίκης - - ἀπ' Ἰσθμιάδος. *Victoriam* - - *ob Iſthmiacam.* Adde *Euripid.* Oreſte v. 197.

Ἀπὸ

- - - Ἀπὸ δ' ὤλεσας
Πατέρα, τέκνα τάδε
Σέθεν ἀφ' αἵματος.
- - - *Perdidiſti enim*
Patrem, & liberos hoſce
Tui propter cædem:

ubi *Paraphraſt.* exponit ἀφ' αἵματος per Διὰ τοῦ σοῦ αἵματος. Formula Ἀνάγκη ἐςὶ occurrit etiam apud alios. *Menander* apud *Stob.* Serm. 191. p. 650 Ἀνάγκη γὰρ γυναῖκ' εἶναι κακόν. *Neceſſe enim eſt, feminam aliquid mali eſſe.* Item *Iſocrat.* de Permut. p. 496. Ἀνάγκη γὰρ ἐςὶ - - - μικρὰ παραλελεῖφθαι. *Neceſſe enim eſt - - parva relicta eſſe.* Denique Πλὴν hic pro Πλὴν ὅμως, *Attamen,* occurrit. *Herodian.* l. 4. p. 206. Ἡ δὲ σύγκλητος, οὐκ ἀγνοοῦντες μὲν τὰ πεπραγμένα, - - - πλὴν δέει ϗ κολακείᾳ ψηφίζονται αὐτῷ πάσας τίμας ἐπινικίες. *At Senatus, quamquam totius negotii non ignarus - - - tamen metu atque adulatione cunctos illi victoriæ honores decernit.* Plenius *Heraclides* Allegor. Homer. p. 429. Πλὴν ὅμως τον ἀριθμὸν - - τῶν ἔργων οὐκ ἄπειρον ἡ θέρειος ὥρα πεποίηκεν. *Attamen hunc numerum - - rerum geſtarum haud incredibilem æſtiva dies reddidit.*

Vſ. 12. Ἐπὶ τὰ ὄρη πορευθεὶς ζητεῖ το πλανώμενον.) *Dionyſ. Halicarn.* l. 8. p. 511. Ἐπορεύοντο ἐπὶ την οἰκίαν τῆς Μαρκίε μητρος. *Vadunt*

dunt ad ædes Marcii matris. Et *Cinnamus* hist. l. 4. p. 180. Ὡς ἐπὶ Βρεντέσιον ἐπορεύετο. *Ad Brentesium vadit.* Nec non *Longus* Past. l. 1. p. 22. Καὶ ἔτι νῦν ᾄδουσα μηνύει τὴν συμφορὰν, ὅτι βοῦς ζητεῖ πεπλανημένας. *Etiamnum canendo suæ jacturæ indicium facit, quod quærat vaccas errabundas.*

Vs. 13. Ὅτι χαίρει ἐπ' αὐτῷ.) *Dion Cass.* l. 54. p. 529. Οὕτω γε ἐκεῖνος ἐπ' αὐτῷ ἔχαιρεν. *Adeo ille hac de re gavisus est.* Item *Dionys. Halicarn.* l. 3. p. 157. Οὐκ ἐπὶ τοῖς ἀγαθοῖς χαίρεις. *Non ob hæc bona gaudes.* Et Incertus Auctor in *Antholog. Gr.* l. 1 c. 37. epigr. 4. p. 74.

- - - Ἄλλος ἐπ' αὐτῷ
χαιρήσει. - - -
- - - *Alius ob ipsum*
Gaudebit. - - -

Vs. 15. Μεταξὺ σοῦ καὶ αὐτοῦ.) Anonymus Auctor de *Incredibil.* c. 10. Ὅθεν ἐδόθη μῦθος, κρῖναι αὐτὸν μεταξὺ Παλλάδος ἢ Ἥρας ἢ Ἀφροδίτης. *Hinc fabulæ datus locus, eum* (Paridem) *inter Palladem, Iunonem & Venerem sententiam dixisse,*

Vs. 16. Δύο μαρτύρων ἢ τριῶν.) *Diogen. Laert.* l. 7. c. 15. Οὐ μὴν οὐδὲ μετὰ πλειόνων δύο ἢ τριῶν περιεπάτει. *Neque cum pluribus duobus vel tribus ambulabat.* Et *Herodian.*

l. 7.

l. 7. p. 324. Δύο δὲ ἢ τρεῖς - - - εἰς τὸ συνέδριον εἰσῆλθον. *Duo vero vel tres - - Senatum ingreſſi ſunt.*

Vſ. 17. Ἐὰν δὲ παρακούσῃ αὐτῶν.) Hoc tantum verſu occurrit verbum Παρακούειν. *Cebes* tab. p. 168. Ὑμεῖς οὖν προσέχετε, καὶ μὴ παρακούετε. *Vos autem attendite, neque audire negetis.* Et *Philoſtrat.* epiſt. 28. p. 927. Ἐὰν δὲ παρακούῃ, κατακαύσατε. *Sin audire noluerit, comburite.*

Vſ. 19. Γενήσεται αὐτοῖς παρὰ τοῦ πατρός μου.) Alii *Codd.* ex mera gloſſa pro Γενήσεται legunt Δοθήσεται. Elegans phraſis eſt, quæ & apud alios occurrit, citra Hebraiſmum, ut docta cerebra ſomniarunt. *Aelian.* var. hiſt. l. 9. c. 25. Εἰ δὲ ἀπορεῖς σπερμάτων, παρ᾽ ἐμοῦ σοὶ γενέσθω. *Si eges ſeminum, de meo impetres,* Similiter *Libanius* epiſt. 68. p. 36. Γενέσθω τοίνυν αὐτῷ παρ᾽ ὑμῶν, ἃ παρ᾽ ἐκείνων. *Obtineat igitur a vobis, quæ ab iſtis obtinuit.*

Vſ. 20. Δύο ἢ τρεῖς.) Formula hæc *Parvum numerum* indicat. Eodem quoque ſenſu occurrit apud *Ioſeph.* contra *Appion.* l. 2. §. 32. p. 490. Δύο ἢ τρεῖς ἔγνω τις προδότας γενομένους τῶν νόμων *Quisque novit duos tresve proditores legum fuiſſe.*

Vſ. 21. Ἁμαρτήσει εἰς ἐμέ.) *Appian. Alexandr.* de bel. Syr. p. 148. Ῥωμαίων οὐδὲν - - ἐς ἄλλους Καρχηδονίους ἁμαρτόντων. *Ro-*

manis nihil - - in alios Carthaginienses peccantibus. Et *Sophocl.* in *Stobæi* florileg. tit. 27. p. 121.

- - φυλάσσεται
- - - εἰς θεοὺς ἁμαρτάνειν.
- - - *Evitat*
- - - *in Deos peccare.*

Vs. 25. Μὴ ἔχοντος δὲ αὐτοῦ.) h. e. *Non valente illo, cum non posset.* Ita in aliis locis occurrit. Ἔχειν pro Δύνασθαι. *Lucæ.* c. 14. v. 14. Ὅτι οὐκ ἔχουσιν. *Quod non possint.* Item *Ioann.* c. 8. v. 6. Ἵνα ἔχωσι. *Ut possent.* Et *Ephes.* c. 4. v. 28. Ἵνα ἔχῃ. *Ut possit.* Adde *Proverb.* c. 3. v. 27. Ἡνίκα ἔχῃ ἡ χεῖρ σου βοηθεῖν. *Quum potest manus tua auxiliari.* Similiter *Dionys. Halicarn.* l. 1. p. 19. Οὐκ εἶχον τὰ λεγόμενα συμβαλεῖν. *Non poterant dicta intelligere.* Item *Aristoph.* Plut. p. 22. Οὐκ εἶχεν - - οὐδὲν λαβεῖν. *Non poterat - - quicquam capere.* Eodem modo τὸ *Habere* pro *Posse* usurpavit *Tertullian.* Apologetic. c. 37. p. 307. *Si inimicos - - jubemur diligere, quem habemus odisse?*

Vs. 30. Ἀποδῷ τὸ ὀφειλόμενον.) *Diodor. Sicul.* l. 13. p. 617. Τοῖς μὲν φρουροῦσι τὴν πόλιν - - ἀπέδωκε τοὺς ὀφειλομένους μισθούς. *Præsidiis urbis - - exsolvit debitas mercedes.*

Vs. 31. Διεσάφησαν τῷ κυρίῳ αὐτῶν πάντα.) Διασαφεῖν semel tantum occurrit. *Dionys. Halicarn.* l. 6. p. 410. Τὰ δόξαντα τῇ βουλῇ διεσάφη-

σάφησαν. *Placita Senatui expoſuerunt.* Item *Diog. Laert.* l. 6. c. 2. Ὡς καὶ αὐτὸς ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς διασαφεῖ. *Quemadmodum & ipſe in epiſtolis declarat.* Nec non *Homeri* vitæ Auctor p. 354. Τίνα οὖν ἐστι τὰ ἀγαθά, ὧν ἐφίενται οἱ ἄνθρωποι, - - ἐν πολλοῖς διασαφεῖ. *Quænam igitur bona expetantur ab hominibus - - in multis exponit.*

Cap. XIX. *v.* 3. Κατὰ πᾶσαν αἰτίαν.) Κατὰ, *Ob*, *Propter.* Sic *Dion Caſſ.* l. 49. p. 402. Οἱ μὲν κατὰ τὴν τοῦ πατρὸς αὐτοῦ συνελέγησαν. *Hi quidem ob ejus patris gloriam - - convenerunt.* Et *Diodor. Sicul.* l. 12 p. 491. Κατὰ παιδείαν τεθαυμασμένος. *Ob eruditionem admirandus.* Ceterum pro αἰτίαν alii *Codd.* ἁμαρτίαν legunt. Id gloſſam redolet. Αἰτία eodem ſenſu occurrit *Matth.* c. 27. v. 37. Καὶ ἐπέθηκαν - - τὴν αἰτίαν αὐτοῦ. Et *Actor.* c. 25. v. 18. Οὐδεμίαν αἰτίαν ἐπέφερον. Adde *Herodian.* 6. 1. 15. Καίτοι τινῶν μεγίσταις αἰτίαις ὑποπεσόντων. *Quamvis quidam maximis criminibus impegerint.*

Vſ. 4. Ὁ ποιήσας ἀπ' ἀρχῆς, ἄρσεν καὶ θῆλυ ἐποίησεν αὐτούς;) Ἀπ' ἀρχῆς. Sc. κόσμου, vel κτίσεως. Patet ex *Matth.* c. 24. v. 21. Ἀπ' ἀρχῆς κόσμου. *Marci* c. 13. v. 19. Ἀπ' ἀρχῆς κτίσεως. Et 2. *Petri* c. 3. v. 4. Elliptice loquitur *Xenophanes* apud *Stob.* edit. Grotii p. 141. Αὐτοὶ ἀπ' ἀρχῆς (ſc. κόσμου, vel κτίσεως) πάντα θεοὶ θνητοῖς παρέδειξαν. *Ipſi*

Dii ab initio (Sc. *mundi*, vel *creationis*) *omnia mortalibus ostenderunt.* Hic conferri merentur verba Cæsaris Augusti apud *Dion. Cass.* l. 56. p. 573. qui inter alia hæc populo Romano dicit. Ὁ πρῶτος καὶ μέγιστος ἐκεῖνος θεὸς, ὁ πηκτηνάμενος ἡμᾶς, διχῆ τε διεῖλε τὸ θνητὸν γένος, καὶ τὸ μὲν ἄρρεν αὐτοῦ, τὸ δὲ θῆλυ ἀποδείξας, ἔρωτα καὶ ἀνάγκην σφισὶ τῆς πρὸς ἀλλήλους συνουσίας ἐνέβαλε, καὶ γόνιμον τὴν ὁμιλίαν αὐτῶν ἐποίησε. *Primus iste ac maximus Deus, qui nos condidit, humanum genus in duas partes cum secuisset, ac masculam unam, muliebrem alteram fecisset, amorem eis ac necessitatem coitus inter se indidit, ac fæcundam eorum consuetudinem reddidit.*

Vs. 8. Πρὸς τὴν σκληροκαρδίαν.) Πρὸς, *Ob*, *Propter.* Aliquot jam dedimus exempla, quibus adde *Aeschyl.* Prom. Vinct. v. 1042.

Πρὸς ταῦτ' ἐπ' ἐμοὶ ῥιπτέσθω μὲν
Πυρὸς ἀμφήκης βόστρυχος.
Ob hæc in me projiciatur
Ignis anceps capillitium.

ubi *Schol.* Πρὸς ταῦτ') Διὰ τοῦτο. Similiter Latinis usurpatur *Ad* pro *Ob*, *Propter.* Confer cl. *Drakenborch.* ad *Liv.* 45. 39. 8.

Vs. 11. Τὸν λόγον τοῦτον.) h. e. *Hanc rem.* Ita quoque vox hæc usurpatur *Marci* c. 1. v. 45. Διαφημίζειν τὸν λόγον. *Evulgare rem.*

rem. Sic & apud *Aeſchyl.* Perſ. v. 343. ubi nuntius quidam, expeditione navali deſcripta, addit; Ὧδ' ἔχει λόγος. *Sic ſe habet res.* Anonymus Auctor de *Incredibil.* c. 13. Ὁ Φαέθων τὸν τοῦ ἡλίου δρόμον ἐπεχείρησε -- ἀλλὰ ἀτελῶς τὸν λόγον ἀπολιπὼν ἀπέθανεν. *Phaeton Solis curſum obſervabat - - ſed re infecta obiit.*

Vſ. 20. Ἐκ νεότητός μου.) *Antonin. Liberal.* c. 22. p. 180. Ἐκ νεότητος - - θεολαβής. *A puero - - ratione privatus.* Nec non *Homer.* Il. ξ. v. 85.

- - - οἷσιν ἄρα Ζεὺς
Ἐκ νεότητος ἔδωκε -- τολυπεύειν
Ἀργαλέους πολέμους. - - -

- - - *Quibus Iupiter*
A puero conceſſit - - - conficere
Ardua bella. - - -

Vſ. 21. Πώλησόν σου τὰ ὑπάρχοντα - - καὶ ἕξεις θησαυρὸν ἐν οὐρανῷ.) Τὰ ὑπάρχοντα. Sc. ἀγαθά.) *Heraclitus* de Incredibil. p. 69. Τὰ ὑπάρχοντα κατέφαγε. *Bona ſua comedit.* Plenius *Ariſtotel.* apud *Stobæum* Serm. 28. p. 81. Χρῆσθαι καλῶς τοῖς ὑπάρχουσιν ἀγαθοῖς. *Uti recte bonis ſuis.* Sequentem formulam uſurpavit Alexander Magnus apud Eund. Serm. 214. p. 722. qui ἐρωτηθεὶς ὑπό τινος, ποῦ τοὺς θησαυροὺς ἔχεις; δείξας τοὺς φίλους, ἔφη,

ἐν

ἐν τούτοις. *Rogatus ab aliquo, ubi tuos thesauros habes? ostensis amicis, in his inquit.*

Vs. 22. Ἀπῆλθε λυπούμενος, ἦν γὰρ ἔχων κτήματα πολλά.) Ex elegantiori Græcismo Ἀπῆλθε λυπούμενος, ponitur pro Ἐλυπήθη. *Evasit contristatus* h. e. *contristatus est.* Sic *Libanius* epist. 351. p. 171. Καιρὸν εἰς πλοῦτον πάλαι λαβὼν, ἀπῆλθεν ἔχων (pro εἶχεν) ἔπαινον ἀντὶ χρημάτων. *Occasionem ditescendi jam pridem nactus, evasit obtinens* (pro *obtinuit*) *laudem pro opibus.* Adde Eund. epist. 159. p. 78. Θὲς δὲ σαυτὸν ἐν Παλαιστίνῃ κτήματα ἔχειν. *Pone vero, te in Palæstina possidere bona.* Et *Homer.* Odyss. α. v. 402. Κτήματα δ' αὐτὸς ἔχοις. *Bona vero ipse habeas.* Denique Ἦν ἔχων, pro Εἶχε. Sic *Dion Cass.* l. 46. p. 323. Εἴ τινα (ἀρχὴν) ἄρα ἔχων ἦν: pro εἶχε. *Si quam* (dignitatem) *erat gerens*: pro *gerebat.*

Cap. XX. *v.* 3. Καὶ ἐξελθὼν περὶ τὴν τρίτην ὥραν, εἶδεν ἄλλους ἑστῶτας ἐν τῇ ἀγορᾷ ἀργούς.) Supple ἡμέρας post ὥραν. Addit *Appian. Alexandr.* de bel. *Civ.* l. 2. p. 748. Περὶ τρίτην ὥραν ἡμέρας ἦγε τὸ κράτιστον τῆς στρατιᾶς. *Circa tertiam horam diei duxit robur exercitus.* Ultimam formulam habet *Philostrat.* Heroic p. 661. Ἄπονοί τε καὶ ἀργοὶ ἑστήκουσιν, ὥσπερ γεγραμμένοι. *Nil facientes & otiosi stabant, velut picti.*

Vs.

Vſ. 6. Τί ὧδε ἑςήκατε;) Perite *Quid ita*, ſive *hoc modo ſtatis?* vertit cl. *Alberti.* Similiter *Philoſtrat.* vita Apoll. l. 3. p. 106. Ὧδε Δάμις ἐξηγεῖται. *Ita Damis narrat.* Item *Achill. Tatius* l. 1. p. 11. Ὁ δὲ ἄρχεται τοῦ λεγειν ὧδε. *Ille autem incipit loqui hoc modo.* Nec non *Marcus Argentarius* in Antholog. Gr. l. 4. c. 7. epigr. 20. p. 444. Ὧδε μ' ἔδησε Μύρων. *Sic me ligavit Myron.*

Vſ. 8. Καὶ ἀπόδος αὐτοῖς τὸν μισθόν.) *Aelian.* var. hiſt. l. 13. c. 2. Ου χρηςὸν οἱ μισθὸν ἀπέδωκεν. *Non bonam ei mercedem dedit.* Sic *Polyæn.* l. 4. p. 384. Ἑκάςῳ - - τὸν μισθὸν ἀπεδίδου. *Cuique - - mercedem dedit.* Et *Libanius* epiſt. 140. p. 71. Νῦν ὄντως μοι τοὺς μισθοὺς ἀπέδωκας. *Nunc vere mihi mercedem dediſti.*

Vſ. 12. Τοῖς βαςάσασι τὸ βάρος τῆς ἡμέρας.) *Cinnamus* hiſt. l. 4. p. 176. Ὡς μὴ αὐτοὶ τῶν εἰς δεῦρο καμάτων τὸ βάρος βαςάσαντες, εἶτα τῶν ἐκ τῆς νίκης αγαθων - επ. κοινωνεῖν ἕξομεν. *Ne cum totam molem laborum ſuſtinuerimus, poſtea bona victoriæ - - communicare debeamus.*

Vſ. 15. Ἐν τοῖς ἐμοῖς.) h. e. *In meis rebus*, ſive *bonis.* Sic *Longus* Paſtoral. l. 3. p. 98. Οὐδενὸς εἰμὶ τῶν ἐμῶν κύριος. *Nullius rerum mearum ſum dominus.* Item *Iſocrat.* Trapezit. p. 541. Ἔγνων αὐτὸν ἐπιβουλεύοντα τοῖς ἐμοῖς. *Animadverti ipſum inſidiari bonis meis.*

Ut

Ut & *Dionyſ. Halicarn.* l. 11. p. 697. Ἀνασκευασάμενος τὰ ἐμὰ - - εἰς Σαβίνȣς ἄπειμι. *Collectis bonis meis - - ad Sabinos concedo.*

Vſ. 16. Οὕτως ἔσονται οἱ ἔσχατοι πρῶτοι, καὶ οἱ πρῶτοι ἔσχατοι.) Notat *Polyænus* l. 6. p. 553. Philopœmenen exiſtimaſſe, non decere ducem Phalangem præcedere, unde erat τότε μὲν ἐν πρώτοις, τότε δὲ ἐν ἐσχάτοις. *Tunc inter primos, tunc inter ultimos.*

Vſ. 17. Ἀναβαίνων - - εἰς Ἱεροσόλυμα.) *Polyænus* l. 3. p. 260. Ἐς Θράκην ἀναβάς. *In Thraciam adſcendens.* Et *Antonin. Liberal.* c. 40. p. 312. Εἰς Κεφαλληνίαν ἀνέβη. *In Cephalleniam adſcendit.*

Vſ. 21. Ἐκ δεξιῶν, ἐξ εὐωνύμων.) *Dionyſ. Halicarn.* l. 5. p. 296. Ἐξ εὐωνύμων μὲν καὶ δεξιῶν ἔχοντι πρόβλημα τὸν ποταμόν. *A ſiniſtra & dextra habenti fluvium ut propugnaculum.* Et *Diodor. Sicul.* l. 1. p. 57. memorat duas ſtatuas in aliquo templo, τὸν μὲν ἐκ δεξιῶν, τὸν δὲ ἐξ εὐωνύμων. *Alteram a dextra, alteram a ſiniſtra.*

Vſ. 22. Δύνασθε πιεῖν τὸ ποτήριον ὃ ἐγὼ μέλλω πίνειν;) *Aelian.* var. hiſt. l. 12. c. 1. Ἔτυχε μὲν ἀπὸ δείπνȣ ὤν, καὶ πίνειν ἔμελλε κατὰ τὸν τρόπον τὸν Περσικόν. *Erat jam ille cœna uſus, ac bibiturus more Perſico.* Pro Πιεῖν ποτήριον eodem ſenſu figurato κρατῆρα ἐκπίνειν dixit *Aeſchylus* Agamn. v. 1406.

To-

Τοσῶνδε κρατῆρ' ἐν δόμοις κακῶν ὅδε
Πλήσας ἀραίων, αὐτὸς ἐκπίνει μολών.

Tantorum pateram in ædibus malorum iste
Cum implevisset dirorum, ipse ebibit reversus.

Vs. 23. Οὐκ ἔστιν ἐμὸν δοῦναι, ἀλλ' οἷς ἡτοίμασαι) Ἀλλ' οἷς. h. e. *Nisi quibus.* Sic *Marci* c. 9. v. 8. Οὐκέτι οὐδένα εἶδον, ἀλλὰ τὸν Ἰησοῦν. Alii *Codd.* ex mera glossa pro ἀλλὰ legunt εἰ μή. *Diog. Laërt.* Procem. p. 12. Μηδένα γὰρ εἶναι σοφὸν ἄνθρωπον, ἀλλ' ἢ θεόν. *Nullum enim sapientem esse hominem, nisi Deum solum.* Et *Herodian.* l. 2. p. 67. Αἴτιος δὲ τοῦ τοιούτου θανάτου οὐκ ἄλλος, ἀλλ' αὐτὸς αὑτῷ. *Verum causa talis mortis nemo alius, nisi ipse sibi fuit.* Verbum autem Δοῦναι *Concedendi* sensu & apud alios occurrit. *Aeschyl.* Agamemn. v. 1344.

- - Πόλιν μὲν ἑλεῖν ἔδοσαν
Μάκαρες Πριάμου. - - -

- - Urbem capere dederunt
Immortales Priami. - - -

Sic & *Dare* pro *Concedere*, apud *Statium.* Theb. l. 3. v. 283.

- - - Quid me Tyrio sociare marito,
- - - Infaustisque dabas Hymenæis?

Vs.

Vs. 25. Ὅτι οἱ ἄρχοντες - - κατακυριεύουσιν αὐτῶν, καὶ οἱ μεγάλοι κατεξουσιάζουσιν αὐτῶν.) Verbum Κατακυριεύειν occurrit apud *Cinnam.* hist. l. 4. p. 258. Οὔτε σοι, περιόντων ἡμῶν, κατακυριεύειν δυνατὰ ἔσαι. *Neque tibi, viventibus nobis, dominari possibile erit.* Hic Μεγάλοι sunt *Potentes.* Ita quoque usurpavit in epigrammate Solon, apud *Diogen. Laert.* l. 1. c. 2. Ἀνδρῶν δ' ἐκ μεγάλων πόλις ὄλλυται. *Viris potentibus urbs perditur.*

Vs. 26. Ἀλλ' ὃς ἐὰν θέλῃ ἐν ὑμῖν μέγας γενέσθαι, ἔσω ὑμῶν διάκονος.) Primo notandum μέγας hic poni pro μέγιςος, *maximus.* Ita sæpe Positivus pro superlativo occurrere solet: *Matth.* c. 5. 19. Οὗτος μέγας κληθήσεται. *Ille maximus erit.* Item c. 22. v. 36. Ποία ἐντολὴ μεγάλη ἐν τῷ νόμῳ. *Quodnam præceptum est maximum in lege?* Et ibid. v. 38. Αὕτη ἐςι - - μεγάλη ἐντολή. *Hocce est - - maximum præceptum.* Item apud τοὺς LXX. *Genes.* c. 6. v. 9. Τέλειος (pro Τελειώτατος) ὢν ἐν τῇ γενεᾷ αὐτοῦ. *Cum esset perfectissimus in sua generatione.* Et *Cantic.* c. 1. v. 8. Ἡ καλὴ (pro καλίςη) ἐν γυναιξίν. *Pulcherrima inter feminas.* Deinde Ὃς ἐὰν θέλῃ μέγας γενέσθαι ex elegantiori Græcismo ponitur, pro Ὃς ἐὰν μέγας γένηται, ita ut redundet verbum Θέλειν ante aliud. Sic *Lucæ,* c. 20. v. 46. τῶν θελόντων περιπατεῖν ἐν ςολαῖς h. e. τῶν περιπατούντων. *Ioann.* c. 5. v.

35.

35. Ὑμεῖς δὲ ἠθελήσατε ἀγαλλιασθῆναι. h. e. Ὑμεῖς δὲ ἠγαλλιάσθητε. Item c. 7. v. 17. Ἐάν τις θέλει τὸ θέλημα αὐτοῦ ποιεῖν. h. e. Ἐάν τις ποιῇ. Et c. 8. v. 44 Θέλετε ποιεῖν. h. e. Ποιεῖτε. Ut & *Actor.* c. 2. v. 12. Τί ἂν θέλοι τοῦτο εἶναι. h. e. Τί ἂν τοῦτο εἴη Addamus Profanorum exempla. *Aeſchyl.* Prometh. vinc. v. 781.

- - - Τὴν δ' ἐμοὶ χάριν
θέσθαι θέλησον - - -
- - - *Hanc autem mihi gratiam*
Concedas. - - -

Item *Euripid.* Oreſte v. 921.

Ὃς εἶπ' Ὀρέστην παῖδα τὸν Ἀγαμέμνονος
Στεφανοῦν, ὃς ἠθέλησε τιμωρεῖν πατρί.
Qui cenſuit Oreſtem filium Agamemnonis
Coronandum, quod ultus ſit patrem.

Adde *Dion. Caſſ.* l. 49. p. 417. Ἐπειδὴ Λούκιός τις Ἀσύλλιος - - τὴν ἀρχὴν - - ἀφεῖναι ἠθέλησε, τὸν υἱὸν αὐτοῦ ἀνταπέδειξε. *Quum Lucius quidam Aſyllius - - magiſtratum - - abdicaret, filium ejus ſuffecit ei.* Apud Latinos quoque *Velle* ante aliud verbum redundat. *Ovid.* Heroid. epiſt. 21. v. 139.

Si tibi conjugium volui promittere noſtrum,
Exige polliciti debita jura tori:

pro Si *promiſi.* Sic in Antiqua Inſcriptione apud *Gruter.* DCCCCXVI. 12.

Rogo. per. Deos. ſuperos. inferosque.
ni.
Velitis. oſſa. mea. violare.

pro *ni violetis:* ubi obiter notes *ni* ex vetuſtiori uſu pro *ne* uſurpari.

Vſ. 28. Δοῦναι - - λύτρον.) Eadem phraſi utitur *Leonidas* in Anthol. Gr. l. 4. c. 12. epigr. 55. p. 471.

- - - Ὃν περὶ Φρύνη
Δερκόμενος, σφετέρων λύτρον ἔδωκε πόθων.

- - - *Quem apud Phrynen*
Cernens, ſui pretium ſolutionis dedit
amoris.

Vſ. 30. Ἐλέησον ἡμᾶς κύριε.) Sic Naufragus apud *Achill. Tatium* l. 3. p. 165. Ἐλέησον δέσποτα Πόσειδον. *Miſerere domine Neptune.* Nec non captiva quædam apud Eund. l. 5. p. 319. Ἐλέησόν με δέσποινα. *Miſerere mei domina.*

Reliqua ad Matthæum dabit ſequens Faſciculus.



II.

II.

JOANNIS CHRISTOPHORI HARENBERGII,

SPICILEGIUM PRIMUM AD DIATRIBEN*) DE

PERICOPIS BIBLICIS RECTE CONSTITUENDIS

§. 1.

In pericoparum, a LXX Sacris litteris insertarum, numero conspicitur id, quod legitur GEN. XLVI, 27. ubi ipsi intexuerunt vel potius librarii numero *Septuagenario*, qui est in fonte ebræo, suum πέντε, *quinque*, ut indicaverint, 75. posteros Iacobi ingressos fuisse εἰς Ἀίγυπτον, ebr. מצרימה. Adiungimus, ut 75. hos τῶν LXX posteros, quos in ebræo deprehendimus tantum fuisse septuaginta, merito hisce id, quod

 Ale-

*) *conf. Cl. II. Fasc. II. N. 1. & Fasc. III. N. 1.*

Alexandrinus, *græcus Interpres*, ut vulgo existimatur, addidit inciso 20. ibidem. En græca verba ipsa: Ἐγένοντο δε ὑιοὶ Μαννασσῆ. ὓς ἔτεκεν αὐτῷ ἡ παλλακὴ ἡ Σύρα, τὸν Μαχειρ. Μαχεὶρ δὲ ἐγέννησε τὸν Γαλααδ. Τοὶ δὲ Ἐφραὶμ, ἀδελφῦ. Μαννασση, Συταλααὰμ καὶ Taάμ: ὑοὶ δὲ Σουταλααάμ, Εδέμ. *Nati erant filii Mannasse*, *quos pepererat ei ipsa uxor secundaria Syra*, *Machirum. Machir vero generaverat Galaadum. Filii autem Ephraim*, *fratris Mannasse* erant *Sutalaam & Taam*; *filii vero Sutalaami Edem.* Menassi fuisse filium Machirum & ex hoc natum Gileadum, intelligimus ex Ios. XVII, 1. 3. & Num. XXVI, 20. Ephraimo erant filii *Schutelah* & *Tachan*, Num. XXVI, 35. In hoc loco illis duobus Ephraimi filiis additur præterea *Bichri*, utrique interpositus. Præterea ibidem docemur v. 36, Schutelahho fuisse filium *Eran* huiusque Erani filios. Is, qui additamentum illud Gen. XLVI. 20, inseruit, locum *Num.* XXVI, 35, legit mutilatum in græco suo codice, siquidem in Codicibus græcis quamplurimis hæc verba græca, ad ebræum fontem revocata, ὁ Συθαλαὶ τῷ Βεχὲρ, δῆμος ὁ Βέχερὶ desiderantur. ORIGENES hæc verba græca, ubi LXX. Interpretum manca erat nec omnibus verbis ebræi fontis respondebat, olim interpretationi *Alexandrinorum* inseruit,

ruit, quemadmodum ipſe teſtis eſt a), ex *Theodotionis* vel alius interpretis græci verſione; ibique adpoſuit aſteriſcum. Varia enim menda iam ante *Origenem* illapſa fuiſſe verſioni LXX, *Io. Ern.* GRABIUS copioſe docuit in *Diſſertatione de Vitiis* LXX *Interpretum Verſioni ante Origenis ævum illatis, ac remediis ab ipſo in hexaplari editione adhibitis.* In Codice *Alexandrino* LXX, quem *Grabius* in lucem emiſit Annæ Britannorum Reginæ iuſſu, legitur ille *Becher. Num.* XXVI, 35. Syra concubina, quam legimus in LXX, memorata Gen. XLVI, 20, enata fuit ex *Aramjab*, ex qua Menaſſes genuit filium Esrielem. 1. *Chron.* VIII (VII), 14. LXX hunc locum ſic in græcum tranſtulerunt: Υἱοὶ Μανασσῆ, Ἐσριὴλ, ὃν ἔτεκε ἡ παλλακὴ αὐτοῦ ἡ Σύρα, ἔτεκε τὸν Μαχεὶρ πατέρα Γαλαάδ. Videtur illa *haarammijab* ſive *Syra* peperiſſe Machirum æque ac Aſrielem. Niſi horum utrumque Interpres *Alexandrinus* habuiſſet pro viro eoque uno & eodem, numerum ſuum 75 patriarchalem turbaſſet, ac 76 homines, Iacobi poſteros, in ſuam redegiſſet ſummam. Ut verbo dicam, autor additamentorum græcorum in *Gen.* XLVI, 20. 27. famæ ſuæ

pa-

a) *Comment. in Matthaeum* To. I. *Opp. graecolatin.* p. 381.

parum consuluit. Nam numerus filiorum Menassis & Ephraimi maior fuit opinone ipsius, ac quinarium numerum satis excedit. Sunt b), qui putant, Stephanum *Act.* VII, 14. sectatum fuisse opinionem Interpretis Alexandrini, & ex hac lectores, melius auditores, docuisse illum numerum 75 hominum, quos Iosephus, tum patrem suum tum patris familiam omnem, ad sese arcessiverit in regionem Gosen. Meum non est iam monere, Stephanum Palæstino sermone usum fuisse in sua ad adversarios apologia, ac eam ob causam ex Interprete Alexandrino græco prorsus nihil adtulisse in lucem. Lucas vero, Hellenista Iudæus, adhibuit interpretationem illam LXX passim. An vero in *Act.* VII, 14. ad hanc sese conformaverit, quæri potest. Mihi fit vero simile, additam illam *Gen.* XLVI, 20. pericopam non fuisse a prima Interpretis manu, nec necessum est arbitremur, olim Lucam interpretem sermonis Stephani, 75. ψυχὰς indicasse, ex Cananæa in Goseniridem transmigrantes. Posterius elucet ex Codicibus bene multis notæque sat bonæ, qui

b) *La Genealogie de Iesus Christ*, Matth. I, 1. Luc. III, 23. p. 152. a Leide 1683, 8. *Histoire universelle depuis le commencement du Monde iusqu' au present* To. II. L. I. c. 7. p. 163, s.

qui habent loco verborum ἑβδομήκοντα πέντε. *Ephrem* legit, *Septuaginta* πάντας *omnes*. GROTIUS & BEZA illud πέντε, *quinque*, prorsus omiserunt. Personae Septuaginta leguntur apud LXX *Deut.* X, 22. Cur ipsi hoc loco omisissent *quinque*, si hunc numerum putassent divina accuratione niti? Irrepsit itaque illud πέντε ex margine in contextum *Gen.* XLVI, 27. & margini fuit illitum ex additamento seu glossemate falso v. 20. Personae 70 colliguntur ex *Gen.* XLVI, 8.-25, si v. 15. numeras 33 homines; si vero uxores c) filiorum Iacobi, quae tunc vivebat adhuc, ad calculum haud vocas, remanebunt tantum personae 66, prouti traditur *Gen.* XLVI, 26. Ne moneamus, Menassen & Ephraimum cum Iacobo non demigrasse in Aegyptum, quod dici videtur v. 26, 27, illud memoratu dignum est, quod Moses tantum modo dixit; istos omnes venisse *Mizraimah*, id est, *prope Aegyptum*. Territorium enim inferioris Aegypti, circa urbem *Mizraim*, *Mazor*, *Mizr* seu *Mesr* situm, aetate Mosis adpellationem Mizraim tulit. Urbs haec, ad alveum Bubasticum posita, anno 640 a Mohammedanis capta & post haec *Fustata* dicta fuit, quod nomen nondum

 fuit

c) Hae vocantur *filiae* Iacobi improprie, proprie autem Dina v. 15.

fuit exſtinctum. Ad teſtimonium cito ELMACINUM *Hiſt. Saracen.* L. I, p. 28, ſ. & ABULPHARAGIUM *Dynaſt.* IX, p. 178. Circa hanc urbem erat regio Goſen, pars *nomi Arabiæ* iuxta orientalem Bubaſtici alvei ripam, ubi tractus maior Cuſch, Cuſchan, Caſiotis, exorſus, ad boream & orientem ſolem ſeſe porro diffundebat. Ipſe Ioſephus venit in terram Goſen ad patrem *Gen.* XLVI, 29. Ioſepho defuncto ſedes ibidem ceperunt Menaſſeh & Ephraim cum familiis ſuis. Ephraimidæ inde varias in Palæſtinam tentarunt incurſiones. 1 *Chron.* VII, 21. Nec de Menaſſidis & eorum idem ſtudentium conatis videtur dubitandum, ſiquidem Iſraëlidæ in regione Goſen vitam Nomadum fuerunt ſectati. Adſcititiam attigimus pericopam; dabimus nunc tranſpoſitam.

§. 2.

Cel. VENEMA *) in cenſu pericoparum tranſpoſitarum refert caput *Geneſeos quintum*, idque collocandum eſſe cenſet inter

*) Nimirum hæc ſunt S. Venerabilis VENEMÆ verba in *Diſſertatione*, quæ eſt ſelectarum ad S. S. V. & N. T. Tomi I. Partis II. Leo-"vardiæ emiſſarum a. 1747. *Secunda* p. 26. "Hujus Sexti Geneſeos capitis prima peri-"copa, octo primos verſus complexa, cum "cap.

inter GEN. VI, 8. & 9. Qui genealogiam Patriacharum antediluvianorum, quæ totum Caput quintum explet, ex consilio *Venemæ* ante VI, 9. ponunt. ac initium capitis VI. cum fine capitis IV coniungunt inter legendum, lucem quandam sibi exoriri sentiunt, & eis ad liquidum adparet series genealogiæ, desinens in hæc verba Gen. VI, 9. ואלה תולדות נוח, *& hæ quidem* iam recensitæ *generis propagationes*, *ad Noachum usque decurrentes*, sunt, quas enarravimus. Sic omnia sunt plana & expepedita. Si sejunxeris contra Caput quintum a nexu cum *Gen.* VI, 9; omnia adparent hispida & hiulca. Noli quærere exactam & accuratam pericopes huius positionem in Alexandrina interpretatione græca. Vetustior enim ea est positio hac Interpretis cura, ad vertenda ebraica in græcum adplicata. Dedimus ita pericopes transpositæ exemplum, plures ejusmodi dari haud admodum dubitantes. Vocabula singula a librariis nonnumquam olim fuisse tran-

R 5 spo-

"cap. IV. est connectenda, tanquam ad eandem Schedulam Patriarchalem pertinens, "(ex ejusmodi enim Schedis constare librum Gen. jam est observatum) capite "quinto, quod novam continet schedam, "per parenthesin inserto. Ex quo nexus "historiæ clarius conspicitur. N. B.

ſpoſita, intelligitur ex Pſalmo alphabetico XXV, 2. ubi legendum בך בטחתי אלהי d)

§. 3.

Deeſt ſubinde in verſionibus id, quod eodem gaudet initio congruenter enuntiato, quod præcedit vel ſequitur. In codice latino antiquo *Vercellenſi* leguntur LUC. XXII, 19. 21. hæc: *Hoc eſt corpus meum. Attamen ecce manus proditoris mei mecum ſuper menſam.* Quæ interiecta ſunt in græco, non habet, a codice *Veronenſi* & *Brixienſi* haud aliena. Si quæramus rationem defectus illius in codice *Vercellenſi*, nil adparet in cauſſa omiſſionis librario fuiſſe præter ſimilitudinem initii enuntiatorum duorum. Dum enim librarius inſpexit illud τȣτό ἐςι τὸ σῶμά μȣ, *hoc eſt corpus meum*; & perfunctorie deinceps oculos direxit in illud τȣτο τὸ ποτήριον, *hoc poculum*, credidit feſtinanter, ſeſe muneri deſcriptoris proprio feciſſe ſatis. Inciſum *Lucæ* XXIII, 17. plane abeſt a codicibus antiquis latinis *Vercellenſi*, *Veronenſi* & *Brixienſi*, ante *Hie-*

d) Niſi hoc fiat, littera altera alphabethica contra mentem auctoris primi perit. In inciſo proxime priori *Iehovah* ponitur poſt vocabulum אליך, unde videtur intelligi, in inciſo ſecundo vocabulum *Elohai* ponendum eſſe poſt *becha*. Senſui tamen inde nihil ſubducitur.

Hieronymi interpretationem N. T. latinam adornatis. Si circumſpicimus omiſſionis rationem, non ſuccurrit animo alia, præterquam hæc; in græco codice uno atque altero, unde verſiones illæ fuerunt compoſitæ ac profectæ, librarium ob ſimilitudinem enuntiatorum duorum initialem omiſiſſe prius enuntiatum. Initium enim v. 17. & 18. in græco capit primordia a ſyllaba AN. Quanto facilius omiſſioni eiusmodi locus potuit fieri ſeu relinqui, ſi librario obverſatæ fuerunt plures ſyllabæ, plures initiales eædem duorum enuntiatorum, quorum alterum alteri fuit contiguum? Videntur utique librarii tempore inſectationum, quas Maximianus Chriſtianis crudeliſſime molitus fuit, interpretationes ac deſcriptiones ſuas feſtinata opera adornaſſe, quum iuſſi eſſent ipſi idiographa Evangeliſtarum & Apoſtolorum præſidibus tradere, ut ea comburerentur. Ex Perſide igitur & regionibus extra orbem Romanum tunc poſitis conquirendi ſunt codices Græci & Latini, e quibus a poſteritate de dicto illo 1 Ioannis V, 7. iudicia ſunt facienda, præcipue quum iſtud habeatur in Latinis Patribus antiquioribus, & eodem initio enuntiati conſtet, ac inciſum ſequens. Benedictionem Moſes videtur Simeoni denegaſſe DEUT. XXXIII. At, niſi fallor, ea legitur v. 11, & omiſſa fuit

fuit iam olim a librario formula præmissa, לשמעון אמר. Incisi enim hujus ratio est a priori enuntiato prorsus diversa tum numero eorum, qui compellatur, tum modulo structuræ sermonis.

§. 4.

Adferuntur subinde a Iudæorum doctoribus initia pericoparum, licet ex eis initiis id haud liqueat, quod ipsi eunt demonstratum, & quod demum in verbis pericopæ sequentibus, si ea expenduntur & adduntur, continetur. Ita ACT. XIII, 33. resurrectionis Christi veritas ex verbis Psalmi II, 7. *Tu es filius meus, hodie genui Te*, corroboratur. Spectant isthæc verba, per sese considerata, ad æternam Filii Dei a Patre genituram seu generationem, non ad resurrectionem Christi, e morte redivivi. At id, quod initia illius pericopæ deinceps sequitur, indicio est, fore, ut Messiæ mundus omnis subjiciatur & per hujus potestatem gubernetur omnis per terras universas ecclesia. Hoc autem fieri non poterat, si Iesus Messias morti obnoxius permansisset nec resumsisset vitam. An potuissent Reges obsequii initiationem præstare Iesu Messiæ, nisi ipse revixisset ac capessiisset regnum in universam tellurem?

§. 5.

§. 5.

Pericopæ complectuntur interdum ea, quæ evenerunt seu adparuerunt. Hæc vero vel in sensus externos & per eos in mentem ipsam incurrerunt, vel in visione interna contigerunt. Nisi res sensu perceptas ita discernamus, prolabamur in errores necessum est. *Ezechiel* sæpius fuit *in Spiritu* seu ecstasi, ac a *Spiritu* huc illuc est ductus, quum pedem loco haud extulit. Multa vidit *Ioannes* in visione, quum fuit ἐν πνεύματι, quæ eodem modo extrinsecus haud evenerunt, quo illa fieri vidit. Ita in visione *Zachariæ* Satanas ad dextram Angeli Iehovæ adparuit *Zach.* III, 1. 2. Confer 1 *Reg.* XXII, 22. Stilo visionibus proprio debentur ea, quæ legimus IOB. II, 1-7. Ita Ioannes in visione conspexit diabolum, in cœlo cum Michaele præliantem. APOC. XII, 7. Hieroglyphica ævi vetustissimi, quo litteræ alphabeticæ nondum erant inventæ, fuerunt postea materies rerum, quæ in visionibus viris sanctis adparuerunt. Et ideo stilus visionibus familiaris seu hieroglyphicus etiam extra visionum argumenta ævo pervetusto est consuetus, & passim in imaginibus, a Platone aliisque subinde adlatis, lectoribus repræsentatur. Eodem fortassis referenda est disceptatio Michaelis cum Satana de Mosis corpore, quod

quod Satana invito paullo post hujus sepulturam in cœlos fuit sublatum, testibus vetustis Ebræorum membranis seu voluminibus. Commemorare hoc loco libet ea, quæ ad eum eventum spectant, quo Iesus a Diabolo tentatus fuisse perhibetur. Nemini id compertum fuit, quod in ea tentatione fuit gestum, nisi Iesu ipsi, qui eam in loco ab hominibus vacuo ad occidentalem Iordanis ripam perpessus est. Ipso solo revelante & communicante postea cum suis, isthæc in notitiam hominum venerunt. Lucas eam potissime persecutus fuit copiose. Hic narravit, III, 1-13. Iesum *spiritu* ductum fuisse in eremum per dies quadraginta & a diabolo tentatum. (nec illis diebus edisse quicquam; eis vero ad finem perductis rursus cœpisse esurire). Tentationem ipsam sic describit. *Tum diabolus* Iesu tres tentationis insultus opposuit; at repulsus fuit ab Eo, qui a Spiritu sancto erat unctus & eo erat plenus, licet ab Angelis bonis derelictus ad id exiguum tempus. Diabolus eum non duxit per aëra vel ad loca passim editissima. In fastigio enim templi stare poterat nemo. Si Iesum duxisset diabolus in alias templi pinnas seu Mæniana & exedras, indubie istum obtulisset conspectui hominum ibi considentium vel conspicuus, vel inconspicuus. Si prius factum esset, Iesus

Iesus a Iudæorum primoribus fuisset conviciis ideo exagitatus. Si posterius contigisset, Iesum omnes pro maniaco habuissent. Si audiissent adsessores colloquium, ipsi fuissent præ metu dilapsi. An hoc tacuissent Evangelistæ? An Iudæi unquam leguntur hæc obiecisse Sospitatori? In altissimo quovis monte nemo potest alteri unico temporis puncto monstrare universi orbis terrarum vel Palæstinæ regna eorumque delicias. At in visione id omnino fieri poterat. Accedit, quod Iesus nobis exemplum reliquit tentationis Satanicæ gloriosum in modum exantlatæ, peccati quippe expers. Adde, quod ipse usque quaque tentatus fuit, *sicut nos*. At neminem Christianorum diabolus unquam ducere potest pro arbitrio in montes & exedras, quamdiu ipsi ratione gaudent sana. Quis enim unquam exempla eiusmodi probata satis & & vera audivit vel vidit? Discedente Satana, visio fuit finita. Tunc Angeli boni ad Iesum redierunt, & ipse revertit in Galileam. Nisi veriti fuissent Theologi, ne Iesus peccatis maculatus fuisse videretur, quam primum gesta isthæc tentatio intra visionem fuisset, hanc dudum secuti fuissent interpretandi viam. At metu isto vacui in aurem utramvis ipsi poterant dormire. Zacharias enim & Micha æque cacodæmonem

nem in viſione viderunt & audierunt ſermocinatum, immo ipſe Ioannes eum vidit bella cientem; nec tamen mens eorum inde fuit contaminata. Nolim tamen aliorum ſententiis obſtrepere vel officere. Deligat quisque, per me enim licet, quod vero eſt maxime conſentaneum. Virtutibus enim certaſſe ſatius eſt, quam interpretationum divortiis, hac illac ſe aperientibus. Referenda hæc quidem ſunt ad pericoparum expoſitionem magis quam earum ordinationem. Niſi tamen ſingularium pericoparum interpretatio inſiſtat firmo talo, earum conſtitutio non poteſt recte conformari. Paucula ſunt, quæ b. *Io. Iac.* RAMBACHIUS e) de pericopis maioribus ac minoribus adtigit. Multa in hoc gurgite reſtant, in quo rari nantes adparent.

§. 6.

Pericopa eſſe *turbata* videtur APOC. I, 4-8. Structura enim orationis, ab omnibus Codicibus exhibita. *Iſ.* NEWTONUS & IO. IAC. WETSTENIUS ſibi perſuaſerunt, turbationem ſtructuræ vel eſſe indicium inſcitiæ ſcribendi, vel munimentum contra hoſtes evangelii, in quorum manus &

e) *Inſtitut. hermeneut. ſacrae* L. II, c. 2. §. 7. p. 117. ſ.

& oculos casu quodam epistola Iohannis Apocalyptica incurrere potuisset. Utraque ratio mihi videtur esse ficulnea & Divino scriptori parum consentanea. Quin potius redimus in memoriam generis scribendi, quod nonnumquam veteribus probatum fuit. Ipsi enim paginam diuidebant in columnas duas, si obiectiones & oppositas eis responsiones tractabant, aut aliquid volebant quasi per adnotationes illustrare, quod intra periodi unius aut alterius cancellos erat conclusum. Nisi ex professo commentaturus essem de hoc argumento, iam essem longior & primo quidem de more illo ex ævo prisco differerem, deinceps vero causam exemplis ex Paulo & aliunde decerptis corroborarem. Inpræsens paucula hæc modo subiungere liber, donec fidem datam præstem. Veteres & Græci & Latini protographa sua sæpius sic adornabant, & lineas scripti sui ita instruebant, ut aliquid suprascribi posset, quod barbaris sæculis *interlineare* adpellatum fuit: aut ad dextram vel sinistram scripti in membrana, ad dimidiam fere latitudinis partem, spatium relinquebant vacuum, in quod cogitata posteriora vel etiam illustrationes eorum, quæ iam scripta erant, conscribere seu exarare possent. De priori modo mentionem faciunt PLINIUS *Secundus* L. VII, *ep.* 12.

& SUETONIUS in *Nerone*. Specimina veteris ejusmodi ſcripturæ reſtant in libris muſicis, in quibus ad *Guidonis Aretini* ætatem usque litteræ, quæ erant notæ muſicæ, ſupra ſcriptæ ſunt. Poſterioris modi exemplum haud unum lectori offertur a *Bern. de* MONTFAUCON in *Palæographia græca* p. 188. 214. 229. Si quos librarii codices conferrent inter ſeſe, ac in altero invenirent verſiculum, vel enuntiatum, quod in uno haud legebatur, ad oram ſcribebant membranæ id, quod excidiſſe vel deeſſe videbatur. Si auctor quæſtiones & interrogationes ſcriberet, eis reſponſiones ſubiecturus, interrogationum initia fere ad dimidium lineæ inchoabat, ut lectori natura enuntiationum diluceret. Si idem enuntiata eſſet illuſtraturus vel ea ſtrictius coërciturus, membranæ dimidium reſervabat illuſtrationibus adiiciendis. Ei, qui ſcholia auctoribus adiungebant, hunc in primis ſervabant modum. Qui epiſtolas ſcribebant, quibus argumenta copioſiora tractabantur, eodem more in alteram partem membranæ ea conferebant, quæ ad enuntiata clarius exponenda vel intra cancellos ſuos revocanda faciebant. Ita enim id, quod per ſeſe videbatur longiſſima tractatione perſequendum, conciſe & magis ἐν συνόψει repræſentare ſibi poterant lectores.

Pau-

Paulo Apostolo hunc morem in epistolis nonnullis curæ fuisse, res ipsa loquitur. Specimina darem luculenta, nisi hoc in clivo egregie sudasset pl. Reverendus vir *Frid.* WITTINGIUS, ecclesiastes ad S. Michaëlis Hildenesheimii primarius, in libro germanice scripto editoque Brunsuici ac Hildesiæ 1761, 4. sub titulo: *Erläuterung der Lehrart Pauli.* Nisi describtores librarii, præcipue qui cum Euthalio epistolas Pauli in stichos diviserunt, veterem scribendi migrassent morem, ætati nostræ plura exempla exarandi bipartito membranam fuissent reservata.

§. 7.

Documenta diligentiæ criticæ, ad argumentum nostrum spectantis, dedisset plura *Frid.* WITTINGIUS, nisi hoc anno 1763, 12 Ian. præmatura morte fuisset interceptus. Adiungere tamen nonnihil mihi libet de pericopis, quæ enuntiationibus orationem interpolantibus videntur laborare. Sunt, qui hæc enuntiata, si conficiant *propositionem*, adpellant *parentheses*, & ea ipsa credunt scripta esse ad instar reliquarum enuntiationum, quibus nulla intervenit alia enuntiatio, seu, ut vulgo adpellant, *propositio incidens.* Malim, si liceat, sic statuere, ut existimem, maiores

propoſitiones incidentes, vel commata, verſus marginem ad latus fuiſſe ſcriptas ab auctoribus, ſeu magis ad ſiniſtram contextus oram olim eſſe exaratas, tum ad ſenſum lectoribus clare exhibendum, tum ad ea diſcernenda, quæ a lectoribus haud erant confundenda, Separanda autem mihi videntur ab his enuntiatis, orationem interpolantibus, *gloſſemata* criticorum, olim ex margine in contextum orationis adſcita, quæ tamen ſæpius ibi arbitror a quibusdam deprehendi, ubi locum non habent. Offeram lectori aliquot utriusque ſpeciei exempla. En ea, quæ leguntur EBR. VI, 9. πεπείσμεθα δὲ πέρὶ ὑμων, ἀγαπητοὶ, τὰ κρέιττονα καὶ ἐχομενα σωτηρίας, ἐι καὶ ὅτο λαλȣμεν. *Perſuademus vero nobis maxime de vobis, dilecti, meliora & ea quidem, quæ ſaluti ſunt adfinia.* Non credit auctor, ipſos fore ex eis, qui cum Iudæis a Ieſu averſis in perniciem inſtantem Iudæis rebellantibus, ſint ruituri. Ad illud ἐχόμενα ſcripſit quidam in marginem, ἐι καὶ ὅτω λαλȣμεν; *an etiam ſic loquimur? an hæc dictio eſt ſatis græca?* Scire debuerat cenſor, dici id ἐχόμενον, quod alteri cohæret & confine eſt. Auctore prorſus id enuntiatum, fini adiectum, eſt indignum. Cur enim hic ita non loqueretur vel ſenſum exprimeret, quemadmodum fecerat? Et cur perſuaſionem ſuam

certiorem Auctor paullo post coniecisset in aleam dubitationis? Dixisset sane sic idem ac hoc: Persuasi sumus de vobis meliora, nec tamen persuasi sumus, nam fortasse dicendum non est, nos esse persuasos.*) *Hunoldus Plettenberg*, e Societate Iesu, in *Introductione ad Ius Canonicum*, *Hildesii* 1692, 8. edita, ad vocabulum *Ieremiam* Matth. XXVII, 9. habet hæc c. 12. p. 120. "*Maldonatus* non sine fundamento asserit, Matthæum nullius Prophetæ nomen retulisse - - alium vero scriptorem, quod putaret Hieremiæ citari testimonium, illius nomen proprium addidisse, tum quia *Augustinus de Consensu Evang.* III, 7. testatur, suo tempore in multis codicibus nullum nominatum fuisse prophetam, tum quia in versione Syriaca nomen Hieremiæ non legitur.", Cur *Christ.* SCHOETTGENIUS verba *Apoc.* VIII, 3. 4. legi solita, ταῖς προσευχαῖς τῶν ἁγίων, pro glossemate in *Horis Hebraicis* p. 1114. reputaverit, rationes apud ipsum videndæ sunt & pensandæ. Alibi glossemata venantur & deprehendunt critici, ubi ea non inveniuntur. Dabimus exemplum. Leguntur hæc GAL. II, 4. 5. Διὰ δὲ τοὺς παρεισάκτους ψευδαδέλφους, οἵτινες παρεισῆλθον κατασκοπῆσαι τὴν ἐλευθερίαν

*) Alia vice ostendere animus est, verba hæc, si vel textui relinquantur, sensum fundere satis congruentem. N. B.

ρίαν ἡμῶν, ἣν ἔχομεν ἐν χριςῷ Ιησȣ̃, ἵνα ἡμᾶς καταδȣλώσωνται οἷς, ȣ̓δὲ πρὸς ὥραν εἴξαμεν τῇ ὑποταγῇ. - *At propter fratres falſo ſic dictos, qui* in eccleſias *ſubrepſerunt aliorum opera, ſubingreſſi exploratum libertatem noſtram* a iugo cæremoniarum Iudaico, *quam in profeſſione religionis Meſſiæ Ieſu habemus, ut nos in ſervitutem traderent ſuis, nequidem ad brevem temporis moram ceſſimus per obſequium* - - Illud τῇ ὑποταγῇ ad caſum ſpectat ſextum. *At* quid ſibi velit οἷς, difficile viſum fuit Criticis definitu. Fuerunt igitur, qui utrumque vocabulum οἷς ȣ̓δὲ tollere & in marginem reiicere maluerunt, unde in contextum videatur adſcitum. At ſenſus Apoſtoli non innoteſcit nec ſcopo ſcribentis fit ſatis, niſi retineatur utrumque. Et οἷς hoc loco ob eamdem rationem non reddendum eſt *quibus*, ſed *ſuis*, contractum quippe ex ἑὸς, *ſuus*. Illuſtrari poſſunt alia etiam loca, ſi remedio eidem nonnumquam relinquatur locus. At iam ad potiora progredimur, daturi enuntiata longiora, quibus oratio ſacra eſt interpolata in tabulis Fœderis novi, quærentes antea, an illud לשמעון אמר omiſſum eſt *Deut.* XXXIII, 11? Ut enim librarii aliquid contextui aliunde potuerunt inſerere, ita per eamdem imbecillitatem humanam videntur aliquid omittere potuiſſe. Liceat tamen his

in

in præſens haud immorari. Ad N. T. enunciata provehimur interpolantia.

§. 8.

Suffecerint inſtituto noſtro paucula exempla. Scribemus ea ſic protinus, ut lector, quid velimus ſignificare, intelligere queat. Forma ſcriptionis noſtræ reddet omnia ſatis luculenta. ROM. I, 1.

παυλος δουλος Ιησου Χριςου, κλητος.
Αποςολος, αφωρισμενος εις ευαγγελιον Θεου,
2. Ὁ προεπηγγειλατο δια των προφητων αυτου
εν γραφαις ἁγιαις,
3. περι του ὑιου αυτου,
του γενομενου εκ σπερματος Δαβιδ κατα
σαρκα,
4. Του ὁρισθεντος υιου Θεου εν δυναμει, κατα
πνευμα ἁγιωσυνης, εξ αναςασεως νε-
κρων,
Ιησου Χριςου του κυριου ἡμων,
5. δι' ου ελαβομεν χαριν και αποςολην εις ὑπα-
κοην πιςεως εν πασι τοις εθνεσιν, ὑπερ του
ονοματος αυτου,
6. εν οις εςε και ὑμεις κλητοι Ιησου Χριςου,
7. πασι τοις ουσιν εν Ῥωμῃ - - -
III. 6. Μη γενοιτο. επει πως κρινει ὁ Θεος τον
κοσμον;
7. *Si enim veritas Dei* (evangelium) *per mendacem meam* (priſtinam doctrinæ Phariſaicæ) *profeſſionem* (miſericordia Dei in melius mutatam) *redunda-*

vit ad gloriam Eius, cur porro etiam ego tamquam facinorosus & maleficiorum plenus *traducor?*

8. Et num, ut obtrectamur & quemadmodum nonnulli dicunt nos dicere: *Faciamus mala, ut* (inde) *eveniant bona*, horum, (qui mihi sic obtrectant,) iudicium iustitiae consentaneum est? a)

Neminem fugit, pro ουτος non raro dici ὅς.

IV, 13. Ου γαρ δια νομου ἡ ἐπαγγελια τῳ Αβρααμ η τω σπερματι αυτου,

Το κληρονομον αυτον ειναι του κοσμου,

αλλα δια δικαιοσυνης πιστεως, (*sed ex fiducia, quae iustitiam conciliat; obtigit.*)

14. Ει γαρ οἱ εκ νομου, εκ νομου κληρονομοι (εισι,) κεκενωται ἡ πιστις, και κατηργηται ἡ επαγγελια.

15. Ὁ γαρ νομος οργην κατεργαζεται.

Ου γαρ ουκ εστι νομος, ουδε (εστι) παραβασις.

16. Δια τουτο εκ πιστεως (η επαγγελια), ινα κατα χαριν (ῃ), *obtingit*, εις το ειναι βεβαιαν την επαγγελιαν παντι τῳ σπερματι, ου.

a) A persona prima singulari deflectitur ad primam pluralem, & commate 9 Paulus personam induit Iudaeorum, quibus praerogativam, in iudicio Dei stabilem denegat.

ου τῳ εκ τȣ νομȣ μονον; *an illis posteris, qui ex lege tantum* omni Mosaica sperant & *sectantur iustitiam, coram Deo, exclusis ceteris?*

αλλα και τῳ εκ πιστεως Αβρααμ, *quin vero potius posteris ex fide, quali instructus fuit Abraam,* ὁς εστι πατηρ παντων ἡμων. - - Sic ἀλλα alibi adhibitum, e. g. *Marc.* IX. 8.

V. 8. Συνιστησι δε την ἑαυτȣ αγαπην εις ἡμας ὁ Θεος, ὁτι ετι αμαρτωλων οντων ἡμων, Χριστος ὑπερ ἡμων απεθανε.

6. Ετι γαρ Χριστος, οντων ἡμων ασθενων, κατα καιρον ὑπερ ασεβων απεθανε.

7. Μολις γαρ ὑπερ δικαιȣ τις αποθανειται. ὑπερ γαρ τȣ αγαθȣ ταχα τις και τολμα αποθανειν. (At pro eis, qui sceleribus maximisque peccatis cooperti sunt, numquam alias quis suscipit necem.) En maxime commendabilem Dei in nos amorem!

9. Πολλῳ ȣν μαλλον - -

Examini aliorum probo & sincero hæc consecrata sunto. Qui considerabunt nervos & summam doctrinæ Paulinæ, ei non succensebunt mihi, quod IV, 14. repeto il-

lud b) ἐκ νόμου, non definiens, utrum id potius ſit ſubaudiendum, an contextui ſit inſerendum. Mihi, poſterius tentaturo, certe Codices, quantum intellexi, ſuffragantur nulli. Id vero Paulus hoc loco docet præcipue, iuſtificationem peccatoris coram Deo, non proficiſci ex lege, quam quippe nemo peccato corruptus exacte implet, ideoque non oriri c) ex debito. Hæc eſt ratio, cur partem commatis 16 putem eſſe quæſtionem.

Mirum videri poteſt, quid cauſæ fuerit, cur commata 6. 7. capitis quinti antecedere videantur comma Octavum. Admiratio autem hæc concidit, quamprimum nobis ſit veriſimile, inciſa illa duo in latere fuiſſe adſcripta, ut, quia multum ſpatii occuparunt, in margine paullo ſupra lineam inciſi octavi ceperint primordium. Sed librarius, qui unum contextum ex commatibus ſingulis, collegit & compoſuit, ad hoc momentum haud videtur adtendiſſe. Videtur

b) Ob membranarum amplitudinem olim opus erat dictans librario. Ni iſte moneret plane, idem repetita vice ſcribendum eſſe, hic illud ſemel duntaxat, ſcribebat, quod bis ſcribendum.

c) Debitum deſigno pactionis, divinitus propoſitæ per legem, addita Dei pœna in delicturos.

detur haud secus illud καὶ τοι τῶν ἔργων ἀπὸ καταβολῆς κόσμου γενηθέντων *Ebr.* IV, 3. referendum esse ad finem incisi sequentis. Librarius olim ex latere verba illa scripsit eo, quo non debebat, loco. Adjicerem alia exempla satis luculenta, nisi censorum suffragia & rationes in contrarium adlatas vel patentes prius exspectare statuissem. Praestat enim, in hisce esse cautiorem & timidiorem quam audaciorem. An in Pentateucho Mosaico locus postea passim fuerit datus inserendo uni alterive indicio, scripta illustranti, quaeri solet. *Herm.* WITSIUS Misc. S. l. 1, c. 14. id factum esse *Gen.* XIV, 14. XIII, 18. XXIII, 19. XXXV, 27. XXXVII, 14. *Ex.* XVI, 35. *Deut.* III, 14. non negat. Sed M. *Io. Christ.* MEHLHORNIUS, d), id esse concedendum, infitiatur.

§. 9.

Vellicat nunc aurem *Anglus* doctissimus, qui haud ita pridem in *Ephemeridibus Anglicis* e) periodos capitum I. & II. Geneseos ita disposuit, uti ex hoc schemate elucet. *Gen.* I, 1-10. 14. 15. 16. 17. 18. 13.

d) In *gründlicher Erklärung der heil. Schrift Altes Testaments* 1 Band p. 71, f. Leipzig, 1738 4,

e) *Gentleman-Magasin.*

13. 11. 12. 19. II, 9. 8. 10. 11. 12. 13. 14. I, 20-25 II, 4. 5. 6. II, 7. 1. 28. 29. 30. II, 19. 20. 18. 21. 22-25. I, 31. II, 1. 2. 3. 15. 16. 17. In periodis ita collocatis ordinem faciliorem atque commodiorem lectoribus offerri plerumque, negare haud sustinemus. At longe alia est quæstio, an Mosi collocatio eiusmodi sit tribuenda, an dispositio hæc fuerit a primo scriptore quidem profecta, successu autem temporis turbata & huc illuc dispersa. *Alexandrini* & *Samaritanus* Interpretes certe eum sequuntur periodorum ordinem, quem adhuc tenemus, in creationis historia in sermonem suum conversa, ut credibile sit, Esram, diligentissimum ac Divinum scriptorem seu descriptorem, dictum *Sopher* f), qui summam Pentateuchi prælegit reversis ex exilio Israëlitis g) & enarravit h.), non invenisse duo prima Geneseos capita alio ordine scripta, ac eo, quo nunc disposita adparent. Vocabulo *Sopher* certe semper ea fuit potestas, ut dictorum vel scriptorum auctorem i), priora fideliter repetentem dicta vel scripta, designet. Qui in synedriis Iudæorum scribebant, qui dicta iudicum, reos vel absol-

f) *Esr.* VII, 11. 12. *Nehem.* VIII, 9. 13.
g) *Nehem.* VIII, 8. 18.
h) *Nehem.* IX, 6. f.
i) 1 *Chron.* XXIV. 6.

ſolventium vel condemnantium, calamo excipiebant, vulgo a nobis adpellati *Secretarii*, vocabantur *Sopherim*, teſte libro miſchino *Sanhedrin* IV, 3. aliisque paſſim locis ſuffragantibus. Eidem Iudaei eos, qui Pentateuchum Moſis deſcribunt, nomine inſigniunt iam olim eodem. Non eſt credibile, Pentateuchum ante Eſram alio periodorum ordine fuiſſe unquam deſcriptum, ac eo, quo Eſra eum ad poſteros transmiſit. Nam ante ipſum numquam effluxerunt anni quinquaginta, quin Moſis libri fuerint k) publice tractati & lecti a ſacerdotibus ac hominibus peritis. Quis hoſce in turbandum ordinem eorum, quae antea erant ſcripta, conſenſiſſe credet? Moſis nomen poſteris ſuis perpetuo erat tam venerabile, ut nemini poteſtas eſſet immittendi in ejus ſcripta ordinem enuntiatorum novam. Nec fuit eorum quisquam, cui dubitatio ſuborta placuit, Pentateuchum vel ex parte vel ex toto ab alio, ac Moſe, initio ſcriptum fuiſſe l). Apoſtoli eum univerſum Moſi tribuerunt *Act.* XV, 21. 2. *Cor.* III, 14. 15. praeeunte Meſſia Ieſu *Io.* V,

k) *Ioſ.* I, 7. 8. XI, 23. XXIII, 6. XXIV, 26. 1 *Reg.* XI. 3. 2 *Chron.* XXIII, 4. XXV, 4. XXVI, 5. XXIX, 15. XXXI, 21. 2 *Reg.* XXII, 8. XXXV, 12. *Dan.* IX, 13.

l) *Herm.* WITSIUS *Miſcellan. ſacr.* I, 14.

V, 46. 47. *Marc.* XII, 19. confer *Rom.* X, 5. Ipſe *Samaritanus* Pantateuchus uterque noſtram ſententiam confirmat m). Quum vero Moſes ea ætate haud vixerit, qua evenerunt illa, quæ primo Pentateuchi libro exponuutur; non poſſumus non opinari, Moſen hæc litteris memoriæ prodidiſſe vel ex Dei revelatione vel ex ſcriptis aliorum, qui ante ipſum vixerunt. Quid, quantum & quomodo Moſi ea fuerint exaranda, nutui ſupremo utique in acceptis ipſe referre debuit, eo quod ſcripta fœderis prioris erant θεόπνευςα & λόγια Θεῦ, *oracula, divinitus ſcriptoribus inſpirata. Rom.* III, 2. 2 *Tim.* III, 15. 16. Quæ ad *hiſtoriam creationis* univerſi referenda ſunt, profluxere procul dubio ex Dei revelantis benignitate. Nemo tamen contendere auſit, Moſi ea demum fuiſſe divinitus patefacta, quæ ad creationem, paradiſi originem, ſtatum utriusque hominis primi & purum & fœdatum, ad Patriarcharum geſta, & promiſſiones Dei haud unas ſpectabant. Intererat enim Protoplaſtorum noſſe & ſuam & reliquarum rerum originem, creatarum in ipſorum commoda & oblectamenta. Intererat primorum parentum noſſe, quid in paradiſo potiſſimum obſervare & fugere deberent. Intererat poſtero-

m) *Sal.* DEYLINGIUS *Obſervation. ſacr.* P. I. p. 7. ſ.

ſterorum Adami haud obliviſci originem mali moralis ac ſemina phyſici mali inde enaſcentis. Intererat ipſorum noſſe progenitores ſuos Deique in probos munificentiam benignam; in improbos vero ac rebelles pœnam, diluvio ipſo fecundam. Ante Ioſephum quidem in Aegypto Proregem, inter progenitores ipſius, litteræ nondum exſtiterant alphabeticæ. Ante harum tamen inventionem uſus obtinuerat hieroglyphicorum ſignorum, quæ n) per familias propagabantur & in Aegypto a Regibus conſtituebantur. Primores familiarum & in Aegypto Antiſtites ſacrorum eam ſibi reſervaverant curam, ut traderent hieroglyphica ſemel ſtatuta, ſervarent, augerent, & eorum beneficio geſta ad poſteros transmitterent. At nomina hominum propria ſignis iſtis exprimi haud poterant. Recurſandum igitur erat ad memoriam, qua id complectendum & adſervandum ſæpiusque repetendum erat, quod ab oblivione vindicandum eſſe videbatur. Inde ſolemnioribus in conventibus ſacris, quibus capita familiarum præerant, ſacrificia adiungentes, memoriter modulabantur familiares, qui aderant, pericopas numquam obliviſcendas, primo quidem hiſto-

riam

n) Copioſe de eis expoſui in *Nützlichen Samlungen* 1757. Hannover. p. 1433. ſ.

riam o) creationis, una modulatione comprehensam; tum vero felicitatem primorum hominum eiusque ruinam; deinde seriem progenitorum suorum, &c. Ex *Theogoniis* priscis variarum nationum, præcipue Aegyptiorum, Phœnicum, Persarum, Græcorum, hæc patescunt p), licet Theogoniis illis Philosophi & Poëtæ passim cogitata sua & imagines novas successu temporis inseruerint, prouti ex Ovidio, Virgilio ac ipso Hesiodo satis superque intelligitur. De Sileno hæc VIRGILIUS *Ecloga* VI habet:

" - - Canebat, uti magnum per inane coacta
"Semina terrarumque animæque marisque fuissent,
"Et liquidi simul ignis: ut his exordia primis
"Omnia & ipse tener mundi concreverit orbis:
"Tum durare solum & discludere Nerea ponto

"Cœpe-

o) EUSEBIUS *Praepar. Evangel.* I. 10. CUDWORTH, *Intell. System.* p. 319.

p) *Algemene Historie*, tweede Stuck van het eerste deel. Inleiding p. 30. s. 1735. 4. *Nova Acta Erud. Supplem.* To. VI. Sect. 4. p. 151. s.

"cœperit & rerum paullatim ſumere
formas:
"Iamque novum terræ ſtupeant luceſce-
re ſolem,
"altius atque cadant ſummotis nubibus
imbres:
"Incipiant ſilvæ cum primum ſurgere,
cumque
"rara per ignotos errent animalia montes,
"Hinc lapides Pyrrhæ iactos, Saturnia
regna,
"Caucaſeasque refert volucres furtumque
Promethei.

SIMPLICIUS, magnam eſſe ſimilitudinem inter Moſaicam & Aegyptiorum priſcam de creatione rerum narrationem, intellexit q). Dum vero adiecit iudicium ſuum, illam ex hieroglyphicis horum emanaſſe perhibens, vero abſimilia ſuffragio ſuo fuit dignatus. Aegyptiorum enim hiſtoria ad origines rerum haud pertigit, & ea mythis involuta exhibuit, quæ apud Moſen clara ſunt & luculentis verbis expreſſa. Facile autem intellectu eſt, pericopam, quæ creationem univerſi complectitur, eſſe inſtar peculiaris opuſculi & deſinere in II, 4. Tum vero initia paradiſi ac hominum, in integritate phyſica & morali conditorum, enar-
ran-

q) In Ariſtotelem *de Auſcultatione phyſic.* L. IV. *Bibl. Brem. Nov. Cl. III. F. II.*

rantur II. 5-25. Deinceps nova pericope exponit protoplastorum labem ac mala physica inde exorta, III, 1-24. Posthæc deprehendimus pericopam, qua origines peccatorum, orbi terrarum diluviem parientium, edisseruntur. IV. Tandem additur genealogia Patrum piorum chronologica c. V, quæ denuo peculiarem pericopes exhibet compagem. Singulis hisce pericopis, si ad earum scopum metamque respicias, deest nihil. Ad primam reddendam ampliorem nonnulla enuntiata possunt ex pericopa secunda r) accommodari trahique. Sed hæc enuntiata tam arcte congruunt & adfixa sunt ad pericopam secundam, ut inde tolli & in primam huc illuc transponi nequeant. Hominum primorum status paradisiacus postulat omnino, ut indoles & natura Paradisi, & incolarum ejus arborumque, inprimis relatio parentum primorum ad paradisi situm, curam, & retinendam possessionem recensita fuerint. Ad summam sextiduanæ rerum originis hæc per sese non respiciunt. Scopo differunt utique per omnem modum pericopæ ambæ, prima

r) Denuo id re ipsa demonstravit *Isaac. Ioseph.* BERRUYER *To. I. P. I. Histoire du peuple de Dieu* p. 17. f. Iesuita hic sæpius contextum biblicum comice permiscuit. At hoc loco se continuit intra cancellos.

ma & ſecunda. In hymnis odisque Davidicis leguntur paſſim ea, quæ hiſtoriam populi Iſraelitici Aegyptiacam, Arabicam & intra Cananææ tractus varios verſantem exponunt. Si quis in eam inciderit hæreſin, ut unam Odam ex quatuor aliis compaginare conetur, is operam ſuam nemini adprobabit. AMMONIUS idem in quatuor Evangelia ſæculo tertio exeunte tentavit, conflaturus inde unicum & ſolum corpus. Harmoniam quamdam ita inſtitui contexique poſſe, non negarunt nonnulli. At exegeſin inde magnopere adiuvari poſſe, illi negarunt, qui Chronologiam, quæ videtur ineſſe evangelio Matthæi, prouti vulgo membranæ eius fuerant collocatæ, cum ceteris Evangeliſtis in concordiam redigere fuerunt adgreſſi. Pericopa Moſis prima ſemper a Iudæorum doctoribus s) ſeparatim fuit collocata. Priſcorum in populorum theogoniis ætas Saturnia ſeu ſæculum aureum ab enumeratione originis rerum diſcrepat ſuoque diſtat intervallo. Ecquis dubitat, e puriori primorum parentum enarratione theogonias illas varie expoſitas

 tam-

ſ) *Decem verbis creatus fuit mundus. Pirke abhoth* V, I. MAIMONIDES addunt hoc loco, novies legi in hiſtoria creationis ויאמר *& dixit*, ac vocem eam decimam includi in prima *breſchith.*

tamquam e communi fonte emanasse? Neutiquam vero illæ per genus humanum sic fuissent disseminatæ, nisi eas Deus ipse hominibus reverlasset & aperuisset. Pericopam primam melius ex secunda illustrari, quam ex Philosophicis & Cabbalisticis doctrinis, libens fateor. Nec infitior, utramque, licet invicem manserit separata, memoriter decantatam fuisse. Mos enim ille per theogoniarum propagatam recitationem ubique obtinuit, sustinens vicem alphabeticæ scripturæ. Vocabula tamen & formam Moses ad sermonem ab Israelidis ætate sua receptum attemperavit, adornans recensionem ad veritatem, qua Deus eam propagari volebat, & ad modum, qui posteris erat conformatus. Scripserat iam ante Mosen Protex historiam sacram. Ad eius enim ætatem pertinent ultima genealogica, quæ *Gen.* XI. edisseruntur. Nec erat, qui præter eum arcana historiæ Iosephi scribere poterat. Moses vero isthæc omnia ita in recensionem suam suscepit, quemadmodum Oeconomia salutis nutusque Dei, ac linguæ recentissima ratio exigebant. Sermonem ab initio generis humani statim exstitisse Mosaicum, qui quippe Canananæus est, nequaquam ullis censoribus veritatem sectantibus adprobari potest. Nam nomina *Chavvah*, *Kain*, *Noëhh*, *Mahalaleel*,

leel, *Tubalcain*, *Arphachsad* & alia satis sunt indicio, sermonem primorum hominum sensim fuisse mutatum. Nomina certe in rerum primordio fuerunt universa per originem suam adpellativa. Quid vero sibi volunt nomina *Lamech*, *Metuschelach*, *Kainan*, *Plischtim*, *Togarmah*, *Patros*? Et quam facile poterat eis adsui aliquid, quæ per notas hieroglyphicas, non indicatis hominum nominibus, per manus familiarum ad posteros tradebantur? Ut igitur oracula prima & gesta ponerentur extra omnem dubitationem ac integra posteritati commendarentur, opus erat scriptura alphabetica & Mosis per Deum ductu, atque ab omni erroris metu vel nævo immunitate peculiari, nec non dictione illa, quæ inter Ebræos ævo suo vigebat. Si igitur cum clarissimo Anglo, *Rob.* LOWTH, tibi persuadeas, verba Lamechi *Gen.* IV, 23. 24. reliquias esse carminis vetusti, inde tamen non consequitur, arbitratu Mosis & prima carminis lingua eas fuisse repetitas. Carmina ante Mosen & eius ætate iam fuisse versiculos, pedum numero adstrictos, *Lowth* quidem credit & complures ante eum exstimarunt. At tenuissima rei poeticæ initia & indoles hymnorum priscorum hebraicorum illi sententiæ reclamant. Intercisa ad enuntiationem breviorem finitam

modulatio & comitans modulationem motus corporis, argumento consentaneus, atque longior in fine periodi cessatio modulationis videntur omne tulisse punctum & omne cantus negotium, ad quasdam pronuntiationis moras compositum, confecisse. Adiectæ sunt huic negotio tandem instrumenta musica, saltationes artificiosiores, & ipsæ passim exergasiæ, chori, personæ sigillatim & alternis vicibus t) modulantes, nec non alii ad excitationem animorum adparatus, quemadmodum ex Therapeutarum moribus apud PHILONEM u) intelligitur. Id vero dandum non est *Io.* SPENCERO, Ebræis morem fuisse sacros hymnos ac carmina sua in sacris decantandi inter saltationes, ὑποχρήματα a Græcis adpellatas, a maribus cum feminis institui solitas. In conventibus enim Ebræorum sacris mares stabant a feminis omnino segregati, & eundem Aegyptii servabant morem, quo mares cum maribus, feminæ cum feminis, inter modulationes in sacris conventibus saltabant.

§. 9.

Deducimur ita ad *Psalmos*, vulgo a Davide cognominatos, quippe quorum singuli

t) IUSTINUS MARTYR *Apol.* II, p. 76. ATHANASIUS in *Argumento Psalmorum* p. 71. To. II. Montfauconi.

u) *Pag.* 893. *Francof. Viadr.* 1691, f. item p 901.

guli ſunt pericopæ maiores. Dicemus ad eorum mentionem nonnihil, quantum ad eorum collocationem & Chronologicas rationes videtur referri poſſe. Ordo collocationis eorum non ad idem ſpectat tempus, nec rationem temporis ſequitur. Prima collectio continebat primos Pſalmos *Septuagintos & duos.* Ultimo eorum ſubſcriptum fuit *Amen Amen. Finem heic habent hymni Davidis, ex Iſaio nati.* LXX: Γένοιτο γένοιτο. Ἐξέλιπον ὕμνοι Δαυὶδ υἱοῦ Ἰεσσαί. Symmachus: Ἀμὴν ἀμὴν ἐπελέσθησαν αἱ προσευχαὶ - - - Theodotio & quinta Origenis editio: Ἀνακεφαλαιώθησαν προσευχαί Δαυίδ. - - - EUSEBIUS, qui his verbis ſummam collectionis primæ clauſam fuiſſe negat, iſthæc nos docuit, pergens x) ita: *Verum reliquæ interpretationes & ipſa hebraica ſcriptura commonſtrant, hæc quoque* (v. 20.) *totius pſalmi partem eſſe.* Mirari ſubit, *Euſebium* ad hanc ſuam ſententiam deſcendere potuiſſe aliis perſuadendam, qui ipſe, diverſas Pſalmorum collectiones temporibus diverſis contigiſſe, paullo ante tradiderat. Ipſe enim ſic ſenſerat: E *re fuerit heic rurſum monere, non ex ſerie hiſtoriæ & temporum or-*

T 4 *dinem*

x) *Commentar. in Pſalmos* p. 418. *ad Pſ.* LXXII. 20. To. I, *Collect. Patrum & Scriptorum graecorum Bern. de* MONTFAUCON Paris. 1706. Fol.

dinem psalmorum fuisse constitutum, sed tempora inibi admodum permixta esse y). Idem z) alibi ita: *Cum multo idololatriæ genere Iudaicus populus detineretur, ipsos patria scripta e memoria deposuisse, narrat Regnorum historia; ita ut neque Mosaicæ legis liber ultra* a) *reperiretur neque paternæ pietatis memoria penes illos servaretur. Sic itaque Prophetas, iniquitatem ipsorum coarguentes, interficiebant: quibus de causis in captivitatem Assyriorum primo traditi sunt. Nihil itaque mirum est, in tali temporum conditione quædam, quæ libro Psalmorum continebantur, longo annorum curriculo oblivione obliterata excidisse. Sub hæc autem sive Esdras sive quispiam alius Prophetarum ipsos colligendi curam suscepit atque una cum aliis libris librum quoque psalmorum consecravit: neque confertim* (ἀθρόως) *omnes reperit, sed diversis temporibus. In primis autem locavit illos, qui inventi fuerant primi: & hinc factum, ut ii, qui Davidis sunt, non serie sua omnes iaceant, sed commixti cum iis, qui filio-*

y) *Ad Ps.* LXII, (63) p. 298.
z) Pag. 300. f.
a) Hoc autem est ultra terminos ratiocinari. Nam vatis Amosi ævo in Israelitico regno sacrificia immolabantur ad Mosis præscriptum ac hymni Davidici solemniter decantabantur. *Amos* IV, 21, 22. V, 5. Conf. 2 *Reg.* XVII, 27. f.

filiorum Core, Asaph, Salomonis, Moysis, Aethan, Aeman, rursumque Davidis deprehenduntur in libro: non ratione temporis, quo pronuntiati, sed quo reperti sunt. Et inde contigit, ut, qui tempore posteriores erant, quia primi reperti, primi repositi sint; ac vice versa qui primi fuerant, posteriori adpareant loco, quia post alios eruti sunt. ATHANASII, idem sentientis, locum supra §. 1. adtuli. Si Psalmi ad ordinem eiusdem argumenti vel adparatus musici consimilis vel festorum anni dierum fuissent collocati, *Eusebius* ac *Athanasius* non obstarent, quo minus, psalmos eodem tempore fuisse collectos, contenderemus. At ne hunc quidem ordinem ex collatione psalmorum eruere vel componere licet. HILARIUS b) credidit, Esram collegisse psalmos, numeros tamen non adscripsisse; LXX autem psalmos *Spirituali & cælesti scientia* in numerum ac ordinem redegisse. Undenam hæc hauserit *Hilarius*, ignoro. Testibus fidei probatæ hæc ipse superstruere debuisset. Quominus pronuntiatum *Hilarii* reputem pro certo, impedior PSALMI LXXIV, commate IX, unde liquet, si ceteras adiungimus rationes, psalmum istum

T 5 ævo

b) In *Prologo Psalmorum* §. 8. col. I. Paris. 1639. fol. Opp.

ævo Antiochi Epiphanis, in Iudæos eorumque ſacra ſævientis, compoſitum fuiſſe, ea ſcilicet tempeſtate, qua nec Prophetæ nec doctores publici ſacrorum amplius erant Iudæis. Ad *inſcriptiones*, ſi eæ Pſalmis ſunt præfixæ, commentari libet pauca, ne quis inde depromat tela in id, quod modo ſignificavimus. Nam Pſalmis paſſim ſuperſcriptum fuit *Aſſaphi* prophetæ nomen, quod de uno Davidis adminiſtro, muſices ſacræ moderatore, exponi ſolet. Simulac vero monuerimus, unicuique muſices ſacræ directori inde ex Davidis ætate illud nomen fuiſſe commune temporibusque conſecutis continuatum ſub eadem adpellatione, cauſſam diximus pro nobis. Nam Pſalmorum argumenta, nomen Aſſaphi præferentium, ſatis indicant, ea non eſſe uni eidemque ſæculo vindicanda. Ecquis neſcit, præfectis adminiſtrationum potiorum ſacerdotibus inhæſiſſe id nominis c) perpetuo, quod directori præfecturæ primo fuerat proprium. Ita ſacri theſauri cuſtos ad Titi Veſpaſiani usque tempora adpellatus fuit perpetuo *Phineas*. Alienum igitur a veritate cenſeri non debet, ſi contendero, *Pſalmum* 79 & 80. ſpectare ad Mac-

c) *Schekalim* V, 1. R. *Abraham* in *Schilte haggibborim* fol. 32. col. 1. cap. 36. IOSEPHUS B. I, VI. 8. §. 3.

Maccabæorum ætatem, licet utrique nomen *Assaphi* fuerit præfixum. *Ille* enim referendus est ad Iudæ Maccabæi expugnationem Hierosolymorum; *hic* vero ad templi per Iudam repurgationem. Liceat hinc colligere, collectionem psalmorum *secundam tertiamve* ad ipsam *Iudæ Maccabæi* ætatem pertinere. Falsa igitur est sententia HILARII d), AUGUSTINI e) & aliorum, qui, Esdram collegisse Psalmos universos, tradiderunt. Nec tamen dubito, Psalmos illos ad Davidem auctorem esse referendos, qui notam לדוד præferunt. Nam hoc indicium, Psalmo XVIII. præmissum, adparet, qui omnino Davide gaudet auctore 2 *Sam.* XXII, Confer præterea Psalmi XXIX inscriptionem cum 2 *Chron.* XVII, 29, s. Inutilis proinde distinctio est inter Psalmos seu hymnos *Davidis* & *Davidi*, quam habent LXX &, qui eos fuit secutus, ATHANASIUS g), quasi carmina, quæ vocarunt *Davidi*, ab aliis in Davidem fuerint recitati. In N. T. certe tribuuntur Davidi eæ odæ, quibus præfixum est in hebræo *leda-*

d) Loco indicato p. 333.

e) *De Civ. Dei* XVII, 14.

g) In *Argumento Psalmorum* p. 71. To. II, MONTFAUCONI.

ledavid. Vide, quæſo, *Luc*. XX, 42. *Act*. I, 16-20. *Rom*. XI, 9. *Act*. II, 25. 30. 31. Titulos, Pſalmis præfixos, hiſtoricæ veritati ſatis congruere ac reſpondere notum eſt, licet eapropter ipſorum origo ad auctores hymnorum non ſit referenda. Titulorum ſcriptores fuiſſe privatos homines eosque *interdum parum antiquos*, opinatur Cardinalis *Lud. Vincentius* GOTTI h). Aliis vero videntur tituli illi ſcripti eſſe in uſum Levitarum, quam primum hymni ſinguli his traditi fuerunt, ut de auctoribus conſtaret. 2 *Chron*. XXIX, 25. 30. Præterea notum eſſe debebat, an cantores verba capeſſere ſtatim, an a muſicorum inſtrumentorum uſu primordia capi par eſſet, & quibusnam inſtrumentis foret utendum. Ferenda eſt eorum imbecillitas, qui arbitrantur, in notitiam horum vaſorum muſicorum ætate noſtra non amplius perveniri poſſe. Carent odæ quædam titulo ſeu inſcriptione. Primam, ea vacantem, Davidi adſignavit auctori ATHANASIUS i) ob confinia ſecundæ, quam Davidi tribuiſſe Apoſtolum *Act*. IV. 24. habemus compertum. Invertit HIERONYMUS hanc regulam *Athanaſii*, & Pſalmos, qui titulo carent

h) *De Veritate religionis Chriſtianae & librorum, quibus innititur*, To. III, L. I, p. 88.

i) In *Argumento Pſalmorum*. p. 70. To. II, *cit*.

carent & alium, qui in inscriptione praefert auctorem, sequuntur, eidem adsignat auctori. En *Hieronymi* regulam k): *Omnes Psalmi, qui, cujus sint, titulum non habent, iis deputentur, quorum in prioribus Psalmis nomina continentur.* ORIGENES iam huic opinioni inhaesit, a Iudaeis profectae, HIERONYMO teste l) hunc in modum: *Octogesimum nonum* (Ebraeis 90) *Psalmum, qui inscribitur* Oratio Moysi hominis Dei, *&* *reliquos undecim, qui non habent titulos, Origenes, secundum Huilli expositionem, eiusdem Moysi putat.* At regula illa fallaciam spirat. Psalmus enim 91 continet ex indicio LXX laudes, quas in Deum David contulit, peste cessante. Ad Regem *Iosaphatum*, Victorem Ammonitarum, Moabitarum, Idumaeorum ac Minaeorum, spectat Psalmus 92. Omitto reliqua. *Alexandrinus* Interpres exemplari ebraeo usus fuit, in quo plus inscriptionum, quam in exemplaribus nostris ebraeis, deprehensum videtur. Ipse vocabulum *Michtam* credidit legendum esse *michtabh*, vel hoc illi posse substitui. Haber enim στηλογραφίαν, *lapidis exstantis inscriptionem*, aeque Ps. XVI, 1. ac Ps. LVI, 1. LVII, 1. LVIII, 1. LIX, 1. LX,

k) To. III, *Opp.* p. 761. G. Paris 1643. fol.
l) In *Apologia adversus Ruffinum* I, 3. p. 494. F. G. To. II, Opp.


LX, 1. In hisce omnibus duræ narrantur calamitates, eventu amœno conclusæ. Unde suspicor, odam, quæ vicissitudinem talem occultæque providentiæ evolutionem mirandam exposuit, adpellatam fuisse *michtam.* Arabes enim adhibent verbum *catam*, quoties de re studiose occultanda vel abdita injiciunt mentionem. Nonnullis Psalmis præfixa est occasionis materies ex actis historicis, expositionem reddens facillimam. Si omnibus eadem fuisset præmissa, multum laboris exegetici nobis esset m) subtractum. Singularis est sententia COSMÆ *Indopleustæ*, opinati n), proprie ad Messiam referendos esse hymnos II, VIII, XLV, & CX, nullos præterea. Quæritur, an Psalmus *unus* alicubi in *duos* fuerit divisus, an duo coaluerint in unum, an cuiquam recentior poeta nonnihil adiecerit? Qui commata interpunxit, se fefellit in Ps. XXV, 2. dum vocabulum אלהי traxit ad comma secundum, dum ultimo loco ponendum erat in inciso primo. Nam Psalmus ille est alphabeticus, cuius incisum secundum inchoari debet a littera secunda ב. Sunt, qui monent, eumdem Psalmum duobus locis repeti, & tamen nonnihil inesse diffe-

m) RAMBACHIUS *Institut. hermeneut.* II, 2. §. 9. p. 121.

n) In *Topographia Christiana* L. V, p. 224. 227

differentiæ in loco altero e. g. Pſ. XIV, LIII, item *Pſ.* XVIII, 2 *Sam.* XXII, 2. ſ. Si geminus pſalmorum uſus nobis ob oculos verſatur, repetitio illa non amplius excitabit admirationem. Unus uſus eſt hiſtoricus; alter ad muſicam referendus eamque non eamdem continuo, ſed temporibus diverſisque modulationibus muſicisque inſtrumentis accommodatam. Additiones virorum piorum ætatis poſteræ a Pſalmis abeſſe debebant ob modulorum rationes & concentus ex utraque muſica temperamentum. In argumentis vero hiſtoricis o) ac geographicis nec non genealogicis additiones eiusmodi quædam interiectæ vel ſubſtitutæ ſunt, quæ lectoris uſui cedebant & deſtinationi divinæ conſonant omnino.

o) *Io. Franc.* BUDDEUS in *Hiſtoria eccleſiaſt. V. T. To. II. p. 1012.*



III.



III.

EJUSDEM
SPICILEGIUM ALTERUM
AD DIATRIBEN
DE
PERICOPIS BIBLICIS
RECTE ORDINANDIS
ET
DIJUDICANDIS.

§. 1.

Operæ pretium fuerit, immorari paullulum nonnullis pericopis enodandis, quæ ex V. T. in N. T. adlegantur. Sunt enim non soli *Collinsiani Deistæ*, qui monent, adlegationibus illis non inesse vim argumentationum, sed ipsas esse nonnisi *accommodationes*, sed cantilenam eamdem quoque repetunt interpretes nonnulli; inprimis Iudæi quidam, doctrinæ nostræ infensi & eam destructuri, eis adlegationibus vim ac robur adimere student, passim fidem

fidem earum notaturi. Liceat mihi viris optimis consentire, qui in omnia eunt alia, ac adlegationibus illis non solum fidem certam, sed quoque robur argumentationum, inesse, prædicant. Referri possunt adlegationes illæ in classes non unas. Sunt enim eæ vel *historicæ* vel *typicæ* vel *propheticæ* vel *morales*.

§. 2.

Adlegationes *historicæ* complectuntur vel verba repetita vel simul accessiones quasdam, verba illustrantes, atque haustæ sunt vel ex gestis, quæ in V. T. enarrantur, vel ex traditis olim per Iudæos notitiis. Videtur a loco MARCI II, 26. esse inchoandum. Dicitur ab eo David introiisse in domum Dei, sacri tentorii sedem externam, tempore Abiatharis, Princeps qui fuit sacerdotum: & panes Deo propositos edisse. Sunt, qui hærent in Marci verbis ἐπὶ Ἀβιάθαρ τοῦ Ἀρχιερέως, rati, Abiatharem tunc nondum fuisse sacerdotum Principem, nec eum Davidi dedisse aliquid ex istis panibus edendum. *Theod.* igitur BEZA sibi persuasit, verba illa græca non esse Marci, sed glossematum architecti. Idem senserunt librarii *græci* & *latini*, qui illa verba omiserunt. Desunt ea Codici *Cantabrigiensi*, *Vercellensi*, *Veronensi* & aliis Codicibus *la-*

tinis. *Syrus* Interpres a) vero, Codex latinus *Brixianus*, *Vulgata*, aliique Codices verba illa græca in sermonem exterum translata exhibent solide meritoque. Nam Abiathar fuit summus Sacerdos, sive per prolepsin sic fuerit dictus, sive eo ipso tempore, siquidem iam antea Deum rite in caussa Davidis consuluerat 1 *Sam.* XIX, 4. ideoque patri in muniis sacerdotalibus erat adiunctus. De reliquo vesci permisit panibus illis Davidi Abimelechus pater 1 *Sam.* XXI, 1. quod non negavit Marcus. Quantum vero ad illud ἐπὶ adtinet, hæc præpositionis particula, ea casui secundo ac personis iuncta, denotat tempus, quo quis vixit, quo aliquid fuit gestum. *G.* RAPHELIUS ex *Xenophonte* & *Arriani Epicteto*, *I.* ELSNERUS ex *Thucydide* & *Demosthene*, uterque ad hunc Marci locum, suppeditarunt huius significatus exempla, quibus addi possunt *Matth.* I, 11. XXVIII, 14. *Luc.* III, 2. IV, 27. *Act.* XI, 29. In *Iosepho*, *Philone*, *Pausania*, *Plutarcho* sæpius iste structuræ modulus sensu eodem legitur. *I.* CLERICUS ad *Hammondum* alucinatus fuit, sibi persuadens, illud ἐπὶ Ἀβιαθὰρ Ἀρχιερέ-

a) *Syrus* habet: כד אביתר רב כהנא, *quum Abiathar esset princeps sacerdotum.* Codex Brixianus: *Sub Abiathar sacerdotem.* Vulgata: *Sub Abiathar Principe Sacerdotum.*

χιερέως in latinum verti posse *ad Abiatharem Pontificem*. Nullus enim scriptor græcus eum huic structuræ sensum adiunxit. *I.* HARDUINUS ad *Marci* locum rectius hanc adtulit interpretationem: *Dum præesset Abiathar synagogæ Israeliticæ, tamquam Princeps sacerdotum.* Synagoga tamen strictim dicta in eam ætatem haud cadit. Id vero, quod *Harduinus* adiicit, ratus, duos simul fuisse Pontifices, quorum annuæ fere fuerint vices, & cuius moris primordia ab Heli Pontificis obitu arcessenda sint, quem morem ex hoc Marci loco ivit comprobatum, mihi videtur lubricum & incertum, immo improbandum. Suffecerit nobis, rem a Marco enarratam accidisse *sub Abiathare*, seu *tempore Abiatharis*, τῶ ἀρχιερέως *illius, qui summus fuit sacerdos*. Si honoris hæc nota fuit per prolepsin adiecta, scrupulus cessat omnis; sin vero proleptice haud dictus fuit sacerdotum Princeps, meminisse iuvat, eum iam in patris munia successisse nomine vicario, siquidem Deum rite consuluit more sacerdotis summi.

§. 3.

Crux lectoribus videtur fixa in narratione illa Stephani, quæ legitur ACT. VII, 2. 3. 4. quippe quacum pugnare fertur id, quod

quod narratur GEN. XII, 1. In priori enim loco Deus dicitur Abramo præceptum impartivisse *in Mesopotamia*, ut hic patriam & cognatos desereret atque in aliam emigraret regionem. In posteriori loco præceptum illud videtur Abramo divinitus *in Haran* contigisse, quæ erat vel vicus vel villa regionis Aram naharaim seu Aram paddan, id est, Aramææ Bataneos seu Bataneæ. Exposui de situ huius regionis in *Novis Actis Eruditorum* 1740. p. 270. s. Si verba Dei, Abramo ingesta, inspicimus, ea non in Haran, sed in Ur Caschdim huic fuerunt patefacta & iniuncta. Dei enim hæc erant verba: *Exi ex patria tua & ex cognatione seu familia tua ac ex domo patris tui.* Constat vero inter omnes, patriam Abrami patrisque Taræ fuisse *Vr Caschdim.* Si nossemus situm huius urbis, quæ a Chaldæis vel Chaldis nomen traxit, eumque inter Euphratem & Tigrim deprehenderemus in famosa illa olim Mesopotamia, difficultas sublata esset omnis, ac locus uterque, qui videtur discordare, foret inuicem conciliatus, simulac interpretatio in *Gen.* XI, 31. 32. XII, 1. 2. 3. 4. adferretur, rei congruens. Antequam vero ulterius progredior, hunc *Geneseos* locum ita ad verbum interpretor:

"*Et*

"*Et adſumſit Tarah Abramum. filium* "*ſuum, & Lotum, nepotem ſuum ex filio* "*Harano, nec non Sarai nurum ſuam, uxo*-"*rem Abrami filii ſui: atque* hi *emigrarunt* "*cum ipſis ex Vr Calſchdim, profecturi in re*-"*gionem Canaan. Et venerunt Haranam* "*usque, ubi ſedes ceperunt. Et erant dies* "*Taræ quinque anni & ducenti anni, ac obiit* "*Tarah in Harana. Et dixerat* ante exitum "ex Vr Caſchdim *Deus Abrahamo: Exi ti*-"*bi ex patria tua & ex cognatione tua ac* "*ex domo patris tui in regionem illam, quam* "*tibi indicabo: & faciam te populum ma*-"*gnum & fauſtitatem tibi impertiam, &* "*eveham nomen tuum, ut ſit proſperrimum* "& *illuſtre.*" Clauditur ipſo tertii inciſi fine promiſſio Dei, olim Taræ in Vr Caſchdim impartita. Parentheſi hac ſeu expoſitionis acceſſione abſoluta, narratio ipſa ſic porro continuatur: "*Et emigraverat Abram,* "*quemadmodum iuſſerat ei Deus, profectus*-"*que cum eo fuerat Lotus. Abramus vero* "*natus fuerat* 72. *annos, quum* poſtea *ex Ha*-"*rana emigraret.*" Si plusquam perfecti ſignificatum ſequaris, ubi res ipſa id exigit, nodi geographici & chronologici difficultas exſtinguitur & evaneſcit. Subiungemus interpretationi ex hebræo factæ interpretationem ex græco transfuſam, re-

ferentem verba Stephani ex *Act.* VII. 2. 3. 4. En hanc:

"*Viri Fratres ac Patres*, *audite. Deus* "*ille gloriosus adparuerat Patri nostro Abra*-"*am*, *qui erat in Mesopotamia*, *antequam* "*sedem caperet in Charran*: *dixeratque ad* "*ipsum* in Ur Caschdim: *Emigra ex patria* "*tua & ex cognatione tua*, *& discede in re*-"*gionem*, *quam sane tibi monstrabo. Tunc*, "*egressus ex regione Chaldæorum*, *domicili*-"*um fixit in Charran. Et inde*, *pater ejus* "*obierat*, *domicilium mutavit sedemque tran*-"*stulit in regionem hanc*, *in quam vos nunc* "*habitationes collocastis.* „

Illud, *qui erat in Mesopotamia*, non necessario indicat, Abramo in Mesopotamia illam visionem fuisse oblatam. Ponamus tamen, in Mesopotamia visum ipsi esse Deum & emigrationem præcepisse; tunc nobis dandum est, Ur Caschdim fuisse sitam in Mesopotamia. Nostrum vero est inter hæc meminisse, *Mesopotamiam* seu interamnensem regionem in Oriente *non* fuisse *unam*, & *Chaldæos* ac *Chaldos* quondam variis in regionibus sedes obtinuisse & mutasse. Mesopotamia *prima* fuit Euphraten & Tigrim interiacens; *secunda*, sic a LXX dicta, & Iordane ac Iaboco fluviis

fluviis intercepta b): *tertia* inter Euphraten & Orontem *Iudith.* I, 14. *quarta* Cyrrho & Euphrate coërcita, in qua vetus erat Ninos seu Nineve. Chaldæi habitarunt c) ad Phasin supra Trapezuntem iuxta Pontum, olim Chalybes d) adpellati. *Chaldæi* habitarunt regionem Chalybonitidem, siquidem dicti fuerunt *Chalybes. Chaldi* seu Chaldæi habitarunt ad Babylonem. *Persæ* ipsi olim vocati fuerunt *Chaldæi* e) Quid notionis cum vocabulo אור, Ur, sit conjungendum, videtur esse obscurum. Si quid ex Iovis Urii adpellatione, qui in urbe Osdroë, Orchoë, seu Edessa & ad oram Ponti Euxini colebatur, colligi potest, dum IOSEPHUS *Ant.* I, 7. §. 1. nihil opis exhibet, Osdroe fuit Ur Chaldæorum. Ipsa enim ad Euphratem & intra Mesopotamiam f) sita fuit. Edessa enim nomen est a Macedonibus ortum. *Io.* HARDUINUS in *Commentario ad Act.* VII, 3. geminat visionem, & alteram Abramo in Harana obtigisse putat, haud secus ac alii per-

V 4 multi

b) *Gen.* XXVIII, 2. *Iudith* III, 12.
c) STRABO L. XII. p. 825. 832. Amstelod. 1707. f.
d) STRABO L. XII, p. 826,
e) *L.* HOLSTENIUS *in Stephanum Byzantinum* p. 352.
f) IOSEPHUS tradit *Ant.* II, 7. §. 4. p. 91. Ebræos ex Mesopotamia fuisse oriundos.

multi interpretes senserunt. Ut verbo dicam, Stephani enuntiatum argui non potest erroris, quocunque tandem illud Ur Chaldæorum posueris.

§. 4.

Exposui iam supra nonnihil, quod ad extricandum Stephani pronuntiatum *Act.* VII, 14. referri potest. En eius verba: *Iosephus misit ac evocavit patrem suum Iacobum in aliam sedem ac omnem cognatam sibi familiam, hominibus septuaginta & quinque constantem.* Eximendus est igitur huic numero Iosephus, uxor & duo filii eius. Iacobus & ex eo nati nepotesque, filiæ & neptes, æquarunt numerum 66. exceptis filiorum ipsius feminis. *Gen.* XLVI, 26. Iacobus autem si ipse & reliquæ domus ipsius personæ, scilicet filia & neptes numero illi 66 inseruntur, inde oriuntur homines septuaginta. *Ex.* I, 5. *Gen.* XLVI, 27. Hæ personæ ex ipso fuerant progenitæ. At migrarunt cum ipso Iacobo in Aegyptum matres etiam filiorum Iacobi & horum filiorum uxores, ex Iacobo non genitæ, verbi caussa, Bilha, Silpa, & tres filiorum uxores. Hoc modo inde prodit numerus 75, quem tenent LXX, in *Gen.* XLVI, 27, in *Ex.* I, 5. & in paucis exemplaribus *Deut.* X, 22. IOSEPHUS *Ant. Iud.*

Iud. II, 7. §. 4. p. 89. rem ſic prodidit: *Iacobus in Aegyptum cum filiis & omnibus horum* filiis *diſceſſit.* Ἦσαν δ' οἱ πάντες ἑβδομήκοντα, *erant vero hi omnes ſeptuaginta.* De filiis Iacobi καὶ πᾶσι τοῖς τούτων & *omnibus horum* liberis videtur Ioſephus numerum eum intellexiſſe, non incluſis Bilha, Silpa & uxoribus tribus filiorum Iacobi. Lea enim e vita iam diſceſſerat, ante iter in Aegyptum, *Gen.* XLIX, 31. *Io.* HUDSONUS in Notis ad *Ioſephi* locum erudite adtulit teſtimonia Patrum, qui in numero 70. adquieverunt, nec plures Ebræos memorarunt, in Aegyptum traductos. Memoratu inter hæc eſt digniſſimum, a MILLIO nullum indicatum eſſe Codicem græcum vel latinum, qui alium ac numerum 75. in Oratione Stephani habet. *Syrus* Interpres eumdem ſecutus fuit numerum. Purpuratus curiæ Romanæ *Vincentius Ludovicus* GOTTI*) nodum hunc ita ſolvit: "Ingreſſi ſunt ſeptuaginta in Aegy-"ptum, ut habent etiam LXX *Deut.* X, 22. "At, *Act.* VII, 14. ſecundum LXX, *Gen.* "XLVI, 27. adduntur duo filii Ioſephi ho-"rumque filii & nepotes. At dicuntur illi 75. "Aegyptum ingreſſi cum Iacobo. In pa-

*) *De Veritate religionis Chriſtianae & librorum, quibus innititur* To. II, c. 4. §. 4. n. 56. p. 103.

"tre autem continentur nepotes." An ita nodus fuerit extricatus, lectores arbitrentur. Scriptor alius ita rationes **) subduxit: *Pone, Stephanum sequi Mosis numerum priorem 66. (nam idem quoque 70 numerat,) in numeranda familia Iacobi, a qua Iacobum & Iosephum cum filiis duobus exclusit; quibus Stephanus novem feminas ipsorum adiungit. Uxor enim Iudae erat iam mortua. Beniaminum ponamus thalami exsortem. Uxor Iosephi eis non est adnumeranda. Adde novem feminas illis 66, quae, licet sanguine Iacobi haud fuerint satae, ex familia tamen Iosephi exstiterunt.* Adprobavit sese haec extricandae difficultatis ratio Viro maxime Rev. *Io. Frid.* STEINIO ***) ita, ut eam iudicaverit dignam, quam in libro suo solide scripto repetierit. An Stephanus ipse de numero 75. hominum fecerit mentionem, ambigendum videtur. Ipse enim Palaestino sermone fuit usus, quem vulgo hebrae-

**) *Histoire universelle depuis le commencement du Monde iusqu' à present d'une Societé des gens de lettres.* To. II, L. I, c. 7. pag. 163. f.

***) Vernünftige historische und theologische Betrachtungen über die Wahrheit, Alterthum und Göttlichkeit der Schriften des Alten und Neuen Testaments, VII. Theil, 14. Cap. §. 17, p. 790. f.

hebræum fuisse adpellatum novimus. *Lucas* vero non potuit, quin LXX Metaphrastas sequeretur, Græcis Iudæis ac Christianis tritissimos. Septuaginta illis indubie fuit ratio, cur illum numerum rotundum 70 redderent explicatiorem. Alibi quoque numerus rotundus sic fuit adhibitus, ut in alio loco vel ab alio scriptore id, quod eum numerum excessit, sit indicatum. Confer *Ex.* XII, 40. & *Gen.* XV, 13. nec non 1 *Reg.* II, 21. & 2 *Sam.* II, 11. item 1 *Reg.* XXIV. 8. & 2 *Par.* XXXVI, 9. Omitto exempla complura. Id vero obliviscendum siccove pede prætereundum non est, Hebræis suas fuisse genealogias, suos annales, sua hypomnemata historica, e quibus in *Philone* & ruderibus *Talmudicis*, passim nonnihil superest. Inde compertum habemus id, quod Stephanus docuit *Act.* VII, 22. Mosen scientiarum Aegypti omnigena excellentia fuisse institutum g). Inde discimus, tempus pluviæ, per Israeliticum regnum deficientis, 1 *Reg.* VIII, 1. memoratum, æquale fuisse annis tribus & dimidio, prout Iesus & Iacobus docuerunt *Luc.* IV, 25. *Iac.* V, 17. *Ex Ialkut Schimoni* ad 1 *Reg.* XVI, fol. 32. illud ipsum ostendit *G.* SURENHUSIUS. Adservabantur momenta eiusmodi historica in prisca

g) PHILO *de Vita Mosis* p. 605, f.

prisca Iudæorum Kabbala h). Id tandem negligendum non est, Hebræis fuisse permulta mancipia, nec tamen moris fuisse, hæc inter familiarum homines adscribere vel eorum numerum inter patres primores inire. Quapropter de maxima Hebræorum, Aegypto egressorum, multitudine non est anxie laborandum. Nam in servitute Aegyptiaca domini servique ad eamdem conditionem fuerant detrusi.

§. 5.

Vellicat aurem alius scrupulus, alius laquei critici nodus. Stephanus narravit *Act.* VII, 15. 16. Iacobum in Aegypto obiisse diem supremum patresque Hebræorum; traducta vero deinceps esse eorum corpora εἰς Συχὲμ, & humata fuisse in sepulcro, quod emerit Abraam pretio argenti a filiis Emmori, qui fuerit Sichemi pater. In hisce nihil est, quod nos in dubitationes coniicere potest, simulac recordamur, Abraamum emisse Saræ ac suo suorumque posterorum nomine monumentum sepulcrale in *Machpelah* eiusque conditorio seu specu subterraneo, haud procul Mamre, Mamor-

h) *Io. Christoph.* WOLFIUS in *Bibliotheca hebraea* P. II. L. VII, c. 1. §. 6. p. 1197. s.

Mamortha ſeu Sichemo, iuxta Hebronem ſeptemtrionalem ſeu Acrabat. Veteres enim eodem, ac urbem, nomine adficiebant tractum, urbi adiacentem ac adtributum, quem homines medii ævi adpellabant *banni leucam*. Inde haud difficile explicatu eſt, Ieſum dici veniſſe in vicos Cæſareæ Philippi, & eumdem in Codice *Cantabrigienſi*, *Vercellenſi*, *Veronenſi*, *Corbeienſi* & *Vindobonenſi* dictum fuiſſe exiiſſe ſeu profectum eſſe *in Cæſaream Philippi*, *in Ceſarea* i) *Phil. Marc.* VIII, 27. Prætercaillud εἰς LXX reſpondet Hebræorum literæ præfixæ *beth*, cui ſæpe ſignificatus adhæret *iuxta*, *prope*, quemadmodum ex *Chriſt.* NOLDII *Concordantia particularum ebræo-chaldaicarum* patet. Iacobus fuit ſepultus prope Mamre. *Gen.* L. 13. Ioſephi Proregis corpus fuit humatum prope Sichem. *Ioſ.* XXIV, 32. Et quis ambiget, an Hebræi cadavera ſuorum ex Aegypto tranſtulerint ſecum in Palæſtinam, quum Moſen Pharaoni denuntiaviſſe novimus, ne unguem quidem Hebræorum deſideratum iri, quin is Aegypto ſubducatur? Qui ad Hebronem auſtralem ponunt ſpecum Machpelah, minus feliciter interpretantur locum *Gen.* XXIII,

i) *Evangeliarium quadruplex* p. 392. 393. P, II. *Romae* 1749. fol.

XXIII, 16. nec Geographiam priscam Cananææ sibi satis reddidernnt familiarem.

§. 6.

Regina, quæ ex Saba ad Salomonem venit, dicitur venisse ex ultimo terræ spatio MATTH. XII, 42. Monet nonnemo, regnum Sabæ non fuisse terram ultimam, habito ad Palæstinam respectu. In promtu est, quod fluctus hos in simpulo motos pacare potest. Ei enim fines terræ quæ sunt ad Oceanum, vocabantur olim *extremum telluris* seu potius regionis. Apostolos Iesus dixit fore testes Suos ἕως ἐσχάτε της γῆς, *ad finem* & oras usque Palæstinæ *illius regionis*, ii) *Act.* I, 8. conf. 1 *Macc.* III, 9. DEMOSTHENES k) dixit, homines, Indicam regionem incolentes, sedes habere ἐπ' ἐσχάτων γῆς. Matthæus memoriæ prodidit loco indicato, reginam austri venisse ἐκ τῶν περάτων της γῆς, *ex terminis* seu finibus *illius regionis* seu Palæstinæ, quippe quæ venerat ex Arabia, quæ regio pertine-

ii) Inde tamen non est colligendum, Apostolorum singulos extra Palæstinam postea versatos non esse. Petrus enim Antiochiam venit.

k) In *Epist.* πρὸς τὰς Θηραμένες βλασφημίας, p. 787.

tinebat a meridie & oriente ad Palæstinam usque. Differt enim nomen γῆς nude positum a formula τῆς γῆς.

§. 7.

Mirum est, Iesum venisse *in fines Iudææ trans Iordanem.* MATTH. XIX, 1. Matthæus enim ibi figit punctum descriptionis suæ geographicæ in urbe Hierosolyma; eapropter ipsi dicendum fuisset, Iesum venisse in Iudæam cis Iordanem. At *duplex* olim fuit Iudæa, *una* trans Iordanem e regione Scythopolis, *altera* maior, tribum totam vel totius regni regionem designans. Legimus hæc apud *Marcum*, quæ congruunt ad verba Matthæi. Vide *Marci* X, 1. ubi Codice in *Brixiano* hæc leguntur de Iesu: Et *inde exurgens, venit in fines Iudææ trans Iordanem.* Consonant ei codices *Vercellensis*, *Veronensis*, *Corbeiensis*, *Vindobonensis*. Interpres *Syrus*, sæculi quarti scriptor, luculentius locum ita in sermonem suum convertit: *Et surrexit inde & discessit in confinium* ליהוד *Iehud* לעברא דיורדנן *in adversam ripam Iordanis.* Quoties Iudæam notiorem is memorat, eam adpellat *Iehudo*, non *Iehud*. Accedit, quod omnis Palæstinæ transiordanicæ regio olim dicta fuit עבר הירדן 1), nisi

1) *Babhabatra* III, 2. *Kthubhoth* XIII, 10. *Schebhith* IX, 2.

nisi adderetur ימה, *versus mare* magnum. Memoratu dignum est, quod IOSEPHUS m) de Hyrcano, summi Sacerdotis filio, scripsit, tradens, Hyrcanum noluisse Hierosolymam reverti, elegisse potius sibi sedem in locis transiordanicis, τοῖς πέραν τοῦ Ἰορδάνου, ibique vicinos habuisse Arabas, quibusscum continenter bella gesserit. Subiicit tandem *Iosephus* narrationi suae verba haec: Οὗτος ὁ τόπος ἐστὶ μεταξὺ τῆς τε Ἀραβίας καὶ τῆς Ἰουδαίας πέραν τοῦ Ἰορδάνου, οὐ πόρρω τῆς Ἐσσεβωνίτιδος, *locus iste est inter Arabiam & Iudaeam trans Iordanem. non procul ab Essebonitide.* Testimonium hoc nulla implicatum est obscuritate. Regiuncula *Iehudah* ad ultimam australem oram Iordanicam tribus Naphthali pertinuit ab oriente & ultra Iordanem. *Ios.* XIX, 35. *Hippene* igitur & *Gadarene*, regiunculae trans Iordanem, communi tractus *Iudaeae trans Iordanem* nomine venerunt. At plura ne addamus, intercedit *H.* RELANDUS qui nobis in hoc argumento praeluxit n) facem. Maxima Iudaeae transiordanicae urbs videtur fuisse Ephron o) seu Gephrus, e regione Scythopolis. Prope eam vel suburbium eius fuit Gennabris, Sennabris, Bethennabris,

m) *Ant.* XII, 4. §. 11. p. 607.
n) *Palaestina* L. I. c. 6. p. 32. s.
o) *Macc.* V, 46.52. 2 *Macc.* XII, 27. 28.

bris, ubi pons erat Iordani superstructus infra lacum Tiberiadis. Reveneral Iesus, Cæsareæ Philippi e confiniis, ad Capernaum *Marc.* IX, 33. Inde profectus fuit in Iudæam transiordanicam. Inde tetendit Hierosolymam, transiens regionem Hierichuntis. Nihil inest huic itineris delineationi, quod lectorem morari vel offendiculo esse ei possit.

§. 8.

Sunt, qui existimant, narrationi illi, ex V. T. desumtæ inesse nævum, qua Iudæi dicuntur Zachariam, Barachiæ filium, necasse in atrio sacerdotali inter aram exteriorem & adyti prospectum MATTH. XXIII, 35. Videtur hoc esse depromtum ex 2 *Chron.* XXIV, 21. 22. ubi tamen Zacharias, Iojadæ, non Barachiæ, filius tam dira nece interemtus esse dicitur. *N.* LARDNERUS qui credidit, libros N. T. intemeratos ad manus nostras pervenisse p), nodum hunc haud secus extricare novit, quam fatendo, Barachiam irrepsisse in locum Matthæi illum loco Iojadæ q). Verum enim vero hac solutione opus non est. Nam prorsus est vero absimile, Iesum respexisse ad faci-

p) In *Fide Historiae Evangelicae.* L. II, p. 341.
q) L. II, c. 6. p. 307. f.

facinus, sub fine templi prioris admissum. Exprobrat enim Ipse illam crudelitatem sanguinolentam Iudaeis suae aetatis, qui eam animo conceptam effuderint in miserum, sacris operantem in atrio sacerdotali: exorsus a sanguine Abelis innocentis malitiose effuso & finiens protractam per saecula atrociam, Deo ipsi ac sacris insultantem, sanguinis innoxii effusione, quae erat eo, quod proxime decurrerat, tempore commissa. Memoratu digna sunt verba Iesu illa, ὃν ἐφονεύσατε *quem caede ipsi illata sustulistis.* Ad crimina, olim in templo patrata, risissent Pharisaei, dictum; si tunc vixissemus, facinus illud nemo nostrum admissurus fuisset v. 30. Notanda igitur eorum erat malitia, haud ita pridem in homicidium innocentis intra templum profusa, quae excidio templi erat punienda. Alibi haec non leguntur, ut alia complura *Luc.* XIII, 1. s.

§. 9.

Redeundum nobis est in tractum terrae Sichemiticum. Progenitores Samaritarum dicuntur cultum Deo religiosum praestitisse in monte, qui Sichemo erat proximus, atque *Garizim* adpellabatur. *Io.* IV, 5. 20. Inde & ex aliis rationibus M. *Benj.* KENNICOTT, *Britannus*, colligere conten-

tendit, iam Iesu in Palæstina versantis ætate a Iudæis montem Ebal in locum montis Grissim seu Garizim fuisse *Deut.* XXVII, 4. transpositum. Samaritano in Codice omnino ibi illa iam diu insedit transpositio, siquidem Samaritæ olim veriti haud sunt, in Pentateucho suo passim aliquid mutare, addere, interpolare, prout luculentissime ostendit *Steph.* MORINUS r), cuius sententiam adprobavit *Io. Christoph.* WOLFIUS s) post *A.* BOOTIUM, *Rich.* SIMONIUM, NATALEM ALEXANDRUM & *Lud.* ELLIES *du* PIN. Locum illum DEUT. XXVII, 4. in quo permutati sunt montes *Ebal* & *Grissim*, Samaritarum magistri inseruerunt etiam Mosi EX. XX, 17. post decem præcepta, & DEUT. V, 21. contra omnium hebraicorum codicum atque versionum fidem. Facile igitur adparet ex hac prurigine, mutationem illam industria prava effectui fuisse datam, ut, templum suum Garizitanum iussione divina niti, Samaritæ irent comprobatum. Iosua in monte *Ebal*, non in *Garizim*, sacrificia peragenda curavit congruenter iusso divino VIII, 38. Nihil hic mutatum, eo quod Samaritæ librum Iosuæ repudiarunt, quippe sacris suis ob-

X 2 stan-

r) In *Exercitationibus de Lingua primaeva Exerc.* II, c. 7. p. 209, f.

s) *Biblioth. hebr.* P. II, Sect. VI. p. 429.

ſtantem. Auctoritas Pentateuchi Samaritici merito habetur pro exigua, ſiquidem auctor librarius, qui eum ex hebræo deſcripſit, ex ſimilitudine litterarum quadratarum hebrærum in miros incidit nævos, ac miræ licentiæ indulſit. Nam in una Geneſi *Vav* ſuperaddidit vocibus hebræis plusquam ducenties, & plus quam centies illud, reclamante codice hebræo, omiſit t). Codex Pentateuchi, a Samarita deſcripti habet litteras provinciales Phœnicum communes, quales in nummis Iudaicis, a Simone Pontifice ſummo & ethnarcha exordium nactis, conſpiciuntur. Unde novitas ætatis videtur elucere, licet SOUCIET, Gallus, apographum illud exſilio Babylonico malit eſſe antiquius. Mutationem utique illam famoſam Samaritæ iam in promtu habuerunt, dominante in Aegyptios Ptolemæo Philometore, contendentes ad eius tribunal, templum Garizitanum iuſſu Moſis exſtructum eſſe, quod pronuntiatum nonniſi mutationibus & interpolationibus Pentateuchi potuerunt comprobare. Iudæi e contrario, pro templo Hieroſolymitano contra Garizim montem & Samaritarum conata cauſam ſuam ex Moſis ſcriptis agentes, trium-pha-

t) *Franc.* WOKENIUS in *Samaritanis Euſebiants, quatenus ad vindicandum textum Hebraeum praecipue faciunt. Vitembergae* 1731, 4.

pharunt, cadentibus lite Samaritis u), postquam causa diligenter erat examinata, quae iudicibus Aegyptiacis videri poterat extra utilitatem & honorem Regis sui fuisse collocata. Nihilo minus M. *Beniamin* KENNICOTT x), doctissimus Britannus, arbitratur, montem Ebal, aridum quippe & sacrificiis ineptum, a Iudaeis substitutum fuisse monti Grissim, ut ipsi Samaritis aegre facerent; ratus praeterea, Chronologiam Samaritani Pentateuchi esse Hebraeae praeferendam, variantes lectiones post Esrae aetatem in codice hebraeo exortas esse varias ob naevos vel pravitatem librariorum. Transpositionem illam a Iudaeis ortam fuisse, negavit *Anglus alius anonymus* in *Sylloge litteraria* cui nomen est *the Library*, anno 1760. Respondit *Kennicott* 1761. Rationes, quibus hic sententiam suam ivit propugnatum, sub examen vocavit *Anonymus* idem 1762. Scripta illa mutua coniunctim sunt edita Londini 1762, 8. y). In Ebal monte imprecationes fuerunt proclamatae. Id Samaritanus & Hebraeus Pentateu-

u) IOSEPHUS *Ant.* XIII, 3. §. 4. p. 639.

x) *The state of the printed hebrew Text of the Old Testament considered* P. II, Oxfort 1760, 8. Pars prior edita fuit Londini 1753, 8.

y) Neue Zeitungen von gelehrten Sachen, Leipzig 1763, p. 225. f.

tateuchus habent & confirmant. Hic vero in monte Ebal ſacrificia z) fuiſſe peracta, ſignificat; contrarium ille tenet montemque Garizim victimis litatis inſerviiſſe docet. *Kennicott*, victimas, gratiis agendis adhibitas, credit parum congruere ad montem, in quo imprecationes fuerunt a) proclamatæ, conſentaneas quippe magis monti Garizim, in quo adprecationes ſalutis fuerunt evulgatæ. At hæc argumenta parum habent roboris. Victimas enim, gratiis agendis deſtinatas, præceſſerunt holocauſta, peccatorum indicia, quæ peccata imprecationem, niſi expientur, contrahunt & in peccatores arceſſunt. Mons Ebal igitur ſacrificiis ibi peragendis non fuit ineptus, monumentum quippe indignationis Divinæ in prævaricatores. Victimæ gratiarum actoriæ, illis ſuperadditæ, peccatores monuerunt pœnitentiæ male actorum, reditionis ad amicitiam Dei, & gratiarum actionis; immo, his inſuper habitis admonitionibus, pœnarum graviſſimarum, quas Deus

z) In monte Ebal exſtructum fuiſſe tunc a Ioſua altare, IOSEPHUS quoque auctor eſt *Ant.* V, 1, §. 19. p. 275.

a) IOSEPHUS l. c. refert, Ioſuam ſtatuiſſe altare, ubi Moſes id iuſſiſſet ſtatui, in monte Gibalo. Ergo ipſe locum Moſis & Ioſuæ haud aliter, ac nos legimus, itidem legit.

Deus in immorigeros ſit expromturus. Et quis dubitat, quin formulæ imprecationum & adprecationum illæ in eodem loco poſtea ſint lectæ & auditoribus inculcatæ? In monte Griſſim proclamatæ ſunt adprecationes ſalutis. Quid inde? In Bethel Iacobus vidit indicium providentis itineri ſuo Numinis ſupremi, qui tamen locus poſtea idolis ibi collocatis a Ierobeamo Rege fuit deſtinatus & addictus. Zion erat mons aridus, & inde fuit adpellatus, quod germinibus fructibusque careret. Nihiloſecius ibi fuit locus gratiæ Dei extraordinarius, Iudæis oblatæ. An Deus ſemper voluit templa Sibi dedicari in locis amœnis, frugiferis, & proventu plantarum inſtructis? Non erat Ieſu ratio, cur Samaritidem de loco templi Samaritici, & ubinam quibusque de cauſis olim id fuiſſet exſtruendum vel conditum, inſtrueret copioſe. Quæſtioni ei examinandæ Ieſus nihil dabat temporis, ad potiora progrediens, & excidium templi Garizitani indicans potius proxime futurum. Quæſtiones criticas tempus miniſterii Ieſu haud exigebat, maiora molientis. Ieſus tamen Iudæis, quibus nævos & crimina exprobravit graviſſime, corruptionem librorum ſacrorum ullam vitio nunquam vertit. Apoſtoli potius docuerunt, Deum oracula Sua Iudæis, non Samari-

 tis

tis, concredidisse eisque servasse intemerata.

§. 10.

Est, qui monet, Iesum dixisse de Abrahamo nonnihil, quod in V. T. libris haud legatur, nec tamen aliunde desumtum esse potuerit. Iesus dixit hæc Iudæis Io. VIII, 56: *Abraham, pater vester, admodum gavisus fuit, desiderans videre diem illum meum, & vidit & lætatus est.* Indicavit Iesus, Abrahamum sibi adparuisse & gestiisse præ desiderio antea, cupientem, ut Messiam videret; voti quoque sui compotem fuisse factum ac inde lætandi materiam præclaram hausisse, quod diem Messiæ vidisse dignus fuisset existimatus. Iudæi sermonem Iesu haud aliter intellexerunt. Responderunt Ipsi, tune vidisti Abrahamum? Abrahamus igitur conspectus fuit a Iesu & Iesus ab Abrahamo. *Dies* vero una *Messiæ* stilo Iudaico indicabat b) exiguam moram incipientis per Messiam sæculi. At ימות משיח *dies* c) complures Messiæ sunt initia sæculi futuri, quod Iudæi copulant cum

b) *Luc.* XVII, 22.

c) *Schir haschirim rabba* fol. 30. 4. *sepher rasel haggadol* fol. 13. 1. *Christianus* SCHOETGENIUS *Diss.* II, *de seculo hoc & futuro* §. 10. p. 1157 in *calce Horarum*,

cum præcedente mortuorum resurrectione. *Maimonides* in Commentario ad *Sanhedrin* XI, 1. existimat, per *dies Messiæ* designari tempora Monarchiæ, populo Iudaico in Palæstinam reducendo restituendæ, cui restitutioni præcessura sint studium & vis subigendi populos extraneos atque Iudæis subiiciendi. Deseruerunt scilicet plurimi Judæi vetustam dierum Messiæ notionem ad vaticinia prophetarum congruentem. Adparuerunt Iesu atque Eius discipulis *Moses* & *Elias*. Nihil de hac re in libris V. T. legitur. Multa contigerunt præterea in diebus ministerii Iesu, quæ litteris consignata non fuerunt *Io.* XXI, 25. Nihil itaque causæ est, cur conspectum ab Abrahamo diem Iesu Messiæ e libris V. T. velimus ostendere, vel comprobari. Iesus enim adparuit Paulo & Paulus vidit Iesum, licet nihil huius adparitionis memoriæ litterisque traditum fuerit in V. T. Nequidem *Iannes* & *Jambres* in V. T. adparent, qui tamen in paraphrastis Chaldæis & Rabbinis memorantur. Sed paucula porro ad adlegationes propheticas commentari libet.

§. 11.

Pericopæ *propheticæ*, quæ ex V. T. in N. T. adlegantur vel sunt verbales vel reales vel typicæ. Paucula mihi heic veniunt

in mentem, cum lectoribus communicanda & eorum iudicio subiicienda. Pericopas nonnullas non recta, sed per ratiocinationis subaudiendæ modulos, fuisse adhitas ob argumentandi vel illustrandi scopum, neminem facile præterit. Nonnumquam notissima pericopæ propheticæ verba exhibentur ad aliquid comprobandum, quod ex pericopa V. T. continuata tantum comprobari potest. Ita nosmet solemus initia dicti alicuius biblici sat noti adlegare, cum ea comprobaturi sumus argumento, quæ initiis illis cohærent & subiiciuntur. Ita verbi causa dicimus. Qui in Iesum haud credit, is non obtinet salutem sempiternam, prouti docemur per illud *Sic Deus dilexit mundum.* Omittimus tunc nonnumquam verba sequentia, siquidem ea nulli non sunt notissima. Eumdem morem Iudæis quondam fuisse familiarem, exemplis lectores docuit G. SURENHUSIUS d). Eumdem in modum Paulus comprobat e) auditoribus veritatem resurrectionis Iesu

d) In Βιβλῳ Καταλλαγης L. II, *de Formulis allegandi Scripturas sacras*, thesi 10. p. 48. f.

e) *Act.* XIII, 33. Ingeniosa est m. rev. D. HEILMANNI sententia, rati, initia regni descripta & celebrata olim fuisse in modum festi natalitii. Vide eius *Programma paschale* 1763.

Iesu Messiæ per illud, ex *Ps.* II, 7, depromtum: *Tu es filius meus, hodie genui te*, Spectant verba sola, a sequentibus separata, ad æternam Filii Dei ex Patre generationem, non ad corporis Iesu resurrectionem. At respiciendum est simul ad ea, quæ sequuntur, & quæ declarant, fore, ut Messiæ omnis subiiciatur terrarum orbis & per eumdem eiusque potestatem universa in terris ecclesia gubernetur. Hoc autem fieri non poterat, si Iesus Messias permansisset mortuus nec vitam corporis amissam paullo post resumsisset. Ejusdem generis est adlegatio EBR. V, 5. qua ex Ps. II, 7. probatur, Iesum Messiam haud sibimet per sese honores Pontificatus summi sumsisse. Eodem enim Psalmo verba Patris ad Filium hæc sequuntur v. 8. *Postula a me, tum gentes dabo tibi peculio & terminos mundi potestati privæ.* Et paullo ante Pater v. 6. dixerat: *Regem meum constitui in sacro meo monte Zion.* Si præesse Eum voluerat sacris sacri montis, præfecturam sacerdotii summi in ipsum contulit tandem, destinatam ei olim. Respexerunt omnino doctores per adlegationum suarum usum non ad sola verba, quæ reperunt, sed sæpius adtendunt ad complexum quoque enuntiationum, quæ fuerant præmissæ, quemadmodum fidem ocularam fecit *Surenhusius*, immo

mo adtendunt ad genuinam verborum adlegatorum interpretationem. Nam Iudæi Apostolica ætate docebant solide, agi Ps. II, 7. de Messia, prouti intelligitur ex SOHAR f), ex *Breschith rabba in Gen.* XLIX, 14. ac ex compluribus aliis testimoniis. Merito itaque hinc colligitur, Iesum, quia est Messias genuinus, præstantiorem esse Angelis, nam Ipse non solum sacro monti Zion, sed etiam universis gentibus ipsisque Regibus, Patre sic volente & statuente, præest. Brevissime hæc argumentatio exhibetur *Ebr.* I, 5. Plura eruditionis præsidia requirit genuina harum rerum expositio, quam plerisque, præcipue *Antonio Collinsio* eiusque imitatoribus inerant, tradentibus, vaticinia, e V. T. in N. T. repetita, ad Iesum Nazarenum tantummodo accommodata esse, ex mente auctorum vero aliam complecti sententiam. Iudæis adridet hæc opinio, subterfugia quærentibus, peræque.

§. 12.

Adtendendum est interpreti ad regulas Iudæorum exegeticas, ut disputationes eorum

f) Fol. 203. col. 2. edit. Amstelod. Iudæi prisci Psalmum CX. semper iungebant secundo, Messiæ quum tribuerent sacerdotium & regnum.

eorum cum Apoſtolis inſtitutas & horum adlegandi modos, Iudæorum uſibus adhibitos, ex oculis ne dimittat, in tractandis N. fœderis libris occupatus. Iudæi enim ſolebant ea ætate 1) ea tribuere generi, quæ ſingulis eius ſpeciebus inſunt, & ſpeciebus ea non denegare, quæ ſingularibus ad eas referendis perſonis vel rebus inſunt ſeu tribuuntur: 2) fata maiora Iſraëlis ſeu Iſraëlitici populi ſimul contemplari in Meſſia g) quem ideo *Iſraëlem* h) adpellabant: 3) a maiori ad minus in eadem ſpecie, ad eumdem ſcopum adtinente, argumentationem proferre: 4) a minori ad maius reſpicere inter argumentandum per adlegationes i), ubi tamen maius & minus ad idem genus, eidem ſcopo addictum, ſpectabant: 5) ponere interpretationes ſubinde tamquam certas, & corollaria demum debite inde deducta in medium ſola proferre: 6) ob paritatem perſonarum moralem inculcare metum earumdem pœnarum k) & promit-

g) Ita illud Hoſ. XI, 1. exponitur de Ieſu Meſſia *Matth.* II, 15. & in *Midraſch Tillim* ad Pſ. CX, 1.
h) *Ialkut Rubeni* f. 76 col. 1. ſ.
i) Cl. *Erhardus Andreas* FROMMANNUS in *Topices Pauli Apoſtoli in fide ſalvifica ex* V. T. *probanda ſpecimine*, Altorſi 1762. 4.
k) Pſ. LXIX, 26, CIX, 8. *Act.* I, 20. *Ebr.* IV, 11. X, 28. 29.

mittere eadem præmia: 7) enuntiationem, ex duabus vel tribus thesibus conflatam, pluribus adlegatis dictis biblicis probatam dare. Ita Paulus, ex V. T. hoc enuntiatum, *Resurrectio Christi e mortuis certa Dei declaratione nititur*, comprobat duabus adlegationibus ACT. XIII, 34. 35. Priorem desumsit ex *Ies.* LV, 3. posteriorem ex *Ps.* XVI, 10. decerpsit. In priori loco invitantur mortales ad perpetuum fœdus, quo multiplex benignitas Davidis dicitur admodum confirmata esse. LXX summam eius fœderis sic interpretati fuerunt: *Omnino dabo vobis* τα ὅσια Δαβὶδ πιστὰ *misericordias, Davidi impartitas ac promissas, veras*, certas, firmas. Fœdus illud spectat ad conditionem recipiendi Messiæ. Benignitas copiosa, quam Deus Davidi promisit per fœdus constantissimum, complectitur simul Messiam, ex ipsius posteris natum. Unde R. ABEN ESRA in *Ies.* LV, 3. tradidit hæc: *Probabile est, misericordias Davidis designare Messiam, ex familia eius nasciturum.* Addidit Iesaias fœderis mentioni de Messia ea, quæ ad salutem, perpetuo ex eo percipiendam, spectant. Quæ si certa erant, Messias non poterat manere mortuus. In posteriori loco Messias ipse a vate Davide inducitur sic locutus: *Non concedes Sanctum tuum sentire corruptionem* corporis in statu

post

post eius mortem. Ergo Iesus Messias paullo post mortem resumsit vitam & rediit vivus ex sepulcro; David autem non revixit; quam ob rem David non de sese id vaticinatus fuit. Firma & solida hæc fuit Pauli argumentatio. Iudæi solebant 8) in genealogicis computationibus propheticis rationes suas sic subducere: Si unum semen, una origo stirpis, designatur & promittitur patri, filio, nepoti, progenitisque inde remotioribus posteris per notam semper singularem, tunc unica indicatur persona inde nascitura. Si enim per *unum semen* indicaretur in eo casu posteritas numerosa, non perpetuo adhiberetur unius seminis mentio. Atqui *semen*, in quo populis omnibus universæ terræ salus adquiritur & offertur, promittitur Abrahamo, Isaaco, Iacobo, Davidi, aliisque, per modum seminis unius. Ergo per hoc semen *unica* modo persona fuit designata. *Gal.* III, 16. 19. Vide loca *Gen.* XXII, 18. XXVI, 6. XLIX, 18. Ps. CXXXII, 17. Ies. XI, 1. XLIX, 6. LIII, 2. Unicum filium dici *semen*, dictu non est inusitatum. *Gen.* III, 15. XV, 3. IV, 25. Conferendus ad hanc ratiocinationis formulam *Surenhusius* L. III. *Thes.* 22. Dolendum est, quod *Christ.* SCHOETTGENIUS librum illum Καταλλαγῆς suis additionibus locupletan-

tatum haud publicavit. Erat enim huic ſaxo volvendo aptiſſimus.

§. 13.

Apoſtoli plures V. T. libros non habuerunt, divinitus nempe per inſpirationem exortos, quam nos in præſens habemus. Quoties igitur in N. T. lector delegatur ad *ſcriptum*, γραφην, vel ad *Prophetas*, nec tamen adlegatio in toto V. T. uſpiam deprehenditur: tunc ad ſcripta Evangeliſtarum vel Prophetarum Chriſtianorum ætatis illius & ad carmina ſacra ab illis profecta, ωδας πνευματικας, reſpiciunt atque horum verba dant decerpta. Videtur hoc monendum ad *Matth.* II, 23. *Eph.* V, 14. *Iac.* IV, 5. Quidni enim ad hæc ſcripta, dudum nunc quidem deperdita, olim amandaſſent ſuos Apoſtoli, quum in libris V. T. adlegentur paſſim ſcripta hiſtorica & prophetica, quæ iam ævo Apoſtolorum e manibus hominum erant ſublata?

§. 14.

Monent nonnulli, adlegationes in N. T. fuiſſe adſcitas ex *græca* LXX interpretatione, quibus cum verborum hebræorum ſententiis conſenſus deſit. Iudæorum non erat, inde tela in Chriſtianam religionem petere & vibrare, ſiquidem ipſorum docto-

doctores l) tradiderunt, eam versionem non sine miraculo & Spiritus Divini auxilio singulari adornatam esse. LXX indicarunt, Israëlidas ob vaticinium *Amosi* V, 25. s. eiiciendos fuisse in alias exilii sedes ἐπέκεινα Βαβυλῶνος, ubi in Hebræo est *ultra Damascum*, quod æque legitur in oratione Stephani *Act.* VII, 43. At eventus respondit versioni LXX. Adde quod nomine Babylonis in LXX quoque adpellatur oppidum Cœles Syriæ maritimum *Biblos* seu *Byblos*. Hanc urbem adpellant LXX Babylona *Esr.* IV, 9. *Gen.* XI, 9. Ultra utramque relegavit Salmanassar Israëlitici regni primores. Illud בעלתי בכם *Ier.* XXXI, 32. LXX reddiderunt ἠμέλησα αὐτῶν. Hoc fuit repetitum *Ebr.* VIII, 9. Verbo illi hebræo adhæret significatus dominandi instar mariti in aliquem. *Deut.* XXI, 13. XXIV, 1. *Ies.* XXVI, 13. Singulariter adhibetur id verbum de Deo, in populum suum maritali fœdere dominum agente, *Ies.* LIV, 5. Meminisse iuvat verbi μέλω, μελέω, quod in aoristo primo attico activo habet ἠμέλησα, *curæ meæ addictum habui.* Ieremias ita: Patres illorum, quos ex Aegypto eduxeram, violarunt constitutionem meam, ואנוכי בעלתי בכם, *&* *ego*

l) *Megilla* cap. 1. fol. 9.

ego tamen instar mariti in eos tanquam desponsatam mihi uxorem *dominabar*. LXX: κἀγὼ ἠμέλησα αὐτῶν, *& ego curæ meæ illos mihi habere studui obversantes & addictos.* Deus enim ecclesiam Judaicam vocavit modo sponsam, desponsatam sibi, modo uxorem suam. Ipsa tamen sæpius illud maritale fœdus ruperat.. Hæserunt interpretes in verbo ἠμέλησα idque ex ἀμελέω deductum esse existimarunt. Progredi porro liceat ad APOC. II, 27. XIX, 15. ubi adlegantur verba ex Ps. II, 9. congruenter metaphrasi LXX. Ebræa ibi verba sunt hæc: תרועם בשבט ברזל LXX: ποιμανεῖς αὐτοὺς ἐν ῥάβδῳ σιδηρᾷ. Videntur hi legisse vel substituisse תרעם ex רעה, *pascendo*, eo quod Vav seu Cholem expressum non est inter lineæ litteras reliquas. Ebræum verbum רעע denotat idem ac *fregit*, *contrivit*. At de conterendis inimicis Messiæ paullo post adiicitur mentio. Subit meminisse, dari penes Hebræos formas verborum in præterito Kal, ex participio priori decerptas, quoties hoc simul vice nominis fungitur. De reliquo dicuntur ductores *pascere terram gladio* Mich. V. 6. si stamus metaphrasi LXX. In ebræo fonte ibi legitur רעו־בחרב, quod æque sic capi posset, ut idem illic intelligeremus fuisse significatum ac hoc, *conterunt* terram Assur *gladio*. Nec tamen dubi-

dubito, quin ætate LXX significatum *pascendi* in hoc loco secuti fuerint Iudæi. Suffecerint hæc exempli loco. Reliqua enim SURENHUSIUS extricavit. Messiam enim prophetæ adpellaverant *pastorem*, & prisci Judæorum doctores, Messiam designari in *Ps.* II, 9. docebant. Quum igitur pastor gregem moderatur pedo, arietesque refractarios eo percutit, consentaneum veritati est, virgam seu pedum ad contritionem & fractionem inferendam haud congruere, & ad munia pascendi obeunda potius quadrare.

§. 15.

Dantur in Novi fœderis passim libris explicationes pericoparum *typicarum*, e. V. T. desumtarum. Hæ explicationes sunt vel e cultus cærimonialis partibus decerptæ vel ex fatis factisque Hebræorum veterum depromtæ. Hæc facta & fata proponuntur Christianis eum in finem, ut hi ex exemplis poenarum vel præmiorum, quid fugere, quid imitari debeant, discant curare: ut intelligant, quid veræ Dei ecclesiæ tolerandum & perpetiendum sit, ut originem capiat, ut incrementis fulciatur, ut fructus inter patientiæ documenta ferat ac spes suas expleat. Exemplis rem libet illustrare. *Ieremias* duriora delineat fata populi, in exsilium Babylonicum abripiendi, illacrimantis huic calamitati & exitium

metuentis, instar matris, mortem filiorum deplorantis, filiorum, qui in hanc vitam haud redeunt. Subiungit tamen Propheta mentioni tantorum malorum spem renascituræ in Palæstina ecclesiæ & reditionis ex exsilio exspectandæ. XXXI, 15. 16. 17. Idem miseriæ fatum passæ sunt mulieres Bethlehemiticæ, quarum liberos Herodes Magnus occidi iussit, primitias ecclesiæ Christianæ, insectationibus procerum expositæ. Succrevit tamen posthæc ecclesia Christiana & exsiliis mortibusque membrorum non fuit exstincta. Argumentum hoc, a paritate desumtum, adhibuit *Matthæus* m) Ieremiæ verbis ex XXXI, 15. usus. Nam fata ecclesiæ Dei in terris, generatim spectata, perpetuo paribus insistunt & progrediuntur fatis. Id ipsum pellucet, simulac e singularibus rerum momentis, sepositis tantisper, eruuntur theses universales. Eadem ratione, qua Matthæus, docuit *Paulus*, quid peccatoribus, qui Christianorum familiæ sese adgregaverant, metuendum esset a iustitia Dei, criminum & pravitatum vindice, si præscriptis evangelii sese subtraherent ac impuritatibus vel obmurmurationibus sese dedituri essent. 1 COR. X, 5--12. Usus fuit ibi Paulus exemplis, ex historia Mosaica peti-

m) II. 17. 18.

petitis. Peccata Israëlidarum, quae ipse memorat poenis adfecta, & exemplis inservitura, ne quis illos imitetur, solent adpellari *typica*, licet inficiandum non sit, exempla virtutis ac patientiae hominum, qui tempore V. T. vixerunt, nobis esse specula & doctrinas, ut benignitatem Dei remuneratricem ne obliviscamur, sed potius per patientiam & consolationem spei nostrae corroborandae subveniamus. *Rom.* XV,4. Qui in his typos inveniunt, vocabulum hoc capiunt & adhibent sensu latiori. Speciatim enim id solemus *typum* vocare, quod olim praenunciavit & indicavit per signa cultus religiosi Mosaici externi varias Iesu Messiae virtutes, actiones, perpessiones, dignitates, & utriusque sortis eventus. Externus enim cultus sacrorum Mosaicorum complectebatur duo praecipue religionis fulcra. *Primum* erat in imperio Dei tamquam summi Regis situm. *Alterum* erat indicio, per Messiam huiusque expiationem futuram, sanguine peragendam, Regem illum populo suo esse benignum eique peccata remittere, & providere ipsius conservationi ac omnigenae saluti. Ex utraque typorum relatione invicem instituta, enati sunt typi, quos dicere liceat *derivativos*. Quidam ritus caerimoniales designant summum populi Regem Iehovam Eiusque Filium, ducem

& oraculorum præsidem, consulentibus responsa & pugnantibus opem ac auxilium insigne indulgentem. Victimis & libationibus inerant relationes, ad Patrem Filiumque referendæ. Pater sacerdotibus cibum dispensabat. Ea vero, quæ Regi erant priva, quæ Pater sibi reservaverat, erant comburenda vel porricienda. Quæ Filii expiationem referebant, spectabant ad victimarum immolationes & immolatores. Horum vero vestes, ornatus & officia sacra erant insignia servorum Regis supremi. Typi tamen ipsi non raro a formulis stili, ex illis decerpti, differunt. Et quid nocet notasse duo vocabula, sacrificiis, foco aræ imponendis, & cornibus altaris exterioris priva? Facit enim utrumque ad piam Regis supremi venerationem. Unum est אשה, *Isscheh*, quod ad Græcos propagatum fuit sonoque penes hos expressum fuit per ἐσχάρα, ἐσχαρίς, quibus vocibus foculus igni continendo aptus denotatur. Sacrificium apud Hebræos inferendum foculo perpetim ardenti & sacro olim dictum fuit זבח אשה *Levit.* I, 9. 13. *Exod.* XXIX, 18. LXX. illud nunc κάρπωμα, nunc θυμίαμα, reddiderunt. Græcos foculum igne instructum ac victimis absumendis inservientem adpellare *escharis*, vel ex PLUTARCHI *Poplicola* c. 24. intelligitur. Alterum spectat ad cornua altaris, quæ opinor

opinor formam antiquissimorum ex cornu poculorum habuisse, e quibus Reges n) biberunt. Hebraeorum Rex supremus selectissima sibi in cibum potumque delegerat pro more Regum aevi vetustissimi. At quia Deus alimentis & victu haud utitur, carnes sibi reservatas iussit foculo perpetim ardenti sacerdotes inferre, vinumque in cornu seu poculum corniforme infundere. Suspicabar olim, vocabulum אשדת *eschdat*, in carmine Mosaico o), primo scriptum fuisse per אשרת, eo quod *ignis edicti* obscuritatem spirat: hypallagen subornari vix videtur tolerabile: & adventus Dei cum myriadibus loci sacratissimi ad *focum ardentem* p), *a dextris eius*, magis quadrat, quam ignis edicti. At postea hanc seposui coniecturam. *Alexandrinus* interpres graecus certe notiones huic loco insitas non potuit evolvere, sed potius ea substituit, quae a sensu Mosis sunt aliena, exhibens haec: Κατέσπευσε ἐξ ὄρους Φαρὰν σὺν μυριάσι Κάδης. ἐκ δεξιῶν αὐτοῦ ἄγγελοι μετ' αὐτοῦ, *festinavit ex monte Pharan cum myriadibus Kadesae. A dextris eius angeli cum ipso.* Dicitur Deus emisisse splendorem ex monte Pharan, non festinasse. Dicitur venisse seu opera edidis-

 se

n) ATHENAEUS l. XI. p. 476. *edit. Commelin.*
o) *Deut.* XXXIII, 2.
p) Huc videtur respici *Ebr.* X, 27.

se inde ex myriadibus קודש *sanctuarii* seu loci religioni exercendæ destinati. A dextra eius dicitur ipsi fuisse אשרת. Sic legimus in codice hebræo. Sed alia nos vocant.

§. 16.

De pericopis *evangelicis* & *epistolicis* nonnihil adiungamus necessum est. Dicemus de earum origine & de abusu inde exorto. Origo est satis antiqua & se in sæculum tertium ac quartum recondit. In conventibus Christianorum primo quidem tempore universæ Bibliorum partes fuerunt lectæ & a presbyteris, tandem a diaconis, prælectae q). Quum vero nonnihil passim videretur in Bibliis sic esse comparatum, ut exteris exploratoribus vel audientibus esse posset offendiculo, particulæ nonnullæ a codicibus, usui pervulgato accommodatis, fuerunt separatæ. Paullo post ea, quæ videbantur cœtui Christiano salubriora, fuerunt prælectioni publicæ reservata; reliqua usui doctorum privato patere vel transmittenda esse, credi cœpit. Dies festi videbantur lectionem peculiarem postulare. In eorum numero referebantur *Pascha*, *Pentecoste*, ac præterea *dies Solis*. Hunc *Constantinus Maxi-*

q) *Iosephus* BINGHAMUS *in Originibus Eccles.* L. XIV. c. 3. §. 4.

Maximus feriando a laboribus & tractando verbum Dei, iussit celebrari r), non immemor festi *Adscensionis Domini* s). Idem *Martyrum* festa honoravit t), nec non Sabbatum, quo Iudaei sacris suis intersunt. Pericopae evangelicae, quibus Christiani plerique inde ex aevo prisco utuntur festis diebus, iam fere eaedem saeculo tertio u) maioribus eorum erant in usu. Crescente festorum dierum numero auctus fuit pericoparum numerus, & sensim lectio reliquarum partium codicis sacri Laicis ademta, quem morem Pauliciani Orthodoxis iam ante saeculum nonum exprobrarunt, de sacerdotibus sic sentientes: *Ea, quae vobis Laicis audientibus legunt, a tota serie detruncantes & dilacerantes, sic vos, auditores, intercipiunt.* Adderem plura, nisi Io. HEINR. THAMERUS in *Schediasmate de origine & dignitate pericoparum*, Ienae 1716, 4, publicato mihi maxima ex parte iam otia fecisset. Pericoparum auctores ad tres cardinales virtutes rei Christianae, ad *fidem*, *spem* & *amorem*, respexerunt. Epistolicae pericopae ad

r) EUSEBIUS in *vita Constantini* IV. 18.
s) IV, 64.
t) IV, 23.
u) EUSEBIUS H. E. II, 17.
x) PHOTIUS *contra Manichaeos* L. I. c. 20, p. 101. s. *edit. Wolfii.*

amorem Christianum sunt conformatæ potissimum; evangelicæ ad fidem; ad spem utraeque faciunt. Evangelicæ iam olim principatum obtinuerunt, unde proverbium fuit enatum: *Non sunt hæ narrationes evangelia, vix sunt epistolæ.* Abusus in hoc instituto notati sunt a nonnullis varii. Laicis, queruntur, ita optimas sacri codicis sententias fuisse subtractas, & pulvinos culcitrasque doctoribus cœtuum Christianorum per innumeras illarum pericoparum expositiones homileticas fuisse substratos. Optant eidem, ut pericopis illis, quæ Festis Solisque diebus prælegantur & explicantur, nonnunquam substituantur pericopæ, ex aliis sacrarum litterarum doctrinis depromtæ, rati, pericopas illas addi posse vulgatis illis, quæ in *Agendis ecclesiasticis* Lutheranorum exhibentur. Sunt tamen inter hos, qui concionibus suis sacris inserunt omnem Christianæ doctrinæ compagem, & diebus profestis omnem litterarum diviniorum ediscerunt complexum. Non est meum, litibus hisce vel monitis intercedere vel facere de eis iudicium, siquidem hoc nec ad singulos doctores sacros nec ad universos ecclesiasticos cœtus esset quadraturum. Adde quod Protestantium doctores & Ecclesiastæ nemini denegant lectionem sacrarum litterarum, per singula volumina patentium, nec impediunt

pediunt Laicos, quo minus hi probatas in linguam provincialem traductas interpretationes manu diurna nocturnaque versent & inde alimenta mentium percipiant. In Romana ecclesia iam diu viget mos, huic laudabili instituto repugnans. *Gregorius* VII. iam Wratislao Bohemorum Duci & hominibus huic subiectis denegavit licentiam legendi sacras litteras in sermonem vernaculum conversas y). *Innocentius* III. ob Waldenses, Sacri codicis totius lectores diligentissimos, Christianos noluit in Galliis legere sacras litteras, in Gallicum conversas z). *Synodo Tolosana* sub initiis sæculi XII. Antistites ecclesiastici denegarunt Laicis libertatem legendi litteras diviniores, in Gallicum versas, excepto Psalterio. Sic *Cathari*, sic Waldenses in sententiis suis dogmaticis fuerunt magis stabiliti quam convicti errorum, quibus infecti esse putabantur. Primi Christiani longe secus a) rationes suas subducebant. Horum consuetudi-

y) LEDESMA *de Scripturis quavis lingua non legendis* I. 15.

z) *Decretal. Gregor.* cap, *cum* ex iniuncto de hæreticis, & in *Decretalibus* cap. *excommunicamus.* &c.

a) *Donati Gotwisi* (D. WISARTI) Liber *Fides Iesu & Iesuitarum* 1573. 8. (Argentorati.)

tudinem in Romana ecclesia sensim coërcitam & sublatam esse, queruntur ac dolent ipsi Pontificiorum passim Theologi. P. GEORGIUS AMBIANAS, Minorita Capucinus, Parisiis 1646. in forma maxima edidit opera *Tertulliani.* Quum adnotationes adiungeret loco illius Doctoris b), quo lectionem Sacræ Scripturæ, omnibus apertam ac fructuosam, *Tertullianus* cunctis commendaverat, Georgius hos effudit gemitus: *Nunc vix etiam in sacris Scripturæ audiuntur. Vix decurtata unius capituli verba delibantur.* *Hunaldus* PLETTENBERGIUS Iesuita, qui exeunte sæculo superiori docuit adolescentes in seminario Archiepiscopali Trevirensi & postea in collegio Osnabrugensi, permissu Provincialis sui edidit Hildesii 1692, 8, *Introductionem ad Ius Canonicum*, atque in ea, quibuscunque Christianis c) SacramScripturam esse legendam, do-

b) *Scorpiacus* c. 12. p. 456, T. I. Opp.

c) Statuta *Synodi Tolosanae* a. 1129. can. 12, *Ne Laici habeant libros Scripturae praeter Psalterium & divinum officium, & eos libros ut habeant in lingua vulgari. Io.* HARDUINI *Acta Conciliorum* To. VII. P. II. col. 1149. Papæ legatus illi Synodo præsedit, de hæreticis inquirendis statuenti ita, ut nullum ad Catharos tollendos remedium videretur aptius, quam excussio Sacræ Scripturæ ex manibus Laicorum. Ita Aristoteles regnare potuit in regione cœcorum.

docuit argumentis ſat firmis ac invictis. At nullus orationi conſtat fructus, ſi ea ſurdo proponitur, vel deſidiæ non probatur. Dolendum tamen eſt ſæculum, quod ex copia Bibliorum lucra loculorum, non animarum quærit.

§. 17.

Reſtat, ut moneam breviſſime, pericopas biblicas in *nummis* d), *inſcriptionibus*, *gemmis* & *albis philothecarum* ſeſe oculis ſpectantium offerre. *Iohannes Leidenſis* Monaſterii erroribus ſuis violentis addidit nummum, in quo leguntur verba, *Nehmet hin den heiligen Geiſt*, id eſt, capite Spiritum Sanctum, ex Io. XX, 22. Ipſis diplomatibus quondam *Chrisma*, pericopa realis, fuit ab initio præmiſſum, veram eſſe religionem Chriſtianam, &, Chriſtum eſſe eccleſiæ atque imperiorum caput, ſignificans. Nonnumquam additæ ſimul litteræ C illi maiori fuerunt adiectæque litteræ græcæ P & I, item α & ω. Unde dilucet, hunc morem a Græcis Imperatoribus fuiſſe profectum in terras Occidentis. Mirandum ſane eſt, quod

d) Nummi, in Anglia dicti *Nobiles* perigraphen oſtentant ex Io. VIII, 59. quas ſuperſtitio adhibuit uſui inter amuleta, & in quibus alii myſterium alchimiſticum videre ſe ſibi viſi ſunt. *View of the gold coin and coinage of England.* bi Hodſol. London 1763. fol.

quod nomen Christi fallacibus etiam diplomatis fuerit præfixum, & ea simili C, diplomatibus suis præmisso, confirmaverint decepti imposturis innoxiique Imperatores. In manibus est fidele exemplar diplomatis Corbeiensis, Ludovico Pio suppositi ante annum 1147, eo quidem fine, ut *Conradus* III, qui se vocabat *secundum* inter Romanorum Reges, adduceretur ad confirmationem Abbatiæ femineæ Visbeccensis peragendam, quæ legitur in *Io. Frid.* FALKII *Traditionibus Corbeiensibus* p. 906. Suppositirium diploma edidit SCHATENIUS in *Annalibus Paderborn.* To. I. p. 67. f. Subiectum monogramma indicat dolum. Adiectum ei est hoc: *Durandus ad uicem helilarchar recognovi.* Omissum est *& subscripsi.* Loco verbi *subscripsi*, quod solet litteram f. initialem præferre & additum campaniformem ductum membrana decussatim est dissecta, quasi sigillum ex cera ibi olim fuisset impressum. Adiunctum locum ementiti, numquam impressi, sigilli indicat discissio campaniformis loci in modum decussatæ seu Andreanæ crucis. In prima diplomatis linea nomini *Imperator* adiectum est AUGUTUS pro *Augustus*. Stilus diplomatis de cetero abhorret ab ævo Ludovici Pii. Et cur plura eiusmodi indicia imposturarum addemus? Dubitat enim nemo, omnem hominem, ut cum hieropsalte loquar, admendacium propendere. §. 18.

§. 18.


Liceat tandem nonnihil retractationis huc transferre, & eis, quæ differui supra in *Classis II. fasciculo III.* p. 438, 439. adiungere. *Primum* est id, quod b. D. *Paulus* ANTONIUS sensum loci 1 Io. V, 7. 8. haud secus ac ego exposuit in *Harmonischer Erklärung der heiligen vier Evangelisten* P. III. p. 159. *Secundum* est, quod vetusto Iudæorum ævo testibus cœlestibus ac in terra versantibus facta maximi momenti gavisa fuerint, vel tradita sint niti vel superstructa esse. Ebræis enim persuasum fuit, dari æque in cœlo iudicium ac in terra, sic sentientibus ob illud *Dan.* IV, 14. *In decreto vigilum fuit constitutum.* Conf. *Christ.* SCHOETTGENII *diss. de Hierosolyma cœlesti* c. 3. de *Synedrio cœlesti* inscriptum. Iesus ipse id, quod in terra ligatum & solutum fuerit ab Apostolis, in cœlo tradit fore ligatum & solutum. *Matth.* XVI, 19. Ebræis priscis formula illa erat probata, quæ docebat, tres *dargin* essentiæ divinæ esse unum illud Numen Venerabile. Immo ipsi norant, formulam illam, *Tres sunt unum*, esse veram ac eam Christianis esse tritam & familiarem. Rem ipsam locis scriptorum Iudaicorum confirmavit SCHOETTGENIUS in *Horis Hebraicis* p. 1073, f. Hoc est *tertium.*

Quar-

Quartum èst, quod Ioannes 1 Ep. V, 9. 10. distinguit testimonium hominum, id èst, *terrestre* a testimonio Dei, id est, a *cœlesti*, quod Deus de Filio suo professus fuerat. Nonne proin remittit Ioannes lectorem ad testimonium generis utriusque & præcipue ad testimonium Dei Patris de Filio suo? Homines, qui viderant sanguinem & aquam iam separata fuisse, quum è latere Iesu emanarent, erant spectatores varii, milites Romani, ac ipse *Ioannes* XIX, 34. 35. Testimonium hoc erat *terrestre* & hominum. Tres vero testes in cœlo de Iesu divinitate perhibuerunt testimonium; Pater ad Iordanem, in monte præsentibus Mose & Elia tribusque Apostolis ac in templo Hierosolymitano: Filius prima solemni Pentecoste Hierosolymitana & dum Paulum voce cœlesti dignabatur: Spiritus Sanctus ad Iordanem & in illa miraculis divite Pentecoste. Ad Patris testimonium triplex cœleste Ioannes deinde potissime reducit lectores. *Quintum* est, quod *venire*, si hoc testibus tribuitur, idem est ac comparere, testimonio proferendo se sistere, ac veritati demonstrandæ se offerre testem. Sic dicitur Ioannes Baptista *venisse*, id èst, conspicuum se præbuisse testem eorum, quæ de eo fuerant prænuntiata. *Matth.* XVII, 10. 11. 12. Dicitur idem *venisse ad testimonium* Io. I, 7.

Sex-

Sextum est, quod distinguenda sunt illa tria ἐν γῇ, ἐν τῇ γῇ, & ἐπὶ τῆς γῆς. Qui terra marique agunt, eis tribuitur ἐν γῇ. Quæ in indicata vel certa geruntur regione, ea dicuntur agi ἐν τῇ γῇ. Quæ in terra sunt vel fiunt, ea dicuntur esse vel fieri ἐπὶ τῆς γῆς. Alterum igitur illud Ioannis, ἐν τῇ γῇ, idem est ac in illa regione, in Palæstina, in qua Iesus ad Hierosolymam obiit in cruce, ac ubi indicia mortis cuique patuerunt adeo, ut dubitandum non esset, Iesum esse verum hominem eiusque corpus vere fuisse humanum. *Septimum* est, quod illud ἐν τῇ γῇ respiciat ad illud ἐν τῷ οὐρανῷ, *in illo aëre sublimi*, ob dignitatem testimonii & terrestris & cœlestis: *terrestris* de Iesu humana natura, quam indicarunt eius anima eiusque corpus vere defunctum; *cœlestis* de Iesu natura Divina. *Octavum* est, quod Ioannis verba sic sunt in latinum vertenda: *Tres sunt, qui testabantur in illa regione, anima, aqua & sanguis. Ac tres sunt, qui testabantur in aëre illo sublimi, Pater, Filius & Spiritus Sanctus. Et hi tres unum sunt.* Horum gratiam & opem adprecor obtrectatoribus & inimicis meis, dummodo mentem æquam & sanctitati divinæ convenientem induere queant.



IV.

HENRICI HEISEN,

PROFESS. BIBLIOTHECAR. ET PÆDAGOGIARCHÆ BREMENSIS,

DISSERTATIO PHILOLOGICO-THEOLOGICA PRIOR,

QUA

ΤΟ ΕΚ ΠΙΣΤΕΩΣ PAULO, CÆTERISQUE PRIMIS EVANGELII PRÆCONIBUS, το δε ΕΙΣ ΠΙΣΤΙΝ EORUM AUDITORIBUS VINDICATUR.

SUMMARIUM.

§. I. *Scriptionis causa impulsiva.* §. II. *Nostra interpretatio non, ut caeterae, vocum turbat ordinem.* §. III. *Versu praec. 12. fidei & Romanorum & suae Paulus meminit.* §. IV. *Pro nobis maxime facit, quod Apostolum Evangelii non puduerit.* §. V. *Cuius ratio prima fuit ipsius Apostoli fides.* §. VI. *Secunda, coeleste praeconii Evangelici praemium.* §. VII. *Tertia, Evangelii praedicationem comitantia miracula.* §. VIII. *Auditorum fides.* §. IX. *Vers. 16. Iudaeo primum, tum & Graeco; pro mea sententia facit.* §. X. *Similiter vers. 15. τὸ εὐαγγελίσασθαι.* §. XI. *Quod propius demonstratur.* §. XII. *Frivola causa exsibilatur.* §. XIII. *Vulgatus error in Analysi Epist. ad Rom.* §. XIV. *A fide annuntiantis audientium dependet*

det fides. §. XV *Frequentissime* τὸ ἀποκαλύψαι *de mysteriis usurpatur, & justitia fidei est mysterium.* §. XVI. *Pariter mysterium est, quod eadem annuntianda fuerit primum Judaeis, ac dein gentibus.* §. XVII. *Loca de utroque hoc mysterio agentia proferuntur.* §. XVIII *Qui mysteria aliis annuntiat, tenetur ex sua fide hoc facere, & demonstrare, fidem suam firmissimis niti rationibus.* §. XIX. *Atque ita instituit Paulus.* §. XX *Caeteri quoque Apostoli.* §. XXI. *Ex Mosis & Prophetarum fide dignissimis scriptis justitia fidei a Paulo demonstrata.* §. XXII. *Voculae* ἐκ *frequens usus in designandis fidei mysteriis.* §. XXIII *Quid tum indicet.* §. XXIV. *Quomodo distinguenda fides Evangelii praeconum a fide ipsos audientium.* §. XXV *Est tamen etiam utrorumque fides dicique potest reciprocans una fides.* §. XXVI *Ex fide notat quoque ex doctrina fidei, & quidem heic loci sine tautologia.* §. XXVII. *Denique fides, quae viva feraxque bonorum est operum, ad fidem faciendam requiritur.*

§. I.

Cuius me sententiæ primum esse inventorem perdiu arbitratus sum, illam nunc denique, cum in eadem validis præsidiis munienda versor, AUGUSTINO jam in mentem venisse comperio. Sic enim libello *de Scriptura & litera* (1) Hipponensis Præsul: *Hæc est fides, ex qua & in qua* (justitia) *revelatur, ex fide scilicet annuntiantium in fidem obedientium.* Sed vero præcisam, ido-

 ne-

(1) cap. XI. fin. pag. 308. tom. III. Opp. edit. Paris. 1586.

neisque omnibus nudatam argumentis eam, ut vides, exhibuit. Quam potissimum fuisse causam, existimem, quod sequioris ævi interpretibus minus se commendaret, vixque duo, quod sciam, CALOVIUS nimirum (2) & CORNELIUS a LAPIDE (3) judicarent dignam, cuius juxta cum aliis mentionem iniicerent. Quocirca, mihi cum maiorem in modum probetur, operæ pretium facturus videor, si, quod possum, rationibus illam haud temere aspernandis, quin tantum non omni exceptione maioribus, eam demonstratum.

§. 2.

Primum habet præ universis reliquis expositio nostra hoc singulare atque eximium, quod ordinem vocum non turbet, sed eas ipsas, de quibus quærimus, voces suo loco relinquat. Verba Divini scriptoris hæc sunt: Δικαιοσύνη γὰρ Θεȣ̃ ἐν ἀυτῷ ἀποκαλύπτεται ἐκ πίστεως εἰς πίστιν. Refero ego τὰ ἐκ πίστεως εἰς πίστιν ad proxime antecedens τὸ ἀποκαλύπτεται, huncque statuo esse sensum: *Justitia Dei in Evangelio manifestatur ex fide manifestantis in fidem eorum, quibus manifestatur.* Contra ea quicunque diversa enuntiatum hoc ratione accipiunt, copulata divellere ac invehere traiectionem coguntur.

(2) Bibl. Illustr. ad h. l. p, 28. col. b. med.
(3) ad h. l. p. 35. col. b. med. ed. Antverp. 1635.

tur. Neque enim τὰ ἐκ πίστεως εἰς πίστιν retrahere commode ad τὸ ἀποκαλύπτεται, cui tamen proxime adhærent, poſſunt, ſed neceſſe habent eadem ad remotiora, eaque prima effati vocabula, δικαιοσύνη Θεοῦ, reducere. Quid? quod, cum hoc pacto obſcuritas quædam emergat, tollere eam, qui evidentiæ iuſtum ponunt pretium, addendo voces, in fonte non occurrentes, allaborant. Ita magni LUTHERI verſio, quæ cum aliis virtutibus, tum inprimis perſpicuitate excellit, in perſpicuitatis gratiam adiungit; *welche kömmt*. Ad hunc enim modum ſe habet: *Sintemal darinnen offenbaret wird die Gerechtigkeit, die vor Gott gilt, welche kömmt aus Glauben in Glauben.* Conſimiliter, ne plures in partes vocem, COCCEIUS: *In verbis*, ait, (4) *Apoſtoli hæc iungimus*, δικαιοσύνη ἐκ πίστεως εἰς πίστιν, *juſtitia ex fide in fidem. Hebraiſmus eſt Apoſtolo frequens, omittere articulum reſpondentem relativo. Planum eſſet*, δικαιοσύνη ἡ ἐκ πίστεως εἰς πίστιν. Verum, quod pace manium utriusque Summi viri dixerim, quid opus eiusmodi eſt ambagibus? Nihil attinet orationis luxare ſeriem, novasque infarcire voculas. Premamus literam, ordinem tueamur, quæque adſunt, ea ſola reddamus ſimpliciter; & veram loci ex-

(4) Comment. in Ep. ad Rom. p. 14. Op. T. IV.

exſculpemus ſententiam. Hoc iam commate ſi juſtitiam Dei ἀμέσως ex fide in fidem derivaret Apoſtolus, dubio procul ſcripturus fuerat: Ἀποκαλύπτεται γὰρ ἐν αὐτῷ δικαιοσύνη Θεοῦ ἐκ πίστεως εἰς πίστιν. Sic enim per græci ſermonis omnino licet indolem atque uſum: ſic ipſe ſtatim vers. ſeq. 18. ſcripſit Paulus: Ἀποκαλύπτεται γὰρ ὀργὴ Θεοῦ ἀπ᾽ οὐρανοῦ, κ.τ.ε. At vero commate noſtro alium plane verborum texuit ordinem, & τὰ ἐκ πίστεως εἰς πίστιν poſtpoſito τῷ ἀποκαλύπτεται demum ſubnexuit, ut oſtenderet, in ſenſu quoque cum hoc illa cohærere. An fors putas, ad vitandam, neſcio quam, ordinis vocum ταυτότητα alterius verſus medio, principio alterius τὸ ἀποκαλύπτεται Apoſtolum collocaſſe? Apage ineptias! Tantum abeſt, ut lenociniis huiusmodi verſicoloribus atque puerili fuco ſanctiſſimi graviſſimique ſcriptores delectati ſint, ut nec tautologiam eiusdem τοῦ ἀποκαλύπτεται bis poſiti Apoſtolus cavendam ſibi exiſtimarit, cum ex facili ipſi fuerit, pro poſteriori γνωρίζεται, δηλοῦται, φανεροῦται, aut geminum aliud ſubſtituere. Vitio vertunt IO. CRELLIO, Sociniano (5) COCCEIUS & CALOVIUS; atque SURENHUSIUS (6) FR. IUNIO, quod priorem phraſis noſtræ partem loco moverint, legendo: Δικαιοσύνη γὰρ

(5) In h. l. p. 75. col. b. Eleutheropoli fol. 1656.
(6) Βίβλω καταλλαγῆς in h. l.

γὰρ Θεοῦ ἐκ πίστεως ἐν αὐτῷ ἀποκαλύπτεται εἰς πίστιν. Quo igitur jure totam communis interpretatio migrat locutionem, & cum τῇ τοῦ Θεοῦ δικαιοσύνῃ proxime coniungit? Commodissimum atque fidei analogiæ congruentissimum fundi sensum, si suam teneat retineatque sedem, id vero est, quod integra hac disquisitione in me demonstrandum suscepi. Sed nec constructionem τοῦ ἀποκαλύπτεσθαι cum τοῖς ἐκ & εἰς minus græcam esse, vel ex Novo Testamento evincere est. Cum ἐκ offenditur Luc. II, 35. Ὅπως ἂν ἀποκαλυφθῶσιν ἐκ πολλῶν καρδιῶν διαλογισμοί. *Ut manifestentur ex multorum cordibus cogitationes:* & cum εἰς Rom. VIII, 18. Πρὸς τὴν μέλλουσαν δόξαν ἀποκαλυφθῆναι εἰς ἡμᾶς. *Ad gloriam, quæ revelabitur in nos,* vel *ut nos eam participemus.*

§. 3.

Præcedentium si, ut par est, habendam rationem ducimus, diserte distincteque vers. 12. Paulus & *suæ*, &, quos ocyus fore auditores suos speraverat, *Romanorum* meminit *fidei*, inquiens: Τοῦτο δέ ἐστι, συμπαρακληθῆναι ἐν ὑμῖν διὰ τῆς ἐν ἀλλήλοις πίστεως, ὑμῶν τε καὶ ἐμοῦ. *Hoc vero est, ut communem consolationem apud vos accipiam per eam, quæ mutua in nobis vel reciproca est, fidem, & vestram, & meam.* Quam ergo credere in proclivi est, cum & nostro commate, idem

adhuc argumentum persequens, Apostolus de duplici fide loquatur, altera suam, auditorum suorum altera ipsum intellexisse fidem? Et quam concise ac nervose ἡ ἐν ἀλλήλοις πίστις, *reciprocatio illa fidei* vocibus ἐκ πίστεως εἰς πίστιν effertur? Sed de eo pluribus suo deinceps loco.

§. 4.

Accedamus nunc propius. Versu proxime antecedenti 16. Paulus: *Non enim*, ait, *pudet me Evangelii Christi.* Cuius geminam e vestigio subiicit rationem, quarum altera est, *quod Evangelium hoc sit potentia Dei ad salutem*, &c. altera, *quod in eodem justitia Dei reveletur ex fide in fidem.* Hæc enim, quæ excutimus nos, posteriora proxime quidem probant proxime antegrediens enunciatum; verum remote faciunt ad confirmandum anteriora illa, *quod Paulus sibi pudori non ducat prædicationem Evangelii.* Qualis demonstrandi modus perquam familiaris divinitus inspiratis est scriptoribus. Psal. XXII, 12. petit Messias: *Ne procul absis a me: nam angustia est propinqua: nam nemo adjutor.* Petitionis ratio est *propinqua angustia*, & huius rationis ratio, *quod nemo in ea auxilio futurus sit.* Verum annon posterior hæc simul ut ratio ipsius petitionis spectari debet? 2 Cor. XII, 14. *negat* Apostolus, *desidem se in laboribus cum Co-*

rin-

rinthiorum fore damno, geminamque denuo causam adiungit. *Non* ENIM, inquit, *quæro vestra, sed vos: non* ENIM *debent liberi parentibus thesauros congerere, sed liberis parentes.* Pater Corinthiorum fuit Paulus, utpote quos in Christo per Evangelium genuerat. (7) Nisi igitur victum sibi ipse manuum suarum labore parasset, sustentandi patris huius onus devolutum in filios Corinthios fuisset; id quod cum, salvis vegetisque patribus, adversari sanæ rationi & juri naturæ videatur, atque ab institutis moribusque cultiorum quorumvis populorum abhorreat, quibus omnibus non liberi parentibus, sed contra liberis parentes congerere thesauros, quibus eos alant, & post fata etiamnum sua adjutent, jubentur, tam humilis & sordidus gentium doctor, illud generoso incoctum honesto pectus, non fuit, ut in se admittendum existimaret. Quapropter etsi largimur vocibus: *Non enim debent parentibus liberi thesauros colligere, sed liberis parentes;* rationem ultimi effati, *quod Apostolus non Corinthiorum opes, sed ipsos quærat Corinthios*, dari; sic tamen natura comparatæ sunt, ut, æque valide iis penultimum, *quod nulla Apostoli segnities in quærendo sibi victu futura incommodo Corinthiis*

Z 5

(7) I Cor. IV, 15.

thiis sit, firmari, nemo cum ratione inficias ire queat. (8)

§. 5.

Quoniam itaque causam, cur Paulum Evangelii Christi non puduerit, comma nostrum continet, quæro, quarum annunciatio rerum hominem, qui quidem honestus modestusque sit, pudore non afficiat? Procul dubio respondebis: *Earum, de quarum veritate certo ipsi constat.* Mirificam parrhesiam *sua* nuncianti *fides* conciliat. En luculentissima, quibus ipse hic Apostolus noster id confirmat, verba! *Quia*, inquit (9) *eundem fidei Spiritum habemus secundum illud, quod scriptum est: Credidi, ideoque loquutus sum; etiam nos credimus, atque idcirco etiam loquimur.* In ruborem daturus Apostolum nostrum Festus *magna voce dicebat: Insanis, Paule; multæ te literæ ad insaniam propellunt. At ille: Non insanio, ait, sed* VERA *& sobria verba eloquor. Scit enim de hisce rex, apud quem* καὶ παῤῥησιαζόμενος λαλῶ, *& libere loquar. Latere enim eum quicquam horum, mihi non persuadeo. Neque enim in angulo*

(8) Adde, sis, Psal. XVIII, 21 - 23. & 27, 30. Psal. LXXXVI, 4. 5. Ioh. V, 20-22. 1 Thess. IV. 1-3. 1 Pet. II, 18-21. Apoc. XV. 4. &c.
(9) 2 Cor. IV. 13.

angulo hoc gestum est. Credis, rex Agrippa, prophetis? Scio, quod credas &c. (10) Quanto maioris momenti res, quae manifestantur, non modo sunt, sed & esse eas manifestantes credunt, quantoque maior haec eorum est fides, tanto minus inter manifestandum pudore suffunduntur. Iam vero *quod audiverant, quod viderant oculis suis, quod spectaverant, quodque manus ipsorum contrectarant de sermone vitae, hoc annunciabant* (11) Apostoli.

§. 6.

Porro fides summi, quod propositum sibi noster inprimis Apostolus videbat, proemii omnem fronti eius absterfit pudorem, & sancta quadam, si dicere fas est, impudentia hominem complevit totum, ut non verecundaretur vel potentissimis sapientissimisque huius mundi Evangelium praedicare. (12) Licet saepius ludibrio haberetur, proscinderetur conviciis, in vincula coniiceretur, infringerentur viro alapae, plagae infligerentur, & praesentem, eamque contumeliosissimam mortem omnia intentarent; tamen hic, qui spectaculum toti mundo, & angelis & hominibus, qui velut purgamentum mundi, & omnium detergenda ocyus spur-

(10) Act. XXVI, 24-27. (11) 1 Ioh. I, 1. 3.
(12) Act. IX, 15. XVIII, 9. 10. & XXIII, 11.

spurcities fiebat, (13) nou pudefiebat. Ecqua, dic, amabo, causa talis, humanam omnem fidem supergredientis, instituti? Divina sola fides, & debita huic, pudefacere nescia (14) spes. Fide promissiones a Paulo receptæ, præcepta viva spe promissa erant bona, quæ inter supremum tenet locum τὸ καθ' ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολὴν αἰώνιον βάρος δόξης, *æternum illud gloriæ pondus, quod omnem orationis sublimitatem, si hæc vel se ipsa sublimior posset scandere, transcendit.* Eadem igitur fides, spes eadem Apostolo persuaserat, indignam esse momentaneam levitatem opprobriorum & afflictionum præsentis ævi, quæ cum futuro illo immenso gloriæ pondere comparetur, at tanto minus tamen spectantibus, ea, quæ non spectantur, *erubescendam*, quod levitas hæc summa summam illam gravitatem ipsis conficeret. (15) Ex eiuscemodi fide nisi Christum manifestavit Paulus, & nihilo secus fœdissima omnia sibi ingesta probra, posito pudore & fronte perfricta sustinuit, depuduerit, necesse est, penitus, atque insanissimus omnium fuerit hominum. An vero fuerit, nec ne, vel jurati christianæ religionis hostes, qui non o-

(13) 1 Cor. IV, 9. 13.
(14) Rom. V, 5.
(15) 2 Cor. IV, 17. Rom. VIII, 18.

omnem eiurarunt & rationem & æquitatem, perlectis viri ſcriptis, dijudicent. Sed ipſe nobis dicat intercedentem pudori fidem ſuam atque ſpem. Coniectus in carcerem ſcribit Philipp. I, 20. *Secundum intentam expectationem & ſpem meam nulla in re pudefiam*, *ſed cum omni libertate, ut ſemper, ita nunc quoque magnificabitur Chriſtus in corpore meo, ſive per vitam, ſive per mortem.* Et 2 Timoth. I, 7. 8. 12. *Non dedit nobis Deus ſpiritum timiditatis, ſed roboris, & amoris, & ſobrietatis. Non igitur te* pudeat *teſtimonii Domini noſtri, neque mei, qui ſum illius captivus ; ſed eſto particeps afflictionum Evangelii ex potentia Dei. Quam ob cauſam & hæc patior, ſed non* pudefio. *Novi enim, cui crediderim, & perſuaſum mihi eſt, eum poſſe depoſitum meum cuſtodire in illum diem.*

§. 7.

Miracula denique & maxima & plurima annunciantes Evangelium Apoſtolos perpetim comitabantur. (16) Hæc vero, tantum aberat, ut pudore, ut honore eos ſummo, quin Divino afficerent, quanquam poſteriorem vehementiſſime, ut par erat, abominarentur. (17) Sed vero, ut miracula

(16) Marc. XVI, 17-20. Hebr. II, 4. &c.
(17) Act. V, 11-16. VIII, 13. 18. XIII, 9-12. XIV, 11-18. XVI, 29-34. XIX, 11-17. 1 Cor. XIV, 24. 25. & 2 Cor. XII. 11. 12.

la perpetrarent, quid unice in iis desiderabatur! Fides. Quærentibus discipulis: *Quare nos dæmonem illum non potuimus eiicere?* respondet Iesus: *Propter incredulitatem vestram. Certe enim dico vobis, si habeatis fidem, quantulum est granum sinapis, dicetis monti huic: Transi hinc illuc; & transibit, nihilque vobis erit impossibile.*(18) Atque iterum: *Habete fidem Dei. Certe enim dico vobis, quicunque dixerit monti huic: Tollitor & proiicitor in mare; nec hæsitaverit in corde suo, sed crediderit, quod futura sint, quæ dicit, fiet ei, quicquid dixerit. Propterea dico vobis: Quæcunque orantes petitis, credite, vos accepturos; & evenient vobis.* (19) Hinc notabiliter idem Sospitator: Τοῖς πιστεύσασι, *iis, qui crediderint*, non aliis inquit, *signa hæc comites ibunt; per nomen meum dæmonia eiicient,&c.*(20) Similiter Petrus & Iohannes, qui claudum a nativitate sanaverant: *Per fidem*, aiunt, *in nomen Christi hunc, quem videtis & nostis idem Christi nomen stabilivit; & fides per ipsum integram huic sanitatem, ut videtis omnes, dedit.*(21) Ad quem locum probe monet cel. HEUMANNUS

(18) Matth. XVII, 19. 20.
(19) Marc. XI, 22-24.
(20) Marc. XVI, 17. 18.
(21) Act. III, 16.

MANNUS, (22) ex claudi hominis conditione, & verbis cum Lucæ, (23) tum Petri (24) liquere, non ipsius, sed duorum, a quibus sanatus erat, Apostolorum fidei miraculum acceptum referri. Convenit saltem inter omnes, ea Apostolos miracula, quæ in perniciem aliorum patrarunt, non ex horum, a quibus pœnas repetierunt, fide, sed ex sua tantummodo patrasse. Exemplo sint Ananias & Sapphira, (25) itemque Elymas. (26) Quid? quod summa fidei eorum, qui edituri miracula erant, necessitas, & enatus hinc frequentissimus usus effecerint, ut, licet aliæ dentur fidei species, inque iis principatum ducat, quam æterna consequitur salus, tamen ea insignite ac simpliciter fides nuncupetur. Docent Apostoli voces: *Si habeam omnem fidem, adeo ut montes transferam.* (27) Cum igitur miraculis divinitatem Evangelii præcones eius primi confirmarint; miracula vero hi fecerint non ex *aliena*, sed *sua* fide; porro eadem miracula non pudori ipsis ac ignominiæ, verum summo fuerint honori; hincque Apostolus, qui Evangelium afferre sibi pudorem negat, negare etiam illud propter mi-

(22) Part. V. Explicat. Nov. Test. p. 149. coll. ibid. pp. 138. & 139.
(23) Vers, 5. (24) Vers. 6. (25) Act. V, 1. seq.
(26) Act. XIII, 8. seqq (27) 1 Cor. XIII, 2.

miracula confendus sit; atque nunc tandem subiiciat, *ex fide* idem Evangelium a se & collegis manifestari: recte ex iis omnibus concludere nobis videmur, ipsum de *sua* potius & *collegarum*, quam de auditorum, aut aliorum quorum demumcunque fide loqui. Cum vero *finis* perpetrandorum miraculorum non potuerit non *fides* esse *auditorum*, τοῖς ἐκ πίστεως subiunguntur τὰ εἰς πίστιν. Neque enim est, qui dubitet, quin addita Evangelio miracula fuerint, quo fidem illi audientes facilius adhiberent. Paraphrasin vocum *ex fide in fidem* habes, Joh. XIX, 25. *Qui vidit, testatus est; & verum est eius testimonium. Et ille scit, quod vera loquatur, ut etiam vos credatis.* Ad τὰ ex *fide* refer: *Qui vidit, testatus est, & ille scit, quod vera loquatur*: ad τὰ *in fidem* vero reliqua; *Verum est eius testimonium, ut etiam vos credatis.*

§. 8.

Exesse pudorem iubet illa quoque fides, qua quis certus est, creditum sibi iri, si minus ab universis auditoribus, at certe a magna illorum parte. Persuasissimum habebant Apostoli, nequaquam se frustra Judæos inter atque gentiles Evangelium annunciaturos, sed nullo non loco, nullo non tempore aliquos, imo multos pertracturos

in

in assensum esse. (27) Enimvero vorticordia quadam vi pollet Evangelium; unde vocibus: *Non pudet me Evangelii Christi*; continuo subditur: *Nam potentia Dei est ad salutem.* Verum nec cæterorum pervicacia atque impudentia pudorem Apostolis incutiebat, eorumve labefactabat fidem. Nam hos plerumque ita confundebant, ut sapientiæ & Spiritui, per quem loquebantur, resistere nequirent, & fissi corda vim facere conscientiis suis, ac dentibus stridentes, obturantesque aures, & multa id genus alia indecora atque ridicula suscipientes, dare se turpiter cogerentur. (28) Eosdem igitur, necessum erat, ut puderet, non manifestantes Evangelium Apostolos, qui declaratione veritatis apud omnem se hominum conscientiam in conspectu Dei commendabant; (29) gladio Spiritus nec aëra, tironum instar atque ignavorum, diverberando, (30) nec triumphos habitura nullos gerendo bella. *Deo sit gratia*, inquit Paulus, (31) *qui semper triumphare nos facit in Christo, & odorem notitiæ suæ manifestum reddit*

(27) Act. XI, 21. 25. XIV, 1. XVII, 4. & XVIII, 10. 1 Cor. XVI, 9. 2 Cor. II, 12. &c.
(28) Act. VI, 10. VII, 54. 57. & XXIII, 2.
(29) 2 Cor. IV, 2. (30) 1 Cor. IX, 26.
(31) 2 Cor. II. 14-16.

reddit per nos in omni loco. Nam Christi bona fragrantia sumus Deo in iis, qui servantur, & in iis, qui pereunt. His quidem odor mortis ad mortem: illis vero odor vitæ ad vitam.

§. 9.

Novum sententiæ nostræ præsidium suggerunt extrema commatis sexti decimi verba: *Iudæo primum, tum etiam Græco.* Quoniam prius Iudæis, quam gentilibus annunciatum Evangelium fuit, & illi prius, quam hi divinam eius ad salutem potentiam dicuntur experti esse. Sed qualis tum annunciatio intelligenda venit? Non ea sane, quæ *literis*, sed quæ *viva voce* peragitur. Nam per literas ante gentilibus, quam Iudæis Evangelium revelatum est. Primæ omnium Novi Test. partium scriptæ sunt a gentilium Apostolo ad gentiles Thessalonicenses anno Christi secundum PETAVIANOS (32) calculos L. ut vero PEARSONIUS, (33) JO. MILLIUS, (34) & JO. ALB. FABRICIUS (35) putant LII. quas, si audis posteriores hos, LVII. ambæ ad Corin-

(32) lib. XIII. de Doct. Temp, Tom. II. p. 377. init. edit. Antwerp, MDCCIII.
(33) Annal. Paulin.
(34) Prolegom. Nov. Test. §§. 4. & 6.
(35) Biblioth, Græc, lib. IV. cap. V. pp. 123. & 124.

rinthios, & LVIII. nostra ad Romanos, utrosque pariter gentiles, exceperunt. Sed vero Iacobi epistola & Petri prior, itemque Matthaei Evangelium, quae potissimum in Iudaeorum gratiam consignata literis sunt, annis demum a Servatoris nativitate LX. & LXI. ex laudatorum virorum sententia prodierunt. Quocirca de manifestato per *scripturas* Evangelio nulla ratione integrum Apostolo fuit affirmare, quod divinam suam & aeternae salutis effectricem vim ante in Iudaeos, quam in Graecos, sive paganos exeruerit. Contra ea autem, si Evangelium, quatenus *ore prolatum*, & annunciatum coram a praesentibus est Apostolis, spectes, multo prius Iudaei, quam ethnici illud audiverunt, & divinae eius virtutis, atque effectuum salutarium facti compotes sunt. Praecursor iam Christi, baptista Iohannes, Christusque ipse Evangelium Iudaeis praedicarunt, cumque Hic duodecim Apostolos primum ablegaret, praecepit iis: *In viam gentium ne abeatis, nec in oppidum aliquod Samaritanorum ingrediamini: sed proficiscimini potius ad oves perditas domus Israel.* (36) Initiato deinde per Spiritus Sancti effusionem Novo Test. rursus Iudaeorum ante, quam gentium aures Evangelium salutis implevit; unde ad eos Paulus & Bar-

(36) Matth. X, 5. 6.

nabas: *Vobis*, inquiunt, *necesse erat* πρῶτον, *primum dici sermonem Dei. Quoniam autem repellitis illum, & indignos vosmet ipsos iudicatis æterna vita, ecce! convertimus nos ad gentes.* (37)

§. 10.

Neque vero τὸ εὐαγγελίσασθαι, quod versu XV. h. cap. legitur, alium læta annunciandi modum, quam qui *ore fit*, & a *præsenti nuncio ad aures* perfertur, designat. *Calamo* enim Apostolus ipso iam opere Evangelium notifieabat. Verum de hoc εὐαγγελίσασθαι dicit, quod *promptus quidem ad illud sit*, utque commatibus X-XIII. præcedit, *semper in precibus suis roget, ut tandem aliquando sibi detur ad Romanos venire, imo ex vehementi eos videndi desiderio frequenter sibi proposuerit ad ipsos accedere, sed in hunc usque diem prohibitus sit.* Quæ cuncta, quis non videt, ad illud τὸ εὐαγγελίσασθαι unice pertinere, quod *ore* constat, & a præsenti ad præsentes instituitur?

§. 11.

Quorsum vero tam diligenter ego & prolixe hoc inculco? Ut pateat non solum, qua de causa & quam vere sexto decimo commate subiunxerit gentium doctor: *Non enim pudet me evangelii Christi;* sed &, quod vix

(37) Act, XII, 46.

vix idonea ſuppetente cauſa & veritate ſalva ſubiungere idem potuerit, niſi ſtatuatur, id quod nos volumus, nimirum per *fidem, ex qua* in Evangelio juſtitia Dei manifeſtatur, primorum Evangelii præconum, & cummaxime Apoſtoli noſtri Pauli, non vero eorum, qui verbis ipſorum credebant, fidem innui. *Literæ non erubeſcunt;* tam verum, quam ſermone tritum proverbium eſt; & peregre cumprimis allatæ epiſtolæ nullo inficere ora rubore poſſunt, quod procul a legentium abſunt conſpectu, qui eas dederunt. At vero, qui coram facit verba, propterque illa opprobriis mordetur, deiicit, niſi effrons eſt, lumina, & colores mutat. Arcere vix, qui verecundior eſt, pudorem poteſt, ſi vel falſa illa ſint opprobria; & oppido pauci dantur, qui animo tam obfirmato ſint, ut contemptim cum FLACCO (38) quærant:

Mordear opprobriis falſis, mutemque colores?
Falſus honor iuvat, & mendax infamia terret
Quem, niſi mendoſum & mendacem?

At ſolos tamen divinos legatos ſola ſua, pudorem repudians omnem, exemit fides.

(38) lib. 1. epiſt. XVI. vv. 38-40.

Enimvero cum indubitate ſibi conſtiterit, nomine ſe Dei verba Dei loqui, an tanti ipſos honoris puduiſſet? Relegantur omnia modo adducta graviſſimi ponderis argumenta, quibus, tantum abeſt, ut pudendo oppleverit pudore, ut confidentiſſimos fides ſua hos Dei nuncios reddiderit.

§. 12.

Adductum, nonnulli ſuſpicantur, in ſuſpicionem Apoſtolum noſtrum, quod cunctaretur Romam, domicilium illud non maximi ſolum imperii, ſed & omnis ea tempeſtate ſapientiæ atque eruditionis, venire, quoniam metueret, ne prodire in conſpectum tot ſummæ auctoritatis ingeniique ſubtiliſſimi, ac omni doctrinarum genere florentiſſimorum in hac urbe virorum cogeretur, cumque iis commiſſus impar, ſuccumbensque triſtia magno cum pudore damna reportaret: atque, hanc ut ſuſpicionem ab ſe removeret, ea potiſſimum, quæ vv. X-XVII. primi ad Romanos capitis leguntur, ſcripſiſſe. Verum, ſi in eam Apoſtolus incidit, nulla ſua incidit culpa. Qui omnium doctrinarum inventrices, Athenas non reformidavit adire, congredique cum illarum Philoſophis, Epicureis & Stoicis, (39) an μορμολύκειον ſuum duxit Romam? Dicit ipſe

(39) Act. XVII.

Ipse: (40) *Oportet me etiam Romam videre.* Adstans ipsi per quietem Dominus dicit: (41) *Confide, Paule. Sicut enim testificatus es de me Hierosolymis, ita te oportet etiam Romae testificari.* Quid ergo morae & tergiversationis in viro sic animato, sic Divinitus corroborato habere locum potuit? Eventus ipse sinistram hanc coniectationem abunde refutavit. Nam, ubi Romam pervenit, non timide & pudentius, sed μετὰ πάσης παῤῥησίας, *cum omni dicendi libertate* ea, quae Dominum Iesum Christum concernebant, docuit. (42) Damus, praevidisse Apostolum, Romae ludibrio se habitum iri; at vicissim nobis detur, praescisse quoque eum, quod sicut Athenis Dionysium Areopagitam, Damarin, aliosque, (43) ita nec paucos Romae ad fidem in Christum perducturus esset. Erant iam Romae ante adventum ipsius multi Christiani, quorum fidem scribit comm. VIII. huius cap. praedicari in toto mundo, quosque videndi quamprimum quanto flagret desiderio, significantissimis statim vocibus declarat. Properavit Hierosolymam, etsi compertissimum habuerit, *vincula* se & *afflictiones* ibi manere. (44) Quam ergo effoeta o-

 mnis

(40) Actor. XIX, 21. (41) Act. XXIII, 11.
(42) Act. XXVIII, 31. (43) Act. XVII. 34.
(44) Act. XX, 23. & XXI, 11-14.

mnis veri suspicio erat, *pudoris metum* Romano eius itineri reemoram injicere?

§. 13.

Vulgo interpretes opinantur, hoc iam commate Apostolum iustitiam fidei *exponere*. Verum secus se res habet. In *prooemio* adhucdum scriptor divinus hæret, quo, ut omnia & antecedentia & sequentia invicte probant, non de ipsa hac iustitia, sed eius tantummodo per Evangelium *patefactione* agit. Quod præcedentia attinet, illud paulo ante (45) de ea revelatione, qua viva vox defungitur, ex vv. X-XIII. & XV. huius cap. percepimus. Sequitur statim com. XVIII. *Manifestatur ira Dei e cælo*; & vers. XIX. *Id quod cognosci de Deo potest, manifestum est in ipsis: Deus enim illis manifestum fecit.* Quid utrumque hoc? Necessitatem ostendit *manifestandæ* per Evangelium Dei iustitiæ; quoniam ea, quæ naturæ lumine facta divinitus erat, fiebatque in dies amplius, *revelatio* hominum iniustitia, idololatria, & nefanda turpitudine obscurabatur penitus, adque Dei redintegrandam communionem inhabilis, ut quæ maxime, reddebatur. Incisis XXI. & XXII. legimus: *Quum Deum cognoverint, non, ut Deum, glorificarunt, sed vani facti sunt in ratio-*

(45) §. 10.

ratiocinationibus suis, & obtenebratum est desipiens eorum cor : dictitantes se sapientes stulti facti sunt. Quæ potissimum ad ethnicorum Philosophos & Theologos spectant, quorum erat alios Dei, eiusque iustitiæ notitia imbuere, sed qui ipsi ea se privarant. Clauditur ita primum caput : *Quum ius Dei noverint, nempe eos, qui talia patrant, morte dignos esse, non solum ea patrant, sed & patrantibus aliis applaudunt.* Noverunt ius Dei ex divinitus accenso naturæ lumine ; cuius præcipuam partem facit lex moralis, gentilium inscripta cordibus atque conscientiis, de qua cap. II. vv. XIV. & XV. Apostolus loquitur. Progressus deinde eiusdem II. cap. vv. XVII. & seqq. ab ethnicis ad Iudæos, neque his aliam personam, quam iustitiæ sive legis divinæ *præconum* imponit ; atque eadem simul opera demonstrat, quam indigne & damnose partes suas peragant, ut evangelica iustitiæ Dei *annunciatione* gens humana summe opus habeat. *Ecce,* ait, *tu Judæus cognominaris, - & nosti voluntatem* Dei, *&, quæ præstant, iis calculum tuum adiicis, institutus ex lege ; confidisque, te ducem esse cæcorum, & lumen in tenebris versantium, eruditorem insipientium, magistrum infantium, utpote qui habeas informationem cognitionis ac veri legis sensus. Qui ergo doces alium, te ipsum non*

 doces,

doces. - - *Qui de lege gloriaris, ipse per transgressionem legis Deum contumelia afficis. Nomen enim Dei propter vos blasphematur inter gentes.* At vero capite demum III. illiusque propius commate XXII. de ipsa Dei iustitia, eiusque natura, obtinendæ unica ratione ac via, quæ fides est, obtentæ saluriferis effectibus, manantibus hinc officiis, & quæ id genus cætera sunt, agere incipit. Vellem, qui epistolam ad Romanos in partes, sive principia sua retexuerunt, ad hanc distinctionem attendissent, nec dubito, quin aliquanto accuratior emersura illorum fuisset analysis.

§. 14.

Cum igitur nostro loco non ipsa Dei excutiatur iustitia, sed de *præconio* eius sermo instituatur; in Præconibus vero nihil æque desideretur, ac *fides*, annon *geminæ* illius, cuius fit mentio, *fidei* alterutram saltem ad *præcones* pertinere, existimandum est? Quis, nisi amens sit aut præstigiator, novas res, dogmata nova atque inaudita annunciare, & venditare pro veris sustinet, quæ ipse non credit, quæque, ut auditores credant, se credere, non omni laterum contentione allaborat? Quanto magis a communi hominum scientia ac fide, ab eorum sive iudiciis sive præiudiciis remotæ eiusmodi

modi res ſunt, tanto magis neceſſe eſt, ut certi reddantur, evidentiſſime de earum veritate auctoribus conſtare. An vero iuſtitia Dei, princeps evangelicæ prædicationis argumentum, ita non fuerit comparata, cuivis, cui ſanum ſinciput eſt, integrum eſto arbitrari. A fide dicentis, ut in plerisque aliis, ita potiſſimum in illis, tantum non incredibilibus, audientium pendet fides. Si vel minimum his ſuboleat, quod bona ſecum fide non agatur, laborat confeſtim labaſcitque omnis illorum fides. Experimur id hodieque de concionatoribus illis, quorum vox Jacobi eſt, manus autem ſunt Eſavi. Suadent quidem hi, quæ veriſſima ſunt atque utiliſſima, ſed parum perſuadent. Enimvero dicunt, ſed non faciunt, hoc eſt, quæ ipſi non credunt, ea credere alios iubent. Nam ſi crederent, & facerent omni procul dubio. Neque enim levia aut ludicra facientes proemia, ſed æternam conſequentur ſalutem. Hoc quam verum eſt, tam crebro ab ipſis & fortiter inculcatur. Quare, quoties inculcatur, toties ſonoram audire mihi campanam videor, quæ alios ad ineundum templum invitet, neque ipſa ingrediatur; auditorem vero, qui quidem acutus magis ſit, quam probus, Horatii illud (46) occinentem:

Quodcunque oſtendis mihi ſic, incredulus odi.

(46) Art. Poët. vers. 188.

§. 15.

Frequ ..ſſimus τῦ ἀποκαλύψαι eſt uſus in deſignandis *myſteriis* & *divinationibus*, quæ non rationis ſunt, ſed revelationis. Proferenti Petro magnum illud pietatis myſterium, quod homo Jeſus eſſet *Chriſtus, Filius ille Dei viventis*, regerit Hic: *Caro & ſanguis tibi non ἀπεκάλυψε, revelavit, ſed Pater meus, qui eſt in cœlis.* (47) Et quis Johannem ignorat vaticiniorum ſuorum librum inſc.ipſiſſe Ἀποκάλυψιν; Cui non officit, quod inciſo huius cap. ſtatim ſequenti XVIII. τὸ ἀποκαλύψαι de patefactione divina, quæ per naturam, experientiam atque rationis lumen fit, uſurpatur. Neque enim nos diximus, ſolum atque unice de myſteriis & prædictionibus vocem hanc adhiberi. Secundum ſubiectam intelligenda verba materiem ſunt, nec ullam conſeris pugnam, ſi altero commate, quod myſticas veritates indigitat, de ſupernaturali; altero, quod cunctorum hominum expoſita oculis divina opera perſequi incipit, de naturali revelatione illud vocabuli accipias. Eſt omnino Dei, quæ Evangelio manifeſtatur, iuſtitia grande myſterium, omnem rationis ſibi relictæ captum immenſis paraſangis ſupergrediens, cuius profundum attingere nulla finiti

niti

(47) Matth. XVI. 16. 17.

niti ingenii acies, emetiri altitudinem sublimis nulla meditatio potest. Quod enim naturæ aperit lumen, quo pacto, salva iustitia sua, iustissimum Numen peccatores iniustissimos pronunciare iustos queat, nec debita tantum æterna iis remittere supplicia, sed & ex adverso æternæ vitæ ius addicere? Vicariam unius Filii Dei iustitiam tollendis maximis his parem fuisse impedimentis, utpote divinam & infiniti pretii: atque Dei Patris iustitiæ ad assem fecisse satis, quæ iterum ratio docet? Ne quidem, quod habeat Deus Filium, per naturam novimus; æque non, quod voluerit ille satisfacere, aut satisfactionem eius admittere Pater; multo minus, quod satisfacturus Divinæ suæ humanam coniungere naturam in unam personam debuerit, inque hac reapse satisfecerit. Vide, quot quantaque mysteria ante oporteat cognita esse, quam de iustitiæ Dei mysterio vel conceptum tibi formes. Si igitur, qualis causa, talis effectus, non potest non, quæ ex multis magnisque mysteriis enata iustitia est, ipsa ingens esse mysterium. Sique divina in consilium adhibemus oracula, nec hæc alio eam numero locoque habent. Longum foret omnia exscribere enunciata, quibus mysterii appellatione insignitur. Ut ergo duos una fidelia parietes dealbemus, alterum prius

mysteâ

poribus multa secula complexis, taciti, manifestati vero nunc, & per scripturas propheticas ex præcepto æterni Dei ad obedientiam fidei omnibus gentibus notificati. (51) *Loquimur sapientiam Dei in mysterio, occultatam illam, - - quam nemo primorum seculi huius cognovit; - - sed, sicut scriptum est: Quæ oculus non vidit, nec auris audivit, quæque in cor hominis non adscenderunt - - nobis autem Deus revelavit per Spiritum suum &c.* (52) *Per revelationem notum fecit mihi Deus mysterium illud. - Potestis intelligere, quæ mea sit intelligentia in mysterio Christi, quod cæteris ætatibus non patefactum fuit filiis hominum, ut nunc revelatum est sanctis Apostolis eius ac Prophetis in Spiritu; gentes videlicet esse cohæredes, & concorpores, & una participes promissionis eius in Christo per Evangelium. - Mihi data hæc est gratia, ut inter gentes evangelizem impervestigabiles divitias Christi, & ut in lucem proferam omnibus, quæ sit communio mysterii, quod abscondinum fuit a seculis in Deo.* (53) *Christi perpessiones, illasque consequuta gloria - - annunciatæ sunt vobis, - - in quas desiderant Angeli introspicere.* (54)

§. 18.

(51) Rom. XVI, 25. 26.
(52) 1 Cor. II, 7-13. (53) Eph. III, 3-9.
(54) 1 Petr. I, 11. 12. Add. Eph. I, 9. & VI, 19. Coloss. I, 25-27. II, 2. 3. & IV, 2 Tim. III, 9. 16. &c. &c.

§. 18

Si itaque extra omnem dubitationis positum aleam est, de mysteriis divinis nostro & præcedenti commate agi, quæro iam, quo potissimum argumento eorum veritatem, qui manifestat, probet? Nulla heic demonstratio mathematica aut philosophica, ratiocinatio nulla locum habet. Transcendunt enim rationis captum veri nominis mysteria, neque exigi eius ad notiones, aut metari decempeda possunt. *Una fide* omnis nititur argumentatio. Credenda simpliciter, non rimanda curiosius divina sunt mysteria. Sed tamen ipsa hæc, quæ illis adhibetur, fides solido, oportet, fundamento superstructa sit; cæteroquin fallax est & imaginaria, phantasiæ potius ludibrium, quam certa atque iudicio adhibito recepta demum persuasio; neque *fides* appellari meretur, sed vana superstitio, commentum cerebri, aut si quod vilius istis est nominibus. Quoties igitur aliquis incognita inauditaque divina mysteria *in fidem* annunciat, hoc est, ut, quibus annunciat, credant illa, rogant statim, qui nasum habent, *ex qua sua fide* eadem, tanquam fonte, hauserit? Neque hic, si sanus est, & serio intendit fidem facere, aliter respondebit, quàm; *ex fallere nescii Dei revelatione*, cui fidem non potuerit derogare.

Bibl. Brem. Nov. Cl. III. F. II.

rogare. Solius enim est Dei divina primum manifestare mysteria; id quod nemo negat. Verum pergent alteri illi: Unde tibi de revelationis, quam præ te fers, constat divinitate? Tum vero hic Dei externum afflatum, afflatumque internum, quorum aut uterque, aut alteruter sibi obrigerit, commemorabit; nec omittet indubitata, quibus fuerint stipata, divinitatis signa, ut vel invito sibi fidem extorserint; ac denique divinis miraculis, si eorum perpetrandorum sibi facta copia sit, narrationis suæ fidem atque veritatem confirmabit.

§. 19.

Nec vero secus instituit magnus noster Præco & Apostolus & Doctor gentium. (55) Diducto sermone causam agens coram populo judaico, ac dein apud Judææ præsidem, Festum, & Agrippam regem provocat imprimis ad divinam apparitionem; cui non potuerit non morem gerere, inter cætera expresse dicens: *Unde, rex Agrippa, non fui incredulus cœlesti apparitioni:*(56) quæ & hoc nominatim sibi præceptum fuisse testificatur: *Ito, quia Ego ad gentes procul ablegabo*, ut scilicet iustitiam Dei iis [illegible]es; etsi hoc audito verbo vocife-

raren-

(55) [illegible] Tim. II, 7. & 2 Tim. I, 11. (56) Actor. XXVI, 19.

rarentur Judæi: *Tolle de terra istiusmodi hominem: non enim convenit eum vivere.* (57) Similiter ad Galatas scribit, *quod non ab hominibus, neque per hominem creatus sit Apostolus; nec Evangelium acceperit ab homine, sed per revelationem Jesu Christi;* porro, *quod, quo tempore Deo visum fuerat, revelare Filium suum in ipso, ut hunc inter gentes evangelizaret, e vestigio obtemperarit, nec ante cum carne & sanguine inierit consilia; imo ne quidem ad eos, qui ante se fuerant Apostoli, se contulerit;* ac denique, *ubi secunda vice multis interiectis annis Hierosolymam adscenderat,* ut dictis Apostolis *Evangelium, quod prædicabat inter gentes, exponeret, quod nec hoc, nisi ex revelatione, fecerit.* (58)

§. 20.

Neque vero aliam alii Apostoli viam ingressi sunt. Præcipiunt Judæorum proceres Petro & Johanni, *ne porro loquantur in nomine Jesu ulli hominum.* Verum reponunt hi: *An justum sit apud Deum, vobis auscultare potius, quam Deo, ipsi iudicate. Non enim possumus nos, quæ vidimus & audivimus, non loqui.* (59) Qui, quæ vidit & audivit, ea postmodum loquens Deo se cre-

(57) Act. XXII, 21. 22. & XXVI, 17. 18.
(58) Gal. I, 1. 12. 15. 16. & II. 2.
(59) Act. IV, 17-20.

dit obtemperare, annon is loquitur ex *revelatione*, quam oculis auribusque percepit? Annon *ex fide*, quam eidem revelationi, tanquam Divinæ, adhibuit, manifestat? Laudatus Petrus: *Non arte compositas*, ait, (59) *Fabulas sequuti sumus notam vobis faciendo Domini nostri Jesu Christi potentiam & adventum, sed ut qui oculis nostris adspeximus illius maiestatem, cum huiusmodi ad ipsum vox a magnifica deferretur gloria: Hic est Filius meus, dilectus ille, in quo acquiesco. Et hanc nos vocem audivimus e cœlo demissam.* En denuo cœlicam! en divinam, ad quam provocat, revelationem, eamque pariter visu atque auditu, qui sensus disciplinæ potissimi sunt, & certissimi veritatis testes, perceptam!

§. 21.

Quando tamen hic epopta continue subiicit: *Habemus firmiorem propheticum sermonem*, (60) *ex fide* etiam, quæ *Mosi* & *Prophetis* habebatur, iustitia Dei censenda est in Evangelio manifestata esse. Nam Scriptura iam veteris Instrumenti hanc, licet parcius & obscurius, manifestavit iustitiam. Significanter hac epistola Paulus: *Nunc absque Lege*, inquit, *iustitia Dei patefacta est, at comprobata testimonio Legis ac Propheta-*
rum

(59) 2 Petr. I, 16-18. (60) ibid. v. 19.

rum, *iustitia* videlicet *Dei per fidem JEsu Christi in omnes & super omnes, qui credunt.* (61) Noluerunt Apostoli videri quicquam loqui *contra extraque* Mosen ac Prophetas: & cum Paulus imprimis male audiret non solum apud incredulos Judæos, quod ethnicos ad participandum iustitiam Dei per solam absque operibus Legis fidem vocaret, sed & credentes, quod doceret omnes, qui inter gentes erant, Judæos a Mose deficere, nec secundum ritus avitæ religionis incedere; (62) necessitatem hic præ cæteris impositam sibi vidit, quavis data occasione, & sanctissime affirmandi, & demonstrandi evidentissime, omnibus se credere, quæ scripta essent in Lege & Prophetis, nec ex fide alia patrium Deum eiusque iustitiam annunciare, quam quæ patrum iam sub prisca oeconomia fuisset. (63) Romæ *Judæis a mane usque ad vesperam ita exposuit regnum Dei, ut, quæcunque iis suaderet de Jesu credere, ea cum ex lege Mosis, tum ex Prophetis confirmaret.* (64) Sunt hinc, qui *ex fide in fidem* interpretantur *ex fide, quæ sub Vet. Testamento obtinuit, in fidem, quæ pariter sub Novo efflagitatur.* Verum saltus, isque ingens citra omnem necessitatem, ut multa

(61) Rom. III, 21. 22. (62) Act. XXI, 21.
(63) Act. XXIV, 14 & XXVI, 22. 23. 27.
(64) Act. XXVIII, 23.

multa cætera sententiæ huius incommoda taceam, hoc pacto committitur; nuncque, dum tandem ad ipsum τὸ *ex fide* propius dilucidandum accingimur, liquidius constabit, ad primos Evangelii præcones unice idem pertinere.

§. 22.

In antecessum, non abs re fuerit, observare frequentem voculæ ἐκ usum, cum Apostolo de ministerio verbi, sive manifestanda per Evangelium iustitia Dei sermo est. Ἐξ εἰλικρινείας, ἐκ Θεοῦ λαλοῦμεν. *Ex sinceritate, ex Deo loquimur.* (65) Οἱ μὲν ἐξ ἐριθείας τὸν χριστὸν καταγγέλλουσιν, οἱ δὲ ἐξ ἀγάπης. *Illi quidem ex contentione, hi vero ex charitate Christum prædicant.* (66) Ἄρα ἡ πίστις ἐξ ἀκοῆς. *Ergo fides ex auditu est.* (67) Ἐξ ἔργων νόμου τὸ πνεῦμα ἐλάβετε, ἢ ἐξ ἀκοῆς πίστεως. *Utrum ex operibus legis Spiritum accepistis, an ex prædicatione fidei?* (68)

§. 23.

Ut a præcipuo sensu ordiamur, fides ponitur tanquam fons, *ex quo* fluit, & tanquam fundamentum atque radix, *ex quibus* surgit ac pullulat, quibusque innititur recta ac iusta mysteriorum Evangelii annunciatio. Sicuti omnia bona opera ex fide proficisci opor-

(65) 2 Cor. II, 17. (66) Philipp. I, 16. 17.
(67) Rom. X, 17. (68) Gal. III, 2. 5.

oportet, & quicquid non ex fide oritur, peccatum est; (69) ita hoc maximi momenti bonum opus defectu fidei redditur pessimum. Antecedat igitur, necesse est, Evangelii præconium præconis fides, & ex hac illud quasi emanet atque ebulliat, ut ex redundantia cordis os loquatur, (70) & corde ad iustitiam credat ipse, (71) qui ore εἰς πίστιν, *ut credant alii*, iustitiam annunciat.

§. 24.

Distinguimus Pauli ceterorumque primorum Evangelii præconum fidem a fide τῶν εὐηγγελισμένων, *eorum, qui ipsos audiverunt*, ut causam *efficientem* a suo effectu, vel, si mavis, ut *instrumentalem* ab opere, quod per illam producitur. Nam εἰς πίστιν ἐκ πίστεως, *ad gignendam ex altera fide alteram* revelari iustitia Dei perhibetur. Neque vero nimis premenda hæc est distinctio, aut censenda tanta esse, quanta obtinet inter arborem, eiusve radicem, &, quos profert, fructus. Hinc enim exsculperet aliquis, dari aliam in Evangelii doctoribus, in eorum discipulis aliam longeque a priori diversam fidem. Una est fides, sicut unus Deus & Pater unus omnium credentium, unus Dominus, baptisma unum. (72) Quam unam fidem

 tan.

(69) Rom. XIV, 23 (70) Matth. XII, 34.
(71) Rom. X, 10. (72) Eph. IV, 5. 6.

omnis veri suspicio erat, *pudoris metum* Romano eius itineri reemoram injicere?

§. 13.

Vulgo interpretes opinantur, hoc iam commate Apostolum iustitiam fidei *exponere*. Verum secus se res habet. In *proœmio* adhucdum scriptor divinus hæret, quo, ut omnia & antecedentia & sequentia invicte probant, non de ipsa hac iustitia, sed eius tantummodo per Evangelium *patefactione* agit. Quod præcedentia attinet, illud paulo ante (45) de ea revelatione, qua viva vox defungitur, ex vv. X-XIII. & XV. huius cap. percepimus. Sequitur statim com. XVIII. *Manifestatur ira Dei e cœlo*; & vers. XIX. *Id quod cognosci de Deo potest, manifestum est in ipsis: Deus enim illis manifestum fecit.* Quid utrumque hoc? Necessitatem ostendit *manifestandæ* per Evangelium Dei iustitiæ; quoniam ea, quæ naturæ lumine facta divinitus erat, fiebatque in dies amplius, *revelatio* hominum iniustitia, idololatria, & nefanda turpitudine obscurabatur penitus, adque Dei redintegrandam communionem inhabilis, ut quæ maxime, reddebatur. Incisis XXI. & XXII. legimus: *Quum Deum cognoverint, non, ut Deum, glorificarunt, sed vani facti sunt in ratio-*

(45) §. 10.

ratiocinationibus ſuis, & obtenebratum eſt deſipiens eorum cor: dictitantes ſe ſapientes ſtulti facti ſunt. Quæ potiſſimum ad ethnicorum Philoſophos & Theologos ſpectant, quorum erat alios Dei, eiusque iuſtitiæ notitia imbuere, ſed qui ipſi ea ſe privarant. Clauditur ita primum caput: *Quum ius Dei noverint, nempe eos, qui talia patrant, morte dignos eſſe, non ſolum ea patrant, ſed & patrantibus aliis applaudunt.* Noverunt ius Dei ex divinitus accenſo naturæ lumine; cuius præcipuam partem facit lex moralis, gentilium inſcripta cordibus atque conſcientiis, de qua cap. II. vv. XIV. & XV. Apoſtolus loquitur. Progreſſus deinde eiusdem II. cap. vv. XVII. & ſeqq. ab ethnicis ad Iudæos, neque his aliam perſonam, quam iuſtitiæ ſive legis divinæ *præconum* imponit; atque eadem ſimul opera demonſtrat, quam indigne & damnoſe partes ſuas peragant, ut evangelica iuſtitiæ Dei *annunciatione* gens humana ſumme opus habeat. *Ecce*, ait, *tu Judæus cognominaris, - & noſti voluntatem Dei, &, quæ præſtant, iis calculum tuum adiicis, inſtitutus ex lege; confidisque, te ducem eſſe cæcorum, & lumen in tenebris verſantium, eruditorem inſipientium, magiſtrum infantium, utpote qui habeas informationem cognitionis ac veri legis ſenſus. Qui ergo doces alium, te ipſum non*

doces. - - *Qui de lege gloriaris, ipse per transgressionem legis Deum contumelia afficis. Nomen enim Dei propter vos blasphematur inter gentes.* At vero capite demum III. illiusque propius commate XXII. de ipsa Dei iustitia, eiusque natura, obtinendæ unica ratione ac via, quæ fides est, obtentæ salutiferis effectibus, manantibus hinc officiis, & quæ id genus cætera sunt, agere incipit. Vellem, qui epistolam ad Romanos in partes, sive principia sua retexuerunt, ad hanc distinctionem attendissent, nec dubito, quin aliquanto accuratior emersura illorum fuisset analysis.

§. 14.

Cum igitur nostro loco non ipsa Dei excutiatur iustitia, sed de *præconio* eius sermo instituatur; in Præconibus vero nihil æque desideretur, ac *fides*, annon *geminæ* illius, cuius fit mentio, *fidei* alterutram saltem ad *præcones* pertinere, existimandum est? Quis, nisi amens sit aut præstigiator, novas res, dogmata nova atque inaudita annunciare, & venditare pro veris sustinet, quæ ipse non credit, quæque, ut auditores credant, se credere, non omni laterum contentione allaborat? Quanto magis a communi hominum scientia ac fide, ab eorum sive iudiciis sive præiudiciis remotæ eius-

modi

modi res ſunt, tanto magis neceſſe eſt, ut certi reddantur, evidentiſſime de earum veritate auctoribus conſtare. An vero iuſtitia Dei, princeps evangelicæ prædicationis argumentum, ita non fuerit comparata, cuivis, cui ſanum ſinciput eſt, integrum eſto arbitrari. A fide dicentis, ut in plerisque aliis, ita potiſſimum in illis, tantum non incredibilibus, audientium pendet fides. Si vel minimum his ſuboleat, quod bona ſecum fide non agatur, laborat confeſtim labaſcitque omnis illorum fides. Experimur id hodieque de concionatoribus illis, quorum vox Jacobi eſt, manus autem ſunt Eſavi. Suadent quidem hi, quæ veriſſima ſunt atque utiliſſima, ſed parum perſuadent. Enimvero dicunt, ſed non faciunt, hoc eſt, quæ ipſi non credunt, ea credere alios iubent. Nam ſi crederent, & facerent omni procul dubio. Neque enim levia aut ludicra facientes proemia, ſed æternam conſequentur ſalutem. Hoc quam verum eſt, tam crebro ab ipſis & fortiter inculcatur. Quare, quoties inculcatur, toties ſonoram audire mihi campanam videor, quæ alios ad ineundum templum invitet, neque ipſa ingrediatur; auditorem vero, qui quidem acutus magis ſit, quam probus, Horatii illud (46) occinentem:

Quodcunque oſtendis mihi ſic, incredulus odi.

(46) Art. Poët. vers. 188.

§. 15.

Frequ issimus τῦ ἀποκαλύψαι est usus in designandis *mysteriis* & *divinationibus*, quæ non rationis sunt, sed revelationis. Proferenti Petro magnum illud pietatis mysterium, quod homo Jesus esset *Christus, Filius ille Dei viventis*, regerit Hic: *Caro & sanguis tibi non* ἀπεκάλυψε, *revelavit, sed Pater meus, qui est in cœlis.* (47) Et quis Johannem ignorat vaticiniorum suorum librum inscripsisse Ἀποκάλυψιν; Cui non officit, quod inciso huius cap. statim sequenti XVIII. τὸ ἀποκαλύψαι de patefactione divina, quæ per naturam, experientiam atque rationis lumen fit, usurpatur. Neque enim nos diximus, solum atque unice de mysteriis & prædictionibus vocem hanc adhiberi. Secundum subiectam intelligenda verba materiem sunt, nec ullam conseris pugnam, si altero commate, quod mysticas veritates indigitat, de supernaturali; altero, quod cunctorum hominum exposita oculis divina opera persequi incipit, de naturali revelatione illud vocabuli accipias. Est omnino Dei, quæ Evangelio manifestatur, iustitia grande mysterium, omnem rationis sibi relictæ captum immensis parasangis supergrediens, cuius profundum attingere nulla finiti

(47) Matth. XVI. 16. 17.

niti ingenii acies, emetiri altitudinem sublimis nulla meditatio potest. Quod enim naturæ aperit lumen, quo pacto, salva iustitia sua, iustissimum Numen peccatores iniustissimos pronunciare iustos queat, nec debita tantum æterna iis remittere supplicia, sed & ex adverso æternæ vitæ ius addicere? Vicariam unius Filii Dei iustitiam tollendis maximis his parem fuisse impedimentis, utpote divinam & infiniti pretii: atque Dei Patris iustitiæ ad assem fecisse satis, quæ iterum ratio docet? Ne quidem, quod habeat Deus Filium, per naturam novimus; æque non, quod voluerit ille satisfacere, aut satisfactionem eius admittere Pater; multo minus, quod satisfacturus Divinæ suæ humanam coniungere naturam in unam personam debuerit, inque hac reapse satisfecerit. Vide, quot quantaque mysteria ante oporteat cognita esse, quam de iustitiæ Dei mysterio vel conceptum tibi formes. Si igitur, qualis causa, talis effectus, non potest non, quæ ex multis magnisque mysteriis enata iustitia est, ipsa ingens esse mysterium. Sique divina in consilium adhibemus oracula, nec hæc alio eam numero locoque habent. Longum foret omnia exscribere enunciata, quibus mysterii appellatione insignitur. Ut ergo duos una fidelia parietes dealbemus, alterum prius

mystc-

mysterium, quod proxime antecedenti commate, quocum inseparabiliter nostrum cohaeret, panditur, tribus, quod aiunt, verbis indicemus.

§. 16.

Dicit Apostolus, quod *& Judaeo primum, & dein Graeco gentili* divina ad salutem potentia Evangelium sit. Hoc denuo magni mysterii omnem implebat modum ac mensuram, quod gentibus, quarum nulli tot ante seculis verbum salutis & iura sua manifestarat Deus, quaeque nec idcirco ea noverant, eius nunc iustitia aeque ac Judaeis, imo prae Judaeis, postquam hi sua culpa reprobati erant, per Evangelium ad salutem innotesceret. Mysterium sane erat, ad quod credendum aegre ipsi adducebantur Apostoli, quodque ideo coelesti visione, eaque ternis vicibus repetita, Petro revelandum ac confirmandum fuit; (48) imo cuius magnitudine obstupefactus exclamat Paulus: *O profundas divitias, cum sapientiae, tum cognitionis Dei! Quam inscrutabilia sunt eius iudicia, & impervestigabiles viae eius! Quis enim cognovit mentem Domini? aut quis ei fuit a consiliis? aut quis prior dedit ei, atque ei retribuetur?* (49) Praecipue conversis ad Chri-

(48) Act. X, 9-16. 49) Rom. XI, 33-35.

Christum Judæis, ipsisque initio Apostolis præter unum Paulum creditu difficillimum mysterium erat, quod gentiles absque prævia circumcisione & cærimoniali observanda lege, quas populo suo Deus severe iniunxisset, ad communionem populi Dei bonorum essent invitandæ. Qua de re quantæ lites gentium Apostolo motæ, quamque acriter in primo, Hierosolymis coacto, concilio disceptatum sit, (50) neminem fugit. Præiudicata illa atque inveterata opinione fideles ex Judæis imbuti fuisse videntur, faciendos prius *iustitiæ proselytos* esse paganos, atque ita per judaicam in Christianam intromittendos ecclesiam. Neque enim alia adhuc ratione iis ad veram religionem patuerat aditus. Certe id iudicarunt iniquum, si, cum ipsi post data sua Christo nomina etiamnum ἀβάςακτον legis jugum ferrent, suis gentes fruerentur commodis, nec idem secum onus portarent. Sed meliora tandem edocti & hanc posterioris huius mysterii partem fide receperunt.

§. 17.

Expendantur iam de utroque mysterio pauca hæc ex multis agentia loca. *Evangelium meum & præconium Jesu Christi factum est secundum revelationem mysterii, tempori-*

(50) Act. XV, 7.

poribus multa secula complexis, taciti, manifestati vero nunc, & per scripturas propheticas ex præcepto æterni Dei ad obedientiam fidei omnibus gentibus notificati. (51) *Loquimur sapientiam Dei in mysterio, occultatam illam, - - quam nemo primorum seculi huius cognovit; - - sed, sicut scriptum est: Quæ oculus non vidit, nec auris audivit, quæque in cor hominis non adscenderunt - - nobis autem Deus revelavit per Spiritum suum &c.* (52) *Per revelationem notum fecit mihi Deus mysterium illud. - Potestis intelligere, quæ mea sit intelligentia in mysterio Christi, quod cæteris ætatibus non patefactum fuit filiis hominum, ut nunc revelatum est sanctis Apostolis eius ac Prophetis in Spiritu; gentes videlicet esse cohæredes, & concorpores, & una participes promissionis eius in Christo per Evangelium. - Mihi data hæc est gratia, ut inter gentes evangelizem impervestigabiles divitias Christi, & ut in lucem proferam omnibus, quæ sit communio mysterii, quod absconditum fuit a seculis in Deo.* (53) *Christi perpessiones, illasque consequuta gloria - - annunciatæ sunt vobis, - - in quas desiderant Angeli introspicere.* (54)

§. 18.

(51) Rom. XVI, 25. 26.
(52) 1 Cor. II, 7-13. (53) Eph. III, 3-9.
(54) 1 Petr. I, 11. 12. Add. Eph. I, 9. & VI, 19. Coloss. I, 25-27. II, 2. 3. & IV, 2 Tim. III, 9. 16, &c. &c.

§. 18

Si itaque extra omnem dubitationis positum aleam est, de mysteriis divinis nostro & præcedenti commate agi, quæro iam, quo potissimum argumento eorum veritatem, qui manifestat, probet? Nulla heic demonstratio mathematica aut philosophica, ratiocinatio nulla locum habet. Transcendunt enim rationis captum veri nominis mysteria, neque exigi eius ad notiones, aut metari decempeda possunt. *Una fide* omnis nititur argumentatio, Credenda simpliciter, non rimanda curiosius divina sunt mysteria. Sed tamen ipsa hæc, quæ illis adhibetur, fides solido, oportet, fundamento superstructa sit; cæteroquin fallax est & imaginaria, phantasiæ potius ludibrium, quam certa atque iudicio adhibito recepta demum persuasio; neque *fides* appellari meretur, sed vana superstitio, commentum cerebri, aut si quod vilius istis est nominibus. Quoties igitur aliquis incognita inauditaque divina mysteria *in fidem* annunciat, hoc est, ut, quibus annunciat, credant illa, rogant statim, qui nasum habent, *ex qua sua fide* eadem, tanquam fonte, hauserit? Neque hic, si sanus est, & serio intendit fidem facere, aliter respondebit, quam; *ex fallere nescia Dei revelatione*, cui fidem non potuerit derogare.

rogare. Solius enim est Dei divina primum manifestare mysteria; id quod nemo negat. Verum pergent alteri illi: Unde tibi de revelationis, quam præ te fers, constat divinitate? Tum vero hic Dei externum affatum, afflatumque internum, quorum aut uterque, aut alteruter sibi obrigerit, commemorabit; nec omittet indubitata, quibus fuerint stipata, divinitatis signa, ut vel invito sibi fidem extorserint; ac denique divinis miraculis, si eorum perpetrandorum sibi facta copia sit, narrationis suæ fidem atque veritatem confirmabit.

§. 19.

Nec vero secus instituit magnus noster Præco & Apostolus & Doctor gentium. (55) Diducto sermone causam agens coram populo judaico, ac dein apud Judææ præsidem, Festum, & Agrippam regem provocat imprimis ad divinam apparitionem; cui non potuerit non morem gerere, inter cætera expresse dicens: *Unde, rex Agrippa, non fui incredulus cœlesti apparitioni:* (56) qua & hoc nominatim sibi præceptum fuisse testificatur: *Ito, quia Ego ad gentes procul te ablegabo,* ut scilicet iustitiam Dei iis manifestes; etsi hoc audito verbo vocife-

raren-

(55) 1 Tim. II, 7. & 2 Tim. I, 11. (56) Actor. XXVI, 19.

rarentur Judæi: *Tolle de terra istiusmodi hominem: non enim convenit eum vivere.* (57) Similiter ad Galatas scribit, *quod non ab hominibus, neque per hominem creatus sit Apostolus; nec Evangelium acceperit ab homine, sed per revelationem Jesu Christi;* porro, *quod, quo tempore Deo visum fuerat, revelare Filium suum in ipso, ut hunc inter gentes evangelizaret, e vestigio obtemperarit, nec ante cum carne & sanguine inierit consilia; imo ne quidem ad eos, qui ante se fuerant Apostoli, se contulerit;* ac denique, *ubi secunda vice multis interiectis annis Hierosolymam adscenderat,* ut dictis Apostolis *Evangelium, quod prædicabat inter gentes, exponeret, quod nec hoc, nisi ex revelatione, fecerit.* (58)

§. 20.

Neque vero aliam alii Apostoli viam ingressi sunt. Præcipiunt Judæorum proceres Petro & Johanni, *ne porro loquantur in nomine Jesu ulli hominum.* Verum reponunt hi: *An justum sit apud Deum, vobis auscultare potius, quam Deo, ipsi iudicate. Non enim possumus nos, quæ vidimus & audivimus, non loqui.* (59) Qui, quæ vidit & audivit, ea postmodum loquens Deo se credit

(57) Act. XXII, 21. 22. & XXVI, 17. 18.
(58) Gal. I, 1. 12. 15. 16. & II. 2.
(59) Act. IV, 17-20.

dit obtemperare, annon is loquitur ex *revelatione*, quam oculis auribusque percepit? Annon *ex fide*, quam eidem revelationi, tanquam Divinæ, adhibuit, manifestat? Laudatus Petrus: *Non arte compositas*, ait, (59) *Fabulas sequuti sumus notam vobis faciendo Domini nostri Jesu Christi potentiam & adventum, sed ut qui oculis nostris adspeximus illius maiestatem, cum huiusmodi ad ipsum vox a magnifica deferretur gloria: Hic est Filius meus, dilectus ille, in quo acquiesco. Et hanc nos vocem audivimus e cœlo demissam.* En denuo cœlicam! en divinam, ad quam provocat, revelationem, eamque pariter visu atque auditu, qui sensus disciplinæ potissimi sunt, & certissimi veritatis testes, perceptam!

§. 21.

Quando tamen hic epopta continue subiicit: *Habemus firmiorem propheticum sermonem*, (60) *ex fide* etiam, quæ *Mosi* & *Prophetis* habebatur, iustitia Dei censenda est in Evangelio manifestata esse. Nam Scriptura iam veteris Instrumenti hanc, licet parcius & obscurius, manifestavit iustitiam. Significanter hac epistola Paulus: *Nunc absque Lege*, inquit, *iustitia Dei patefacta est, at comprobata testimonio Legis ac Propheta-*

rum

(59) 2 Petr. I, 16-18. (60) ibid. v. 19.

rum, *iustitia* videlicet *Dei per fidem JEsu Christi in omnes & super omnes, qui credunt.* (61) Noluerunt Apostoli videri quicquam loqui *contra extraque* Mosen ac Prophetas: & cum Paulus imprimis male audiret non solum apud incredulos Judæos, quod ethnicos ad participandum iustitiam Dei per solam absque operibus Legis fidem vocaret, sed & credentes, quod doceret omnes, qui inter gentes erant, Judæos a Mose deficere, nec secundum ritus avitæ religionis incedere; (62) necessitatem hic præ cæteris impositam sibi vidit, quavis data occasione, & sanctissime affirmandi, & demonstrandi evidentissime, omnibus se credere, quæ scripta essent in Lege & Prophetis, nec ex fide alia patrium Deum eiusque iustitiam annunciare, quam quæ patrum iam sub prisca oeconomia fuisset. (63) Romæ *Judæis a mane usque ad vesperam ita exposuit regnum Dei, ut, quæcunque iis suaderet de Jesu credere, ea cum ex lege Mosis, tum ex Prophetis confirmaret.* (64) Sunt hinc, qui *ex fide in fidem* interpretantur *ex fide, quæ sub Vet. Testamento obtinuit, in fidem, quæ pariter sub Novo efflagitatur.* Verum saltus, isque ingens citra omnem necessitatem, ut

(61) Rom. III, 21. 22. (62) Act. XXI, 21.
(63) Act. XXIV, 14 & XXVI, 22. 23. 27.
(64) Act. XXVIII, 23.

multa cætera sententiæ huius incommoda taceam, hoc pacto committitur; nuncque, dum tandem ad ipsum τὸ *ex fide* propius dilucidandum accingimur, liquidius constabit, ad primos Evangelii præcones unice idem pertinere.

§. 22.

In antecessum, non abs re fuerit, observare frequentem voculæ ἐκ usum, cum Apostolo de ministerio verbi, sive manifestanda per Evangelium iustitia Dei sermo est. Ἐξ εἰλικρινείας, ἐκ Θεοῦ λαλοῦμεν.. *Ex sinceritate, ex Deo loquimur.* (65) Οἱ μὲν ἐξ ἐριθείας τὸν Χριστὸν καταγγέλλουσιν, οἱ δὲ ἐξ ἀγάπης. *Illi quidem ex contentione, hi vero ex charitate Christum prædicant.* (66) Ἄρα ἡ πίστις ἐξ ἀκοῆς. *Ergo fides ex auditu est.* (67) Ἐξ ἔργων νόμου τὸ πνεῦμα ἐλάβετε, ἢ ἐξ ἀκοῆς πίστεως. *Utrum ex operibus legis Spiritum accepistis, an ex prædicatione fidei?* (68)

§. 23.

Ut a præcipuo sensu ordiamur, fides ponitur tanquam fons, *ex quo* fluit, & tanquam fundamentum atque radix, *ex quibus* surgit ac pullulat, quibusque innititur recta ac iusta mysteriorum Evangelii annunciatio. Sicuti omnia bona opera ex fide proficisci opor-

(65) 2 Cor. II, 17. (66) Philipp. I, 16. 17.
(67) Rom. X, 17. (68) Gal. III, 2. 5.

oportet, & quicquid non ex fide oritur, peccatum est; (69) ita hoc maximi momenti bonum opus defectu fidei redditur pessimum. Antecedat igitur, necesse est, Evangelii præconium præconis fides, & ex hac illud quasi emanet atque ebulliat, ut ex redundantia cordis os loquatur, (70) & corde ad iustitiam credat ipse, (71) qui ore εἰς πίστιν, *ut credant alii*, iustitiam annunciat.

§. 24.

Distinguimus Pauli ceterorumque primorum Evangelii præconum fidem a fide τῶν εὐηγγελισμένων, *eorum, qui ipsos audiverunt*, ut causam *efficientem* a suo effectu, vel, si mavis, ut *instrumentalem* ab opere, quod per illam producitur. Nam εἰς πίστιν ἐκ πίστεως, *ad gignendam ex altera fide alteram* revelari iustitia Dei perhibetur. Neque vero nimis premenda hæc est distinctio, aut censenda tanta esse, quanta obtinet inter arborem, eiusve radicem, &, quos profert, fructus. Hinc enim exsculperet aliquis, dari aliam in Evangelii doctoribus, in eorum discipulis aliam longeque a priori diversam fidem. Una est fides, sicut unus Deus & Pater unus omnium credentium, unus Dominus, baptisma unum. (72) Quam unam fidem.

(69) Rom. XIV, 23 (70) Matth. XII, 34.
(71) Rom. X, 10. (72) Eph. IV, 5. 6.

tantum abest, ut nos hoc loco divellamus, aut geminemus, ut communem solummodo faciamus Apostolis eorumque auditoribus: non secus, ac discipulum suum Titum Paulus germanum filium κατὰ κοινὴν πίστιν, *secundum communem*, suam videlicet atque ipsius, *fidem* appellat. (73) & ad Philemonem vers. 6. scribit: ἡ κοινωνία τῆς πίστεώς σου, id est *fides, quam mecum communem habes.* Si quod discrimen invehimus, illud personarum, non rei, sive ipsius est fidei. Hæc in omnibus, qui credunt, est manetque una ac eadem; sed propagatur ad audientes a prædicatoribus, exque horum fide in illis, ut de lumine lumen, accenditur. *Nam fides ex auditu est. Quomodo autem audient absque prædicante? Quomodo autem prædicabunt, nisi missi fuerint?* (74) Et quis mitti se patitur, nisi *credat*, vera esse, quæ ut annunciet, mittitur? Nec est, quod *discrepantes* fidei *gradus* moremur. Scitum est philosophorum: *Gradus non variant speciem*; & auditorum tam magna, imo maior, quam doctorum Evangelii esse fides potest. Muliercula erat Chananæa, adeoque gentilis, cui dixit Christus: *Magna est fides tua; fiat tibi, sicut vis.* (75) Non Evangelii præco, sed erat centurio, isque

(73) Tit. I, 4.
(74) Rom. X, 14. 15. 17. (75) Matth. XV, 22. 28.

que rursum gentilis, cuius maiorem in modum miratus fidem Dominus noster hæc eloquutus verba est: *Amen dico vobis, tantam fidem ne quidem in Israele inveni.* (76) Denique fides non solum in discentibus, sed quoque in docentibus crescit, utque in utrisque crescat, alteri alteris incitamento sunt atque adjumento.

§. 25.

In superioribus, (77) memini, hanc me communem docentium discentiumque fidem reciproco mari assimilare. Quæ accedit receditque, una est ac eadem aqua; loci vero, quos affluendo refluendoque occupat, diversi sunt, atque effecerunt, ut altera Venilia, Salacia altera Romanis nuncuparetur. Ad eundem itaque modum ultro citroque commeat fides: meat primum a divinis legatis ad τὺς εὐαγγελιζομένυς, *ad eos, qui Evangelium audiunt*; sed & remeat deinde a τοῖς εὐηγγελισμένοις, qui fide præconium salutis receperunt, ad ipsos nuntios, quorum fides mirifice confirmatur, si vident, non frustra se ablegatos esse, sed verbum, quod prædicant, vorticordiam exserere virtutem. Atque hic fidei itus reditusque crebro, ut in reciprocatione æstus, iteratur; & sic ἡ ἐν ἀλλήλοις πίςις, *mutua* do-

(76) Matth. VIII, 5-10. (77) §. 3.

ctorum auditorumque *fides* (78) a se invicem non recidiva tantum sumit robora, sed & lætissima capit incrementa. Hoc solummodo interest, quod non, sicut recurrens unda littus deserit nudatque, ita suam ad doctores recipientem se fidem auditores amittant. Omne simile est etiam dissimile & claudicat. Potius igitur in hac comparationis parte doctores prunarum, at carbonum instar nobis sint discipuli. Appositi prunis carbones & reddunt, quem ab illis acceperunt, ignem & retinent. Reddunt sustentando augendoque prunarum ignem, sed ita reddendo ipsi non extinguuntur. Perspicere simul ex his est *incrementum* fidei, quod premendum alii hoc loco censent, non tollere nos, verum geminare, & quidem ita, ut ad *novam* fidei *unitatem*, quæ graduum est, eaque unius summi, cum nuntii Evangelici, tum eorum auscultatores tandem perveniant. De qua fidei unitate verba faciens Paulus inter cætera: *Dedit*, ait *Christus alios quidem Apostolos, alios Prophetas, porro Evangelistas alios, alios denique Pastores ac Doctores, ad coagmentationem Sanctorum, ad opus Ministerii, ad ædificationem corporis Christi: donec perveniamus omnes ad unitatem fidei & agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, ad mensuram plenitudinis Christi.* (79) §. 26.

(78) Rom. I, 12. (79) Ephes. IV, 11-13.

§. 26.

Πίςις, *fides doctrinam* quoque *fidei* dicit. *Habentes vaticinationem secundum analogiam* τῆς πίςεως, *fidei*, id est *doctrinæ fidei.* (80) *Ex operibus legis Spiritum accepistis, an* ἐξ ἀκοῆς πίςεως, *ex auditu fidei?* Atque iterum: *Qui subministrat vobis Spiritum, & efficit in vobis virtutes, ex operibus legis, an* ἐξ ἀκοῆς πίςεως, *ex auditu fidei*, vel, ut BEZA reddit, *ex fide per auditum percepta* subministrat?(81)Quoniam vero doctrinam fidei, prædicante Apostolo nostro, Mosis potissimum & Prophetarum volumina continebant, ac plerique Novi Testamenti libri necdum conscripti, publicique usus facti erant, ex hoc thesauro prædicationis suæ materiem ipse & collegæ Apostoli depromebant, atque ex fide, quam Mosi & Prophetis habebant, ita revelabant Dei iustitiam, ut antegresso §. 21. ostendimus. At vero novas ipsi revelationes acceperant, quibus in clariori luce Mosis & Prophetarum oracula collocabantur, & de integro multa ipsis innotescebant, quæ occultata elapsis seculis fuerant. Quocirca ex his, quibus æque credebant, ac Scripturæ veteris Oeconomiæ, novum quoddam doctrinæ fidei Corpus Apostoli composuerant, ex quo reliqua, quæ ad

(80) Rom. XII,6. (81) Gal. III. 2. 5.

ad iustitiam Dei planissime plenissimeque annuntiandam requirebantur, desumebant. Cave autem, existimes, hac me interpretatione Apostolo πολυλογιαν, imo ταυτολογίαν affricare, quoniam in ipsius enunciato extat ἐν ἀυτῷ, *in ipso*, quod ad præcedens *Evangelium* se recipit, *Evangelium* autem est, vocarique *doctrina fidei* potest; quasi scripserit Paulus: *Justitia Dei in Evangelio revelatur ex Evangelio.* Distinguas, velim, inter docentium discentiumque fidem. Suam utraque fides habebat doctrinam. Doctorum doctrina erant potissimum Vetus Testamentum, visu atque auditu, qui sunt disciplinæ sensus, quin & tactu comperta (82) afflatus divini Spiritus, omnem inspirantis veritatem, ab omni autem erroris periculo in dogmatibus creditu necessariis Apostolos saltem præstantis immunes, denique, ne plura accumulem, revelatio incognitorum hactenus mysteriorum 83) Ex hac igitur fidei, qua imbuti fuerant, imbuebanturque perpetim, doctrina, in Evangelio, quod prædicabant, sive in illa fidei, quam aliis tradebant, doctrina, iustitiam Dei manifestabant. De hodiernis Pastoribus absque omni battologia dicere licet: *Manifestatur in eorum concionibus ex Sacra utriusque Testamenti*

(82) 1 Ioh. I. 1. (83) Matth. X, 19. 20. Ioh. XVI, 13. &c.

menti Scriptura Dei iustitia. Quidni ergo Apostolus quoque noster sine inani vocis alicuius redundantia scribere potuisset: *Manifestatur in Evangelio ex Veteri Testamento, cæterisque Apostolorum doctrinæ principiis divina iustitia?*

§. 27.

Ordine sequeretur nunc *miraculorum effectrix fides*, ex qua sua fide ad fidem Auditoribus, miracula illa spectantibus, ingenerandam, ut Evangelistæ principes iustitiam Dei manifestarent, summæ fuit necessitatis. Coniungit Paulus hanc fidem suam cum fidei doctrina, qua per internum Spiritus Christi afflatum iugiter illuminabatur, quamque proxime antecedenti §. 26. habuimus; sed ita coniungit, ut restetur, ne verbulum quidem se audere extra & contra dictam fidei doctrinam, atque hanc miraculorum fidem eloqui. Gravissima eius in hac ipsa epistola hæc sunt verba: *Non audebo quicquam loqui eorum, quæ non effecit Christus per me ad obedientiam gentium verbis & operibus, virtute miraculorum ac prodigiorum, virtute Spiritus Dei.* (84) Vides, *doctrinam fidei* præcipue vocibus: *Loquor solummodo ea, quæ effecit Christus per me ad obe-*

(84) Rom, XV, 18. 19.

obedientiam gentilium sermone & opere; miraculorum deinde fidem sequentibus his: *Virtute miraculorum ac prodigiorum;* & postremis: *Virtute Spiritus Dei, causam utriusque prioris efficientem* exprimi. Sed vero, cum, quæcunque summam fidei miraculorum necessitatem in illis, per quos editurus miracula Deus erat, demonstrant, ea præcedens §. 8. iam occuparit, cramben bis coctam non appono.

§. 28.

Finem imponat, ne prolixior sim, Præconum Evangelii *viva bonorumque ferax operum fides,* ex qua nisi omne illorum proficiscatur præconium, non ministri sunt Verbi Divini, sed κυριεύειν, *dominari* Auditorum fidei sacrilego molimine intendunt; contra atque Apostolus pronunciat: *Non dominamur,* inquiens, *vestræ nos fidei, sed administri sumus gaudii vestri, quod fide statis.* (85) Et rursus eadem epistola in eandem sententiam: *Non nos ipsos prædicamus, sed Christum Iesum esse Dominum, nos autem servos vestros propter Iesum.* (86) Qui aliis inculcat imperatque fidei officia, ad quæ præstanda æque tenetur ipse, & debitum suæ

(85) 2 Cor. I, 24.
(86) 2 Cor. IV, 5.

ſuæ etiam fidei obſequium ne infitiari quidem ſuſtinet, at nihilo ſecius contra & aliorum, & ſuam, quam ſimulat, agit fidem, nonne is dominum agit, & cæteros ſervorum numero locoque habet. Domini eſt dicere, facere ſervorum: unde centurio Capernaumicus: *Dico*, ait, *ſervo meo : Fac hoc, & facit.* (87) Verum de Judæorum doctoribus Magiſter optimus: *Dicunt & non faciunt.* (88) Annon igitur eorum affectabant domini eſſe? At frequenter ſentiunt, ora ſe gerere vatis Caſſandræ, cui, quod polliciti fidem Apollini datam non liberarat, nec fidem, licet vera prædicenti, a quoquam, Dei iſtius ultione fuiſſe habitam, fabularum architecti comminiſcuntur.

Tunc etiam, canit Virgilius, *fatis aperit Caſſandra futuris*
Ora Dei iuſſu non unquam credita Teucris. (89)

(87) Matth. VIII. 8.
(88) Matth. XXIII, 3.
(89) Aeneid. II, 245. 246.

V.



V.

BENJAMIN KENNICOTT

A. M.

ET COLLEGII EXONIENSIS SOCIUS,

DE COLLATIONE

HEBRAICORUM CODICUM MANUSCRIPTORUM VETERIS TESTAMENTI. *)

Ineunte hoc anno, publicatae erant OXONII quaedam *Propositiones*, de conferendis Codicibus MStis ſacri Textus Hebraici, & de imprimendis variis eorum lectionibus. Earum auctor erat BENJ. KENNICOTT,

* Inſtitutum conquirendi, ubicunque locorum ſint, Codices Manuſcriptos Hebraicos Veteris Teſtamenti: eosque per Viros Eruditos, linguam Hebraicam apprime callentes, fide digniſſimos & accuratiſſima diligentia probatos inter ſe conferendi, aevo noſtro doctiore & curioſiore dignum, quam maxime laudandum & utiliſſimum eſſe haud facile quis Virorum Litteratorum infitias iverit, & BENIAMINI KENNICOTTO, *Anglo*, immortalem nominis gloriam peperit. Salva utcunque manet ſemperque manebit &

NICOTT, *A. M. Collegii Exonienſis Socius*; quem ad hoc arduum, & (ſi quid aliud) laboris ſane plenum opus ſuſcipiendum verbis factisque honorificis hortati ſunt & ex-

&illibata Divina Bibliorum Veteris Teſtamenti Auctoritas, neque *poſſibile* eſt, ut ex hoc inſtituto quidpiam detrimenti capiat, aut metuenda ſit doctrinæ purioris & cœleſtis alteratio aliqua aut mutatio; utpote quæ nullo laborat defectu, & in utraque Bibliorum pagina ſatis fundata eſt: ut potius ex hoc inſtituto forſan novis, ſtabiliri poſſit ſubſidiis. Saltem nulli dubitamus, quin Divino indultu ex hac collatione obſcuriſſimis aliquot locis, præſertim in *Chronologia* & *Hiſtoria Sacra* nova lux ſit oritura, quæ perverſos Chriſtianæ religionis Empæctas confundat, impudentiaque eorum ora comprimat. Sit modo *acumen Criticum* in reſtituenda Textus Hebraici priſtina integritate exactum ad iuſtum temperantiæ & modeſtiæ modum!

Lectorum autem *huius Bibliothecae* gratiam me initurum eſſe exiſtimavi, ſi quam ipſe Cel. KENNICOTTUS primum edidit, relationem, ipſis communicarem. Vulgata poſt hoc ipſo anno fuit altera eiusdem Inſtituti relatio, *de ſtatu collationis Hebraicorum Codicum Manuſcriptorum Veteris Teſtamenti* (finito anno 1762.) *tribus abhinc annis inſtitutæ a* BENIAMINE KENNICOTT, *S. T. P. Socio Collegii Oxonienſis. Oxon. 1763. 8.* quam, Deo volente alia vice huic Operi inſeram. Non

excitarunt *Universitates* tres, sc. *Oxoniensis*, *Cantabrigiensis*, & *Dubliniensis*; *Archiepiscopi Anglicani*, cum *Episcopis* fere omnibus; *Decani* quidam, cum *Capitulis*; quaedam etiam *Collegia*; nec non & Viri complures, dignitate loci sui, & amore eruditionis sacrae, merito illustres. Auctor itaque publici huius operis sibi censet incumbere, ut, ad anni primi exitum, Patronos suos de operis progressu certiores faciat. Quod ut melius fiat, duo praecipue facienda videntur (ut quae & magis satisfactura sint iis, qui iam pecunias suas liberaliter contribuerunt, & novos etiam pluresque conciliatura fautores) nempe primo, ut exponantur Collationis huiuscemodi ratio & utilitas, sicut in *Propositionibus* prius editis factum fuit; deinde ut memorentur ea, quae anno currente acciderunt, praecipue notatu digna.

Non possum vero non hac occasione, illis, quorum interest, indicare, quemadmodum iam de aliis binis Codicibus feci Classis secundae Fasc. I. p. 196. latere in Bibliotheca Cl. quondam Collegae CONR. IKENII, *L. L. OO. & Metaph.* dum viveret, *Prof. Quatuor Codices Manuscriptos Hebraicos* Pergamenos, qui ex Bibliotheca S. V. parentis Cel. C. IKENII ad ipsum iure haereditario devoluti erant. Continent illi *Psalmorum* & *Esaiae* maximam partem, ut & *Prophetas minores.* N. B.

I. Iam vero optima, si non unica via, qua quis Rempublicam Literariam bona antiqui alicuius libri editione demereri potest, hæc est, ut codices eius MSt. ad amussim perscrutetur. Quæ quidem editio, ut apud eruditos in confesso est, eo magis vel minus perfecta est futura, quo plures paucioreive codices MSti accurate conferuntur. Hac de causa, fere omnes Græci codices MSti *Novi Testamenti*, quotquot per terras etiamnum extant, iam fuerunt examinati, & variæ eorum lectiones publici iuris factæ; non sine insigni voluptate simul & beneficio eorum omnium, quibus cordi sunt Religio & bonæ Literæ.

II. Eadem commoda, a collatione codicum MStorum deducenda, quæ iure naturali sibi vindicant libri antiqui, fuerunt absque ulla dubitatione iis omnibus concessa; si modo excipias unicum librum, *Biblia* scilicet *Hebraica*: qui tamen, præ omnibus aliis, hanc postulet collationem; idque multis de causis. Nam quo antiquiores sunt libri, & quo sæpius fuerunt transcripti; eo plures errores, uti par est credere, in eos inter transcribendum irrepserunt. Constat autem *libros Veteris Testamenti*, saltem eorum aliquos, esse omnium librorum antiquissimos; eosque omnes fuisse transcriptos quam sæpissime. Addas; quod, quum sint in Alphabeto Hebraico literæ quædam

aliis insigniter similes, eo facilius erraverunt scribæ Judaici. Et variatio vel unius literæ Hebraicæ mentem totius periodi frequenter reddit diversissimam.

III. Exemplaria Hebraica, hactenus impressa, cum codicibus MStis recentissimis, & minime bonis, concordare deprehenduntur. Eo magis distant a textu impresso codices MSti Hebraici, quo sunt magis antiqui; antiquiores etenim codices (ut plurimum) habent lectiones, tum sacro Contextui, tum antiquis Versionibus, magis consentaneas. Codices insuper MSti Hebraici non solum continent multas lectiones varias, quæ sententiam reddunt luculentam & congruentem, ubi codices impressi dant sensum vel nullum vel contextui repugnantem; sed & magnopere confirmant factas ab Apostolis citationes. Nam loci quidam Novi Testamenti, e Vetere citati, qui Hebraico textui impresso (idque non solum quoad *voces* sed & quoad *sensum*) minime congruunt, congruunt omnino cum codicibus quibusdam MStis adhuc conservatis. Ex. gr. In una prophetia, eaque momenti non levis, e *triginta tribus* codicibus MStis (in Anglia conservatis) sunt VIGINTI NOVEM, qui citationem a D. *Petro* & *Paulo* factam expresse confirmant; idque, ubi lectio communis, uti auctoritate Masoretica in textu imprimitur,

tur, invalidam reddit Apoſtolorum horum argumentationem.

IV. Codices MSti Hebraici non ſolum corrigunt multos ex iis erroribus, qui per octingentos vel mille annos proxime elapſos fuerunt admiſſi; verum etiam confirmant auctoritatem *Græcæ, Syriacæ*, aliarumve veterum & veneratione dignarum *Verſionum*: quæ (intra certos limites) alios detegunt errores, eosque a Chriſti & Apoſtolorum temporibus introductos.

V. Extare iam conſtat, in diverſis regionibus, codices MStos Hebraicos fere *Quingentos*, quorum plures habet ANGLIA quam regio quævis alia; nam *Centum & Decem* (continentes vel in toto vel in parte Teſtamentum Vetus) in Univerſitatibus OXONII & CANTABRIGIÆ, & in MUSEO BRITANNICO conſervantur quam feliciſſime. Et quandoquidem hæc noſtra Inſula, ſorte quadam ſibi peculiari, tot tantosque poſſidet Theſauros, ampliſſimis impenſis undique terrarum collectos, & huc tutum quaſi in portum advectos; honorificum neceſſe eſt reputetur, eruditis exteris hic facem prætendere: honorificum ſane, ſi apud noſtrates primo perficiatur codicum MStorum Hebraicorum collatio: quod opus, maximopere quamvis expetitum ab eruditis per omnes gentes, in nulla tamen fuit adhuc (ſi codices ſpectes multos & antiquos) vel peractum vel inceptum.

VI.

VI. In numero codicum MStorum *centum & decem*, antea memorato, includuntur *septem* MSta exemplaria Pentateuchi SAMARITANI. Exemplar unicum, quod hactenus lucem vidit, est codex MStus *Parisiis* conservatus; in quo multæ sunt veræ lectiones, ubi mendis nunc scatet textus Hebraicus. Sed tamen *septem* codices MSti Samaritani, in *Anglia* conservati, corrigunt menda quædam graviora, quæ ex codice *Parisiano* in textum impressum transierunt.

VII. Quoniam igitur constat, codices hosce MStos, & Hebraicos & Samaritanos (qui tamen codices non nisi ex parte tantum fuerunt hactenus examinati) plurimas in se continere lectiones varias; humillime proponitur, quæ sequitur, quæstio -- An non vehementer sit exoptandum ab omnibus iis, qui revera libros sacros venerantur, ut *textus Hebraicus non diutius eo privetur commodo, quod cæteris antiquis libris facile conceditur;* quin potius ut *omnes MSti eius codices examinentur, variæque eorum lectiones colligantur, & in publicam lucem edantur:* ut ita, amotis plurimis scribarum erroribus, sacer textus Hebraicus (quatenus per curam humanam, & acumen criticum, nunc licet) pristinæ restituatur integritati.

VIII. Præmissis est addendum, quod in codicibus MStis hodie extantibus quamplurimæ literæ iam sint ætate nimia exesæ, aliæ-

plus

que indies pereant: adeo ut variæ lectiones, ubi etiamnum ſe ſiſtunt oculis, mora ulteriori prorſus ſepoſita, diligenter colligi debeant. Variæ hæ lectiones, collectæ quum ſint & prælo commiſſæ, authenticum teſtimonium tuto & fideliter exhibebunt; &, pereuntibus licet ipſis codicibus MStis, extabunt ſemper; paratæ opem ferre neceſſariam, ad vel impreſſi textus Hebraici, vel nuperarum Verſionum, emendationem.

IX. Conceſſa igitur utilitate, ne dicam neceſſitate, codices MStos conferendi, ut prodeat textus authenticus ſcriptorum veterum aliorum omnium; & facta multis abhinc annis, laudataque meritiſſimo, collatione *Græcorum* codicum MStorum *Novi* Teſtamenti: inferendum eſſe videtur, quod collatio *Hebraicorum* codicum *Veteris* Teſtamenti tamdiu negligi nuſquam potuerit, niſi ex decantatis hiſce præiudiciis -- *perpaucos hodie extare codices MStos Hebraicos*; & -- *codices hos continere varias lectiones, ſi modo ullas, at certo perpaucas, & alicuius momenti omnino nullas.*

X. Codicibus MStis Hebraicis quamplurimis, olim enumeratis, addendi nunc ſunt alii haud pauci. Nam etſi *quinque* tantum de novo in *Anglia* ſint noti; apud exteras tamen gentes, in *Italia* præcipue, complures codices (antea non vel per titulos evulgati) iam innotuerunt, aliique (ut augurari

licet) mox innotefcent. Infuit enim *Proteftantibus Anglicanis*, regiones exteras luftrantibus, ardor admodum generofus, & ftudium tantum non incredibile, ut operi huic facro ferrent fuppetias, codices MStos exquirendo. Juvat hic etiam recordari, & affectu mentis gratiffimo agnofcere, quam alacriter & voluntate propenfiffima manus fuas auxiliares porrexerunt quidam, in Ecclefia *Romana*, ad excelfos honores evecti: hominibus enim præftantioris ingenii perplacet quicquid per terras agitur, facrorum Voluminum honori inferviens. Urbes præcipue, in quibus facta fuerunt & nunc fiunt fcrutinia de codicibus MStis Hebraicis, funt *Roma*, *Florentia*, *Bononia*, *Mediolanum*, *Genua*, *Venetiæ*, & *Conftantinopolis*.

XI. Catalogi Codicum MStorum Hebraicorum, in variis bibliothecis confervatorum, fuerunt a *Roma* in *Angliam* benigne transmiffi. Et nuper impreffus fuit catalogus codicum MStorum, Hebraicorum & Samaritanorum, quos habet magnifica illa & ditiffima Bibliotheca, IPSA VATICANA; in qua confervantur plusquam *quadraginta* codices MSti, Biblia Hebraica in toto vel in parte comprehendentes. Ut omnes hos codices conferre liceat, conceffit more admodum humano eminentiffimus CARDINALIS PASSIONEUS, qui tanta cum dignitate Bibliothecæ Vaticanæ præeft: quam veniam, liber-

liberrime oblatam, grato animo amplexus eſt huius operis auctor; cuius impenſis, optimorum quorundam ex hisce codicibus inſtituta fuit & nunc pergit, collatio. Nec ſine cauſa ſperandum eſt, ut operi huic acceſſurum ſit multum & ſplendoris & utilitatis ex variis lectionibus horum codicum Vaticanorum, ſub ipſis oculis Cardinalis Librarii accuratiſſime collatorum. Gratias etiam maximas meretur inopinus favor eminentiſſimi CARDINALIS SPINELLI; qui, *Neapoli* aliisque in locis, opus hoc literis ſuis commendatitiis, & laude ſua honorifica, ornare & adiuvare haud dedignatus eſt.

XII. Obſervaram iampridem, varias Lectiones in codicibus MStis Hebraicis eſſe *quamplures*; & ſelecta fuerunt quædam ſpecimina. At hodie dierum proferri poteſt copioſa huius rei probatio, ex continua ſingularum literarum examinatione, in tribus codicibus MStis Hebraicis, omnium qui in *Anglia* conſervantur antiquiſſimis. Ex. gr. Lectiones ab impreſſis diverſæ, quas habet unum Pentateuchi exemplar, idque antiquiſſimum, duas mille excedunt; e quibus multæ alium præſtant ſenſum, & cum antiquis Verſionibus concordant. Nec prætereundum eſt (novum ſane, ſed) pro textu Samaritano grave prorſus argumentum - quod ſint in uno hoc codice Mſc. Hebraico voces ſaltem *ſeptingentae*, quæ a textu impreſſo Hebraico variant, concordant tamen cum textu impreſſo Samaritano.

XIII. Si quis ſciſcitetur, an dentur in ullo alio codice MSto antiquo variæ lectiones æque numeroſæ, in aliis partibus Veteris Teſtamenti: reſpondetur, quod codex alter antiquiſſimus continet, idque in unico *Iſaiae* libro, plures quam *mille* lectiones a lectionibus impreſſis diverſas; e quibus haud paucæ, in vere deſignandis prophetæ verbis, vim & pondus pro certo ſunt habituræ. Hoc igitur ab omnibus, qui de genuino Veteris Teſtamenti ſen-

ſu

ſu recte ſentire vellent, ardenter eſt optandum, ut *variae hae lectiones, una cum caeteris omnibus quae poſſint colligi, ad imas ſubnectantur paginas, in nova Bibliorum Hebraicorum editione*, imprimenda (non cum textu *novo*, ſed) ad normam optimæ cuiusdam editionis iampridem publicatæ.

XIV. Si modo ſit igitur conceſſum, quod nunc extant codices MSti Hebraici *antiqui*, qui quamplurimas habent gravesque lectiones, diverſas a textu hactenus ſecundum codices MStos *nuperos* impreſſo: & ſi pateat, quod variæ lectiones, ſic collectæ, neceſſario fuerint eo plures, forſitan quoque eo maioris momenti, quo plures conferentur codices MSti: reſtat ut Viri omnes, quotquot huic Collationi bene volunt, quibusque contigit facultas ſublevandi impenſas operi huic neceſſarias, ſtatuant ac determinent - *an futurum ſit hoc opus vel magis vel minus perfectum.* Ex HORUM etenim pendet voluntate, an valuerit operis huius auctor plures vel pauciores codices MStos, apud exteras gentes, conferre; atque an plures paucioresve laboris ſui ſocios (feſtinationis ergo) ſibi aſſumpſerit domi.

XV. Annotanda denique reſtant, quæ ſequuntur: quod eis, qui ad opus hoc promovendum ſuas pecunias ſemel ſubſcribunt, nulla incumbit neceſſitas ſubſcriptiones ſuas ab anno in annum renovandi — quod ſubſcriptiones diutius non expetentur, quam celeritate ſat idonea progredietur opus — & quod, ſub conditione ſufficientis in collatione progreſſus, concedetur annuatim (uti nunc conceditur) ſcripta teſtificatio a *Regio Linguarum Orientalium Profeſſore.* OXONII, Dec. 18. 1760

N.B. Catalogua illuſtrium & eruditorum Virorum, qui anno hoc primo operi huic ſuas ſubſcripſerunt pecunias, penes eſt Bibliopolas ſequentes; qui eriam novas accipient ſubſcriptiones - *Rivington, Payne, Dodſley, Griffiths*, LONDINI.

BIBLIOTHECA
BREMENSIS
NOVA
HISTORICO-PHILOLOGICO-THEOLOGICA

CLASSIS TERTIÆ
FASCICVLVS TERTIVS & VLTIMVS.





BREMÆ & AMSTELODAMI
Sumptibus Bibliopolarum
G. W. RUMPII & H. VIEROOT.
MDCCLXIV.

VIRO
PERQUAM REVERENDO
DOCTISSIMO
EWALDO
HOLLEBEEKIO,
THEOLOGO NUPER GRONINGANO,
NUNC
LUGDUNENSI IN BATAVIS
CELEBERRIMO,
ET APUD OMNES PROBOS
ERUDITIONIS NON MINUS
QUAM ANIMI ERECTIORIS
AEQUE AC PROBI LAUDE
CONSPICUO,
COGNATO,
ET MEO QUONDAM
IN MINISTERIO MEDIOBURGENSI
COLLEGAE AMANTISSIMO,
NUNQUAM RECONCILIATO
NEC ULLO TEMPORE
RECONCILIANDO,
NONUM HUNC
BIBLIOTHECÆ
BREM. NOVÆ
FASCICULUM;

EXISTIMATIONIS
ET INTEGERRIMI MEI AMORIS
TESTANDI CAUSA,
INSCRIBO,
IPSIQUE
DE SPARTA
MUNERIS AMPLISSIMI,
HONORIFICE AD EUM NUPER DELATI,
FELICITERQUE SUSCEPTI,
GRATULOR,
ET
INVIDENDOS
IN LABORIBUS EJUS SUCCESSUS
AD GLORIAM SUMMI NUMINIS,
ACADEMIAE BATAVAE
EMOLUMENTUM,
ECCLESIAE SALUTEM,
ERUDITAEQUE PIETATIS
INCREMENTUM,
FAUSTAQUE ET PROSPERA OMNIA
SOLLICITE VOVEO,
MEQUE ET INSTITUTUM HOC
FAVORI IPSIUS ET AMICITIAE
COMMENDO

EDITOR.

SYLLABUS
SYMBOLARUM
FASCICULI TERTII
CLASSIS TERTIÆ.



I. JO.



I.

JOHANNIS IHRE,

CANCELLARIÆ REGIÆ SUECICÆ CONSILIARII,

ELOQ. ET POLITICES PROF. O. ET SKYTTIANI AC DE STELLA POLARI EQUITIS AURATI,

ORATIO FUNEBRIS

IN MEMORIAM VIRI S. REVER. ET CELEBERRIMI S. S. THEOL. DOCTORIS,

OLAVI CELSII,

ARCHI-PRÆPOSITI UPSALIENSIUM, PROF. THEOL. ORDIN. ET PRIMARII, SOCIETATIS REG. UPSAL. NEC NON ACAD. SCIENTIARUM HOLMENSIS MEMBRI,

Habita menſe Novembr. MDCCLVI. *)

AUDI-

*) Hanc qui legerit Orationem, licet ingemiſcat, OLAVUM CELSIUM, at quantum Vi-



AUDITORES
OMNIUM ORDINUM
HONORATISSIMI, MOESTISSIMI.



Eſſe Numen, quod Upſalienſe hoc Lyceum, hanc bonarum piarumque mentium officinam ſingulari ſua cura & favore amplectatur, hoc noſtro tempore, ſi unquam alias, evidentiſſime perſenſimus. Nam, ut prætereeam alia faventioris

rum! *Seldenis* & *Bochartis* haud inferiorem inter vivos deſiiſſe, gaudebit tamen in ſinu, Ipſi poſt fata obtigiſſe Præconem JOHANNEM IHRIUM, Virum meritorum maximorum in rempublicam Litterariam cumulo non minus ac Regis ſui Auguſtiſſimi favore & Nobilitate adeo illuſtrem. CELSII fata, ingenium, eruditio, virtutes & promerita traducent lectores in ſui admirationem & venerationem; venuſtiſſima autem IHRII Oratio jucunditate expoſitionis, puriorisque ſtyli nitore, eorum animos ita mulcebit ut eandem repetitis vicibus ſint lecturi. Quam mirifice lateque ſplen-

tioris sortis munera, quæ remissioribus animis lætiorique præconio reservanda, merito judicari poterunt; id tantum in præsentia commemoro, rara sortis seculique felicitate, & superiorum provida cura factum esse, ut, quod nulla verecundia me, etsi ipsummet aliquantillam illius portionem, dicere prohibebit, adeo ornatum viderimus Athenæum hocce, ut Doctores in sua quemque provincia foverit, quibus clariores nec illud a primis inde institutionis primordiis habuit, nec forte alia Europæi orbis Academia ostentare potis sit. Neque id sine Numine factum interpretamur, quod jam altero vertente lustro in neminem, qui nostri ordinis fuerit, jus suum fata exercuerint, ulliusque tot annis non modo exsequias non iverimus, sed ne graviori quidem valetudine, raro inter seniores & museis inclusa corpora exemplo, quemquam impeditum viderimus, quo minus provinciam suam ornaret. Sensit hoc suo cum

 fructu

splendent, hæc, Solis Arctoi lumina nullis secunda! Orationem hanc cum aliis muneribus præstantissimis, quæ inter sunt variæ *Ol. Celsii* Dissertationes parum cognitæ, huic operi suo tempore inserendæ, debeo humanitati & prolixo favori S. V. AMNELII, Theologi Upsaliensis Celeberrimi, quod gratissimus publice profiteor. N. B.

fructu literata pubes, illud circumfert fama, prædicant cives nostri exterique. Sed nolim dicere, prædicantes gloriantesque audiisse Nemesin: didicisse potius debeo, perenne & proprium fortunam nihil unquam dedisse, & casui vicinius quidvis esse solere, quo eminentius. Non equidem cum fortuna palam conqueri ausim, quod haud pridem par Collegarum nostrorum, utrumque primarum partium, utrumque immortale Athenæi nostri decus, Academicæ Juventutis institutioni subduxerint: altero patentiori curriculo immisso, altero in aliquanto tranquillius otium secedente: contigit quippe illis, quod amicorum meritis apprecari solemus, & quod a superiorum æquitate exspectandum habemus. Immo vero, nec eos dici possumus amisisse, quos possidet Respublica, quorumque jucunda nec infrequens nobis copia est. Illud vero gravius, illud immedicabile vulnus est, quod nobis, quod Academiæ, quod Ecclesiæ inflixit fatorum sæva necessitas, dum nobiscum & cum vivis amplius esse vetuit communem Literatæ Sueciæ Præceptorem nostræque civitatis oraculum, Summe Rever. & Ampliss. Dom. OLAVUM CELSIUM, S. S. Theologiæ Doctorem & Prof. Primarium, Diœces. Ups. Archipræp. Utriusque hujus Ecclesiæ Pastorem, Acade-

Academiæ Scient. Upſal. & Stockh. Memcrum. Qui vir etſi ultimas, quæ mortalium curriculo definiri ſolent, metas ferme attigerit, atque adeo injuſtæ videri poſſent, ſi quibus ad illius obitum Numen oneraremus, querelæ; accidit tamen nobis, quod poſt longum ſuavemque convictum tandem disjunctis ſodalibus conjugibusque fere ſolet, qui tantum abeſt, ut in diuturno conceſſo uſu doloris lenimen inveniant, ut potius pro longa aſſuetudine, & inolita velut familiaritate triſtiorem ſeparationis ſenſum animadvertant. Nos ſcilicet omnes, qui alios jam inſtituere jubemur, uti ſub CELSII diſciplina adolevimus, & quum quid ignoraremus, a junioribus inde annis ad hunc Magiſtrum nos conferre, & ſemper inde doctiores redire conſuevimus; ita ubi jam os illud, ex quo toties tanto cum fructu pependimus, obmutuit, fieri non poteſt, quin noſtra & Reip. Litterariæ damna ſincere deploremus, id unicum optandum habentes, ut quum CELSIANA familia illuſtrandæ Reip. litterariæ promovendisque ſcientiis nata factaque videatur, ſucciſo hoc ſtipite, novos ex illo ſurculos pullulare videamus, qui. quæ jam fecimus damna, apud poſteritatem reparare queant.

Tu, Reverendissime Regni Suiog. ArchiEpiscope & hujus Academiæ Pro-Cancellarie Eminentissime, qui hujus nostri meritis prolixe adeo semper favisti, cujusque in gratia ille suaviter semper acquievit, Vosque Collegæ mei Honoratissimi, Vos, inquam, docendi non estis, quanta hæc sit jactura, quam fecimus nos, & nobiscum eruditus orbis: sed faciles tamen patiemini, ut litterariæ huic coronæ, quam primam immoralitatis Nostri curam suscipere jubebo, explicem, quam justæ nostræ sint lacrimæ, quantumque illa nosque perdiderimus in OLAVO CELSIO, Viro & Professore, quo majorem doctioremque jam diu Suecia Litterata non habuit, & quem velut exemplum polyhistorias sine invidia citare consuevimus. Nam ut prætereams solidam, & suo loco dignam scientiam ejus Theologicam, sine teste fidem facile fecero, si dicam, sub hoc litterarum occasu vix in Europa esse unum aut summum alterum, qui in Orientali litteratura illi comparari possit; in Antiquitatibus Patriæ ejusque Historia neminem jam esse, qui illi palmam dubiam faciat; in historia Naturali & Botanica scientia paucissimos fuisse, qui propius quam ille ad LINNÆUM nostrum accesserint, hoc est, qui minus eorum, quæ in naturæ regnis sciri possunt, igno-

ignoraverit. Taceo Suadam illius Romanam, antiquitatis æmulam, taceo litteras Græcas, quas ita coluerat. & tanta cum nominis celebritate profeſſus eſt, ut vel eo ſolo nomine inter eruditos principem locum promeritus fuiſſet.

Duxi jam primas lineas illius Viri, cujus famæ monumenta paramus. Inter mille ſuſpiria & planctus ante aliquot menſes Illius exanime corpus magnæ matri commendavimus: jam vero, quum ſolenni inter nos recepto more, ultimum illi vale ex hiſce roſtris, quæ ultra quinquaginta annos ipſius erudito ore perſonuerunt, dicendum eſſet, Neceſſarii illius, qui noverant, quam pio & tantum non filiali cultu venerabilem hunc Senem proſecutus fuerim, id mihi injunxerunt, ut ſuprema hæc munera Illius tumulo mitterem. Ego, etſi commodiorem illius meritis interpretem lubenter optaſſem, nihilominus, quum in me oculos conjecerint, faciam, quod valeant vires, & laudationis loco, ſimplicem tantum vitæ CELSIANÆ enarrationem dabo, quam ut, pro veſtro veri ſtudio, benigne exaudiatis, humillime & magnopere rogo.

Dum jam enarrandæ vitæ Summe Reverendi atque Ampliſſimi, nunc inter cælites æternum beati, Dom. Doctoris, Pro-

fessoris Theologiæ Primarii atque Archi-Præpositi memet accingo, hanc a vobis veniam petam, ut a prima origine, sed brevissime tamen, CELSIANÆ familiæ, quæ tot pignoribus Musas nostras sibi obstrinxit, originem repetam: quem laborem, si quis in gente non admodum antiqua supervacuam fore judicaverit, erit hic ille solus, qui non meminerit, fore aliquando tempora, qvum hæc & similia curiosorum oculis se subductura sint, nisi tempestive annalibus inserantur. Primus adeo, quem cognovimus, CELSIANI sanguinis auctor *Magnus* fuit, integræ vitæ agricola in tractu Smolandiæ, Lincopensi diœcesi adjuncta, & Ydria dicto, qui duos habuit filios, utrumque *Nicolai* nomine appellatum. Eorum major natu studiorum gratia Lincopiam, adhuc civili cæde & effuso sub *Stongebroensi* pugna sanguine madentem se contulit, & dein *Gevaliam*, ubi jactis solidioris eruditionis fundamentis, in domum UNONIS OLAVI, Senatoris urbici, acceptus est, studia moderaturus filii ejus OLAVI UNONII, Professoris dein Upsaliensium non incelebris. Hujus sororem, *Sigridam Unonis*, dein uxorem duxit *Nicolaus*, Collega Scholæ in eadem urbe creatus, & postea ad munus Sacellani ecclesiarum *Alfta* & *Ofwanoker* vocatus, hu-

hujusque tandem, in Comitiis *Arosiensibus* anni 1639 a priori sejunctæ, Pastor constitutus. Inter hujus *Nicolai Magni Travillagæi* (ita enim tum nominari voluit) undecim liberos, maximus natu erat *Magnus*, Oedipus ille Gothicus, & Nostri Parens; qui anno 21 superioris seculi ad *Alftam* vel *Alupottam*, *Starkotteri* locum natalem, in lucem editus, primum *Gevaliæ* paterna vestigia pressit, dein *Upsaliam* se contulit, ubi, post edita terna maturæ eruditionis specimina Academica, lauream Philosophicam e manu JSACI ISTHMENII accepit, CELSIANUM nomen tum primum adsciscens, quum antea jam *Magnus Nicolaus Helsingus*, jam *Metagrius* appellari voluisset. Hic vir litteratissimus, postquam Adjuncturam, uti vocant, Philosophicam, & una cum illa Regimen Scholæ trivialis Upsaliènsis magna cum industria obivisset, anno 55 proxime præteriti seculi Mathematum Professor extra ordinem creatus est, & altero post anno Assessor *Collegii*, tum recens instituti *Antiquitatum*, intraque vertentem annum Professor Mathematum ordinarius & simul Pastor *veteris Upsaliæ*. Est hic quem diximus, MAGNUS NICOLAI CELSIUS, cujus sagacitati, ut alia merita litteraria, editaque doctissima scripta prætercam, acceptum referimus, quod

cippos, cælatos *Runis Helsingicis*, & pro hieroglyphicis vel potius magicis antea habitis, legere & interpretari possimus, quod ejus inventum omnium primo in Oratione, quam fasces Academicos relicturus habuit, cum eruditis communicavit, dein vero peculiari schediasmate, *Oreades Helsingicæ* appellato, ulterius explicare voluit. Uxorem idem duxit SARAM FIGRELIAM, Pastoris & Præpositi *Rappstadiensium*, in Ostrogothia, NICOLAI EDMUNDI filiam, & sororem EDMUNDI GRIPENHIELMII, Viri non minus eruditionis principatu quam munerum dignitate Splendidissimi: quæ lectissima conjux septena prole eum parentem fecit, tribus filiis & quatuor filiabus. Natorum maximus NICOLAUS erat, quo Professore Mathematum, post multorum annorum ad Scholam hanc trivialem exantlatos labores, tandem constituto, nostrum multi Præceptore usi sumus, & cui, non quidem unicam, sed præcipuam gratiam habemus, quod filium erudito orbi dederit ANDREAM CELSIUM, Virum supra sua sidera notum, cujusque laudes, quum æternitate commendandas aliquando susceperit vir Excellentissimus, Regis Regnique Sueciæ Senator, Regiæ Cancellariæ Præses, atque Ordinum Regiorum Eques & Commendator Illustrissimus, Dominus

Baro

Baro ANDREAS NICOLAUS DE HOEPKEN, atque adeo id ei contigerit, quod Achilli invidit Alexander, Soli lucernam noſtram non admovebimus. Alter *Magni* filiorum *Johannes*, vir eximii ingenii nec minoris eruditionis, in Sudermanniæ quodam territorio Judex Ordinarius magna æquitate jus dicebat. Tertius, ſuorumque Parentum poſtremæ deliciæ, *Olavus* noſter fuit, quem una cum *Barbara* ſorore eodem niſu fecunda MAGNI CELSII conjux d. 19. Julii 1670 pepererat. Adolevit infantulus hic deinde ſub paterna cura fideliqne inſtitutione Virorum juvenum, ANDREÆ CARLGREN & OLAVI KIHLBERG, pulcerrimisque profectibus adeo ſuæ ſorti & futuræ eruditioni præluſit, ut nihil non egregii ab eo ſibi ſponderent illius Parentes. Sed intercedere videbantur fata, quo minus felicia hæc auguria ſuus comprobaret eventus. Nam quum nondum ætatis annum nonum attigiſſet, patri ſuo tanto triſtiores ivit exſequias, quanto veri videbatur ſimilius, paterno rogo omnes etiam pueruli ſpes ſimul illatas fuiſſe. Reliquerat quippe *Magnus* familiam, in re oppido tenui, numeroſam, adeo ut honeſta illius Vidua vix haberet, quo ſe liberosque parciſſime tueretur, ne dum ut Præceptori ſtipendium pendere poſſet.

KIHL-

KIHLBERGIUM etiam ſua fata domum & ad *Carolſtadienſe* Gymnaſium revocaverant, adeo ut Noſter flebili diſcidio Muſis tantum non valedicere cogeretur, niſi quod ſtatis horis, quem ſors dabat, aut maternæ preces permoverant, ſectaretur. Hæ vero difficultates docile OLAVI ingenium tantum abeſt, ut hebetarint, ut potius inſigniter innatum illius ſciendi deſiderium acuerint. Effluxit interea pene iners ſolidum quinquennium, idque ejus ætatis, quod aliorum ope maxime indiget, donec tandem noſtri avunculus, ſingularis ingenii eruditionisque juvenis ZACHARIAS FIGRELIUS ſtudia ejus ſibi moderanda ſumſit, ſub quo ductore tantum profecit OLAVUS Noſter, ut ſolidiora Linguæ Latialis fundamenta brevi jaceret, & in reliquo eruditionis campo rapida progreſſione decurreret. Quantumcunque brevis hæc ipſius fuit felicitas, utpote abrupta inſtituenda ad exteros, FIGRELII peregrinatione litteraria; eo tamen valuerat, ut jam ſuo marte exercitia litteraria continuare poſſet. Commode quoque ſub hoc tempore accidit, ut ſuam illi operam ultro offerret Mag. JOHANNES PALMROTH, inclutus ille ad hanc Academiam poſtea Theologiæ Doctor & Profeſſor, eujusque ſingularem in inſtituenda juventute facilitatem multi noſtrum expe-

experti exoſculatique ſumus. Hic ut ipſe Orientalem litteraturam in deliciis habuit, ita earundem amore noſtrum feliciter & tempeſtive imbuit. Non opus eſt, ut dicam, quam improbo labore Hic dein eruditioni operam dederit, ut ſtudendo dies noctibus continuaverit, quamque ſedulus Profeſſorum publicorumque Docentium aſſecla fuerit: pro me loquantur edita eruditionis varia ſpecimina, inter quæ eminet diſſertatio Academica, ſub præſidio præcipui ſtudiorum illius fautoris, JOHANNIS SCHWEDE, Politices Profeſſoris Ordinarii, anno ætatis viceſimo edita, de *avibus*, qua docuit, ſe deperditi luſtri damna, annos ſupergreſſa aſſiduitate in ſolidum reparaſſe, immo etiam ſe ſeveriora Philologiæ ſacræ ſtudia ita coluiſſe, ut hiſtoriæ naturalis delicias non averſaretur. Florebat id ætatis utraque hæc ſcientia Upſaliæ, linguas Orientales profitente GUSTAVO PERINGERO LILJEBLAD, Viro ob ſuam eruditionem domi foriſque magni habito, illasque cum Græcis litteris conjungente Viro ſummo, LAURENTIO NORRMANNO, Botanicen vero cognataque hiſtoriæ naturalis ſtudia urgente OLAVO RUDBECKIO, Seniore, Viro ſtupendi ingenii, & cujus revera minima laus fuit, *Platonem* explicuiſſe. Hujus in domo ut noſter crebro lu-

ben-

benterque versabatur, ita suam una cum aliis ipsi operam commodabat in depingendis ad vivum Suecanis avibus, quod opus, duodecim ingentia volumina complens, hodieque visitur in aula viri Nobilissimi, & simul Scientiæ Naturalis peritissimi, Domini Cubicularii Regii, CAROLI de GEER. Alterum, quod publici juris fecit, meletema Academicum titulum præfert *de Lingua & eruditione Arabum*, quod moderante GUSTAVO PERINGERO edidit, & toto applaudente eruditorum choro ex cathedra Academica defendit. Adeo luculenta singularis eruditionis documenta digna non solum judicavit Philosophica Facultas, quæ solitis exornarentur præmiis, sed, ut quoque insignitius esset nostri brabeum, honoratiorem illi in Promotione locum assignavit, Oratoris in eadem munus illi conferens. Sed non hic substitit Præceptorum illius favor, verum ut in dies magis magisque eluxit CELSIANI ingenii mira felicitas, ita animadverterunt facile, si in illas regiones ipsius discendi ardor transferretur, ubi largior esset subsidiorum materia, fore, ut eximii quid & in patriæ decus versurum aliquando præstaret. Hinc factum, ut Facultas Philosophica ipsius studia Academiæ Cancellario, Illustrissimo Comiti & Senatori Regio, BENEDICTO OX-

ENSTI-

ENSTIERNA prolixum & magnum in modum commendaret, oſtenderetque, ſi quædam fomenta tam felici igenio adderentur, non leve in eruditorum choro hujus nomen aliquando futurum. Annuit hic Mæcenas, pro ſuo more, facilis, promiſitque ſe rem ad Sereniſſimum Regem laturum. Novimus omnes, quam ſollicite exhauſto ante ærario parcere conſueverit Regum Suiogothicorum ſapientiſſimus CAROLUS XI. Simulac vero Litterariæ peregrinationi OLAVI CELSII viaticum petiit Illuſtriſſimus Cancellarius, non ſine admiratione animadvertit Mæcenas hic, ſuis deſideriis ultro obviam ire Auguſtum, nec de ignota virtute ſe loqui, ubi CELSIUM de meliori nota commendavit. Quid vero primam inſperatæ huic felicitati occaſionem dederit, non ingratum vobis fore ſpero, Auditores, ſi breviter indicavero. Cognoſcetis inde Auguſtiſſimi CAROLI Regis ingenium, & ſimul novo exemplo diſcetis, quam parva rerum initia maximis ſæpe momentum addant.

Ut erant oppido tenues CELSII noſtri facultates, ita informandis lautioris fortunæ juvenibus neceſſaria vitæ ſubſidia quærere cogebatur; atque quum hac ratione ſors ipſius *Holmiam* cum duxiſſet, perpaucas illas horas, quas ſucceſivas habere potuit, evol-

evolvendis in Bibliotheca Regia rarioribus voluminibus impendere ſolebat. Accidit vero aliquando, quum in quodam Regii Muſei angulo, loca nonnulla Bibliorum Polyglottorum examinaret, lectioni ſuæ non minus intentus, quam qui ſub civitatis obſidione, ne ſui turbarentur circuli, olim reformidabat, ecce derepente Rex ipſe Bibliothecam intrabat, & inobſervatus CELSIO pone imminuit. Hic vero ut forte reſpexit, Regemque conſpicatus fuit,

Obſtupuit, retroque pedem cum voce repreſſit:
Improviſum aſpris veluti qui ſentibus anguem
Preſſit humi nitens, timidusque repente refugit.

Sed quidquid id fuit timoris, quod Auguſti præſentia injecit ſuſtulit mox blandiſſimus ejus vultus, mira ſerenitas & clementiſſimi affatus. Ipſe quippe non dedignabatur interrogare, qui genus, unde domo noſter eſſet? & inprimis quid moliretur hic juvenis libris adeo affixus? curioſe inquirere. Atque ut non vulgarem illius lectionem eſſe reperit, memori pectori nomen illius condidit, nec id excidere paſſum fuiſſe clementiſſimum Regem, patuit hac occaſione, ubi viatici nomine mille

le imperiales nummos ipſi ex fiſco pendendos munificentiſſime conceſſit. Noſter qui terras peregrino ſole jam diu videre geſtierat, vel ut rectius dicam, cujus jam omnia in eo poſita erant, ut primum, quos hic illic in Bibliothecis deliteſcere noverat, codices manu ſcriptos Arabicos in ſubſidium jam tum meditati operis, de *Herbis Biblicis*, vocare, dein ut in terram Canaan Arabiamque data quadam occaſione transmittere poſſet; adulto menſe Januario anni 1696 in iter ſe contulit, magnisque itineribus in Scaniam contendit, ita tamen, ut ſi quod antiquitatis monumentum, ſi quem lapidem litteratum aliis non lectum ſub itinere obſervaſſet, aliquantulæ moræ patientiſſimus eſſet, &, quod invenerat, in ſua adverſaria ſedulo referret.

Ingens mihi heic dicendorum ordo naſceretur, ſi peregrinantem ad exteros CELSIUM mea oratione conſequi vellem, quo tamen officio eo facilius defungi poſſem, quo commodiorem mihi Beati Viri induſtria viam muniit, quippe qui ſingula, quæ apud exteros vidit, quæve notatu digniora ab ore doctorum hic illic excepit ipſe accurate annotavit, adeo ut nullus alius meæ induſtriæ relictus ſit locus, quam ut ex divite hoc penu, quod ſcire veſtra potiſſimum intereſſe intelligere potero, ſeligam

& depromam. Utar tamen ea brevitate, quæ indicatura ſit, quam vobis, Auditores, diſplicere nolim.

Poſtquam aliquot dies viſendæ Carolinæ Academiæ ejusque Doctoribus ſalutandis impendiſſet Noſter, *Havniam* contendit, ubi ſplendidum Danorum Regis Muſeum & litteraria ſupellex, qua Bibliotheca publica affluebat, ejus diſcendi cupidos oculos mirifice pavit. Inde conſcenſo navigio *Lubecam* iter direxit, quo non ſine præſentiſſimo vitæ periculo, & poſt exhauſta varia tempeſtuoſi maris incommoda, ſalvus, ineunte menſe Martio, pervenit. Fuere in divite hac & Suecis nimium quondam familiari urbe varia, quæ noſtri oculos dulci novitate tenebant; ut vero diuturniores ibi moras necteret, perpulere partim liberalis copia facta adeundi Bibliothecam *Pfeifferianam*, quæ præter magnam librorum impreſſorum copiam, abundabat locuplete manuſcriptorum Rabbinicorum & inprimis Arabicorum collectione, partim etiam occaſio, quæ ipſi ſubnata erat coëmendi varios rariores libros ex Bibliotheca *Morhofiana*, quæ poſtridie adventus ejus haſtæ publicæ ſubjici cœpta ſuit. Relicta *Lubeca Hamburgum* deinde ſe confert Noſter, ubi aliquot dies commorabatur, eosque totos fere tranſigebat in Muſeo ABRAHAMI HIN-

CKEL-

CKELMANNI viri celeberrimi, cujus non tantum ſolida in Litteratura Orientali eruditio, ſed & ſumma in libris præcipue Arabicis conquirendis diligentia nemini ignota eſſe poteſt. Per *Magdeburgum* deinde exeunte menſe Martio *Lipſiam* noſter pervenit, ubi a diutino nec commodiſſimo itinere feſſus, & hinc alicujus requiei indigus, prima ſua ſtativa eligere, in animum induxit. Invitavit eum non tantum loci ſumma amœnitas, ſed etjam felix illa eruditorum copia, qua præ multis Germaniæ Lyceis *Lipſia* ſemper effloruit. Habuit illatum in Theologicis & Philologicis CARPZOVIUM, ITTIGIUM, OLEARIUM MOEBIUM aliosque, quos longa referre mora eſt, quorum ſinguli, Noſtrum interius ſtatim admiſſum ita erudiendum accepere, ut haud pauca eum tenere facile animadverterent, unde vicem rependeret. Nullius vero notitia æque noſter lætatus eſt atque ARNÆ MAGNÆI, *Islandi*, Viri eruditiſſimi, quem Alumnum *Lipſia* eodem tempore tenuit. Uti hi ambo Antiquitatum Borealium erant amantiſſimi, atque, quæcunque illis lucem aliquam affundere poſſent, ſedulo conquirebant, ita ſtudiorum hæc communio animorum conjunctionem gignebat, adeo ut indivulſi hi comites eſſent, & totos dies una, illique ſoli, in Bibliotheca Lipſienſi

transſegerint, quæ indultu illius præfecti, Matheſeos Profeſſoris, PFAUZII, quavis hora & nullo alio præſente illis patuit. His, quas dixi, aliisque ad ſtudium Philologicum perficiendum curis ſemeſtre tempus *Lipſiæ* noſter impendit, cui antequam ultimum vale dicturus erat, in animum induxit, vicinas *Freybergæ* argenteas fodinas oculis uſurpare. Ad quod iter ſuſcipiendum allexit quoque jucunda & ſimul proficua illi oblata ſocietas Polydædali noſtri POLHEIMERI, qui eodem una cum BUSCHENFELDTIO noſtrate cogitaverat. Pererratis hic magnæ matris viſceribus, *Dresdam*, illam hodie adeo infelicem *Dresdam*, ſe contulit Noſter, in cujus Arce Regia pretioſam ſupellectilem multamque rerum viſu dignarum congeriem conſpexit. Sed nihil tamen hoc fuit ad illam voluptatem, quam ipaulo poſt *Wittebergæ* percepit, ubi Magn Noſtri LUTHERI & PHILIPPI MELANCHTONIS memoriæ tacita pietate inferias miſit, & quamvis ipſius rationes non permitterent, ut ibi diutius commoraretur, operæ tamen pretium ipſi videbatur, hæc ſuſpicere roſtra, unde purior lux Evangelica orbi primum, poſt adeo diutina deliquia, affulgere cœpit, quæque tum temporis eruditione cum aliorum virorum eruditiſſimorum perſonuere, tum inprimis

SCHURTZFLEISCHII atque DASSOVII, communis Suecorum tum peregrinantium in Litteratura Orientali Præceptoris. Noster inprimis hisce duumviris triste sui desiderium reliquit, ubi abiens ad suos *Lipsienses* denuo se contulit. Ab hac Academia prope abest altera, quæ illius jamdiu æmula, non minus divite virorum eruditorum copia semper effloruit, *Halam Saxonum* loquor. Hanc tum exornavit accuratissimus ille dicendi Magister, CELLARIUS, & quos principe loco nominare decuit, STRYKIUS & THOMASIUS, ambo utriusque juris peritissimi, & hic gratæ posteritati nunquam silendus, quæ, ubi GROTIO & PUFENDORFFIO, quam merentur nominis gloriam tribuerit, secundum hos neminem solidiorem, quam hunc eundem *Christianum* a disciplina morum gratiam iniisse, fatebitur. CELSIUS, cui illorum prælectionibus semel iterumque interesse dabatur, præter vulgatam fama eruditionem utriusque horum, summam in profitendo facultatem non sine admiratione animadvertit, & lætus breviuscula hac profectione ad sua se castra retulit, sed quæ tamen pro-
fectione ad sua se castra retulit, sed quæ ta-men mox mense Septembri movit, *Lipsiensesque* suas Musas tam enixe cultas valere jussit. Superfuit in universa Germania nul-

la majoris famæ Academia, quam noster insalutatam reliquerit, si ab una discesseris *Jenensi*, quam ut per transennam veluti intueri posset, per *Naumburgum* & *Leucopetram* iter eo direxit. Ad id allexit eum desiderium conveniendi viros illos eruditione Philologica inclutos, qui tum heic loci degebant, quos inter DANZIUM præcipue & SCHUBERTUM beatus CELSIUS honoris caussa nominare consuevit, ambo doctissimos & eruditis scriptis illustres. Duxit nostrum itineris ratio *Weimariam*, *Erfurtum* atque *Gotham*, ubi splendidum Nummophylacium, cujus accuratam descriptionem industria LIEBII confectam orbis eruditus ante viginti annos accepit, suis oculis usurpavit, & dein continuata per *Isenacum*, *Cassellam*, *Paderbornam*, *Cliviam*, *Arnhemium*, *Ultrajectumque* peregrinatione *Lugdunum Batavorum* pervenit, ubi aliquot menses commorabatur, ita tamen ut subinde *Hagam Comitum* & celebre *Amstelodamensium* emporium non raro inviseret. Vixit tum temporis, & studiosæ juventuti *Lugdunum* confluenti suam operam commodabat JACOBUS GRONOVIUS, quo Viro nescio an quid carius humaniores litteræ citeriori ævo habuerint. Et quum nosset Noster, quantum ab eo proficere posset, ille unus continuandi ulterius iti-

itineris mora fuit. Nec facti CELSIUM pœnituit; nam præter fructum quem ex consuetudine Viri hujus Litteratissimi percepit, accidit etjam, ut venum sub hoc tempore *Lugduni* exponeretur Bibliotheca *Goliana*, cum omni librorum genere, tum inprimis manu Arabica scriptis voluminibus exquisitissimis abundans. Nostro, utut per rationes illius non liceret esse emaci, sibi tamen temperare non potuit, quin varia inprimis ad Botanicen Orientalem spectantia coemeret, quorum tamen plurima alterius nomine pignori in Hollandia opposita, & postea non redemta apud Batavos remansere. Sed si ille CELSIO nostro industriæ fructus periit, non tamen nihil per hanc occasionem est lucratus. Nam uti universam Europam pervagata erat fama Thesauri hujus *Goliani*, ita confluxere eo plurimi undique Eruditorum, hastæ huic affuturi: quorumque amicitiam sibi conciliandi occasionem ita nanciscebatur CELSIUS. In primis autem volupe fuit *Amstelodami* convictu uti doctissimi longoque usu conjunctissimi Domini Professoris LAURENTII NORRMANNI, quo diligentiæ suæ magno teste heic illi uti aliquamdiu licuit. Peregrinabatur ille æque ac noster Regio sumtu, & tum forte ad Batavos pervenerat, eruditionis laude jam diu præ mul-

tis Europæ partibus celebres. Convenerat quoque NORRMANNUM inter & CELSIUM, ut primo vere iter in *Angliam* una instituerent: verum quum mare id temporis nimium quam infestum esset, consilium mutavere, & terrestri itinere in diversa abiere: illo Sueciam repetente, nostroque mitius cælum oppetiente, ut primo vere *Parisios* se conferret. Interea pro more suo Orientales litteras sedulo coluit, & inprimis *Amstelodami* Talmudica studia exercuit: in quibus facem sibi præferentem habuit eruditum Judæum, cui MARGOLITH nomen erat, & alterum ejusdem gentis, non minus harum litterarum scientem, DAVIDEM PINNA, Medicinæ Doctorem. Cogitaverat CELSIUS, uti jam modo dixi, hiemem *Lugduni* transigere, verum quum eum adorta vehemens febris doceret, suo corpori minus salubre esse cælum Belgicum, maturare abitum cogebatur, & sub anni exitum per *Flandriam Brabantiamque Galliam* petere. Non in illa concione verba facio, quæ moneri debeat, quanto cum fructu tempus suum heic collocare potuerit Noster. Nam licet magna pars frivolæ Juventutis peregrinæ *Parisios* non nisi luxu & morum corruptelis censeat, proque expensa pecunia hinc nihil aliud, quam nominis infamiam & effetum corpus referre so-

ſoleat, ſciunt tamen, qui ſanctius vivere, & ſanius judicare didicerunt, nullum eſſe in Europa locum, qui pluribus locupletioribusque, quam hæc urbs, inſtructus ſit Bibliothecis, plures oſtentet eruditos, & ubi litteræ artesque majori in pretio ſint, adeo ut noſtra Patrumque memoria *Lutetia* idem Europæ ſit, quod Athenæ olim Græciæ vicinisque regionibus. Ut CELSIUS in eorum notitiam ſtatim perveniret, a quibus inprimis proficere potuit, effecit tam humanitas Oratoris ad Aulam Gallicam Suethici, Dom. ISACI CRONSTROMII, quam contracta ſtatim cum ROSTGARDIO, Dano, amicitia, qui quemadmodum ſingulari ſtudio linguas eruditas excoluit, & communibus cum CELSIO utebatur magiſtris, ita ſtudiorum hæc neceſſitudo jungendæ amicitiæ prima ſemina jecit. Ille deinde, uti vetuſtior hoſpes, familiarius jam utebatur Bibliothecæ publicæ Præfectis, CLEMENTE & BOIVINIO, quibus commendatus CELSIUS facultatem nanciſcebatur ſplendido hoc theſauro non ſecus utendi, ac ſi ſui eſſet peculii. Tranſigebat illic Noſter ſæpiſſime magnam diei partem, & ex divite illa voluminum manu ſcriptorum copia, quibus referta eſt Bibliotheca Regia, in ſuos uſus & adverſaria, quorum uſus erat, impigre tranſtulit. Nihilo difficiliores ſeſe

præbuerunt ceteri Bibliothecarum præfecti, quorum non solum consuetudine cum fructu sæpe utebatur, sed & erudito indicio, qui mortui magistri in re quacunque ab ipso consulendi essent. Dabat ille quidem subinde succisivas nonnullas horas DODARDO, TURNEFORTIO aliisque Antistitibus Botanici studii, quod ab ineunte ætate adamaverat, sed ita tamen ut Linguæ Orientales primas industriæ ejus partes sibi semper vindicarent. Erat quoque tum forte *Parisiis* eruditus Maronita de monte Libano, SALOMON JACOBUS appellatus, qui Linguam Arabicam non solum ipse solide calluit, sed & alios eo felicius docere potuit, quo a Lingua Latina Europæisque aliis instructior erat. Hoc magistro per omne, quo *Lutetiæ* versabatur noster, tempus diligentissime usus est, illum sectabatur, illum socium habebat, quoties vel extra urbem Palatia Regia visum ivit, vel intra urbis muros in amœnissimis hortis publicis obambulabat, ut ita nec illæ horæ, quæ relaxando animo concedi videbantur, absque fructu abirent. Profecit quoque tantum sub hujus magisterio, ut quosvis difficiliores libros non tantum expedite legeret, sed haud paucos in Latialem Linguam transferret. In lucro etjam posuit noster, dum in his studiis totus erat, viros

eru-

eruditissimos Abbatem LONGUERICÆUM atque Professorem *Sorbonensem* PIQUESIUM sibi conciliasse, quorum ille in vertenda historia Arabica Tamerlani tum temporis occupabatur, & de cetero in litteratura omni orientali longe lateque inclutus erat, hic in Copticis studiosam operam collocavit.

Et hi Sirenum scopuli erant, ad quos ultra medium anni 1697. affixus hæsit CELSIUS Noster, tum vero rumpens amœnas *Parisiorum* moras per *Antissiodorum*, *Divionem*, *Lugdunum*, *Avenionem*, *Nemausum*, *Monspelium*, *Arelatem* & dein per *Aquas Sextias Marsiliam* tetendit: in qua non situ minus quam cæli clementia amœnissima urbe aliquantulum substitit, & interea jam per suburbana loca Floræ delicias delibavit, jam virorum eruditorum colloquia studiose sectabatur. Offendit inter alios quemdam SIMEONEM GEORGIUM, sororis filium notissimi Armeniacæ Ecclesiæ Archi-Episcopi OSCANIS, qui in Europam delatus non Biblia Sacra solum sed etiam alios utiles libros Lingua Armena imprimendos primus curavit. Ab hoc SIMEONE, ad quem per hereditatem vis ingens horum librorum pervenerat, nonnullos coemit noster, quos deinde domum asportatos, una cum pluribus aliis, ad Philo-

Philologiam Orientalem ſpectantibus, Bibliothecæ publicæ ceſſit. *Maſſiliæ* CELSIUS in navem conſcendit Gallicam, quæ *Smirnam* & dein *Conſtantinopolin* verſus vala erat factura: verum enim vero mutaſſet libenter factum, ubi eandem in mari Mediterraneo hoſtilis myoparo conſectari incepit, atque id ita, ut dum magiſter navis fugæ omnia vela expanderet, CELSIUS cum ceteris vectoribus imbelles manus gladio adaptare cogeretur, & ſinere, ut ad bellicum tormentum accendendum in ſtatione collocaretur. Accidit tamen inſperato ſortis favore, ut in tutum evaderet ad *Antipolin*, maris Mediterranei urbem, quo cum commeatum comparaturus eſcenderet, novas ærumnas devorandas accepit. Dominus quippe navis, forte ut ſarcinulas CELSII lucraretur, antequam hic ad portum redire poſſet, altum petiit, ad propere accurrentis CELSII vocem ipſis ſcopulis ſurdior. Noſter non ſine gemitu fugientia vela oculis ſecutus, licet panſis palmis oraret, ut curſum reflecterent, ſeque exciperent: indignabundus tamen in ventos ſuas abire preces animadvertit, ſeque ſolum in nuda deſtitui arena. Quod ſupererat peregrino locorumque imperito, & inſuper ſupellectile ſua nudato fuit unicum conſilium, ut in exiguis navigiolis oceano

ſeſe

sese committeret, donec per *Francopolin* tandem *Genuam* perveniret, in cujus portu vix speranda felicitate navem, qua nuper vectus erat, reperit, sed adeo fractam ventorum vi quassatamque, ut reficienda exonerari necessum habuerit. Noster interea reculas suas salvas accepit, sed ita tamen ut per omnia sacra voverit, se adeo infido sodalitio semet ulterius non esse permissurum. Sub hoc in mari mediterraneo facto itinere, Principi Persico, qui e Gallia redux ad suos per *Constantinopolin* iter meditabatur, CELSIUS forte innotuerat. Hic, ut Nostrum, dum una vehebantur, multa humanitate acceperat, & familiarius amplexabatur, ita dum *Genuæ* illum denuo vidit, novitque, Orientales plagas eum jam dudum animo meditatum fuisse; obtulit itineris societatem & omnes illi impendendos sumtus. Noster tam prolixam Principis hujus benevolentiam exosculatus, in eo erat, ut itineri huic sese accingeret. Sed retinuit, nescio quis, felix genius & singularis fatorum favor: haud per ambages enim postea animadvertit, si eo se contulisset, eandem ipsi subeundam fuisse sortis inclementiam, quam sub suo reditu per Moscoviam experti fuere BRENNERUS nostras, quique Persici itineris socii erant reliqui.

Post-

Postquam itaque Principis comitate sese uti non posse significasset, *Liburnum* deproperavit, ubi non tam divites ab utraque solis domo collatas merces admiratus est, quam potius ad doctiores Rabbinorum sese applicuit, qui ibi celebrem Synagogam, inque suæ inprimis societatis usum locupletem tabernam librariam meris Rabbinicis scriptis refertam habent. Nec insalutatum reliquit FRANCISCUM BALDINUM, Presbyterum, qui in eo jam erat, ut Lexicon Armenicum conficeret, suffultus opera Sacerdotis ejus nationis, quem ad manus continue habuit. *Liburno* post octiduum relicto peregrinator noster *Pisas* se contulit, dein ineunte mense Septembri *Florentiam*. Ubi cum inaudiret, popularem suum, MAGNUM GABRIELEM BLOCK sedes fixisse, inque Aulam Magni Ducis *Etruriæ* acceptum ipsi ab epistolis esse, postridie adventus sui illum adit, & mox ab eo non hospitio modo sed & mensa humanissime acceptus est: Quumque idem BLOCKIUS ab illustri & per universum orbem incluto Bibliothecario Florentino summopere amaretur, factum est, ut brevi in ipsius notitiam novus hic hospes perveniret, quam non tantum donec *Florentiæ* erat studiose coluit, sed & postea datis ad eum litteris diu continuavit. Earum

unas

unas tantum in præſentia commemorabo, quas *Romæ* prelo ſubjiciendas curavit, & in quibus de *Runis Helſingicis* earumque figura & poteſtate, re ſane orbi Italico plane nova, & neſcio an inaudita, eleganter diſſeruit. Habuit *Florentia* noſtrum ab initio Septembris ad medium menſis Aprilis anni ſequentis, quod tempus inter Bibſiothecas & eruditorum colloquia partitus eſt, niſi quod, ita ferente occaſione, jam ſplendida loci palatia, non multo tantum auro & marmore exterius renidentia, ſed & interius ſumtuoſiſſimis aulæis, tabulis ſummorum artificum MICHAELIS ANGELI, RAPHAELIS URBINATIS, TITIANI aliorumque ornatiſſima examinavit, jam ritus ſacros Eccleſiæ Romanæ accuratiori oculo obſervavit. Poſtquam illius deſiderio penitus heic loci ſatis factum erat, in interiores Italiæ partes penetrare volupe erat, & in primis rerum illam olim Dominam, urbem, inquam, *Romam*, quam a primis juventutis annis ſuſpicere didicerat, ſuis oculis uſurpare. Relicta itaque *Florentia Senas* primum adiit, & dein per *Montem Politianum* & *Faliſcum*, utrumque generoſiſſimo ſuo vino nobilitatum, perque *Witerbium* ad *Tiberis* littora & Italici orbis Metropolin pervenit. Noſter autem ut jam diu aſſueverat, nihil incurioſis oculis videre,

ita

ita eos in hoc orbis compendio rerum visendarum copia adeo obrui sensit, ut multa intuitu obeundo nesciret plane, ubi primum lumina figeret. Maxima vero voluptate eum detinuere splendida illa vetustatis monumenta, quæ adhuc magnitudinem Romanam ostentant, arcus loquor triumphales TITI VESPASIANI, CONSTANTINI MAGNI aliorumque, immensæ molis obeliscos, ex *Ægypto* aut *Constantinopoli* per mare transvectos, Circos & Amphitheatra tantæ capacitatis, ut nonaginta millia hominum inde ludos commode spectare potuerint, Pontes, Naumachias & Aquæ ductus stupendi artificii, templa a Paganismo inde residua, Mausolea, cryptas & catacombas, humanæ fragilitatis superba monumenta, statuas denique summorum Virorum memoriæ erectas, & summorum artificum manibus sculptas. Per vos animadvertitis, Auditores, quanta cum voluptate noster per splendida hæc rudera obambulaverit; quam jucundum spectaculum singula horum obtulerint, ut fuerit lætatus, dum septem illos pedibus emetiretur colles, illaque fora, quorum toties in scriptoribus Latinis mentionem factam viderat, quæque tot egregiis facinoribus nobilitarunt magnæ illæ animæ, quas nobis admirandas sistunt historiæ. Æmulata est prisci ævi ma-

magnificentiam recentiorum Pontificum cura, condendo ingens *vaticanum Palatium*, quod unum urbis inſtar habet, nec non ſplendidiſſima templa, & in hoc numero illud inter recentiora mundi miracula relatum Fanum Petrinum, aliaque innumera. Invenit CELSIUS novitatem his gratiam addere, ſed nihilo minus tamen inter medias vetuſtorum operum parietinas & mutilatas ſtatuas conſpexit aliquid, quod in admirationem eum adeo rapuit, ut ab illis oculos avertere nequiverit; Vos vero, Auditores, quid futurum cenſetis, ſi AUGUSTO regnante illa conſpicati fuiſſemus; immo creditisne, veniam dandam AUGUSTINO, qui, ſecundum CHRISTUM in carne & PAULUM in ore, nihil æque videre voluiſſet, ac Romam in flore. Noſtro eo facilius omnia patuere, quo ſollicitius eum variis amicis per litteras commendaverat humaniſſimus MAGLIABECKIUS. Factum hinc eſt, ut tam Auguſtiniani ordinis erudiriſſimum membrum GUILIELMUS BONJOUR, quam PROSPER MANDOSUS, Eques Italus, aliique certatim noſtrum amplexarentur, &, ubi quid viſu dignum noſſent, ultro deducerent. Ita breviter percenſuit, quod alii ſciſcitando longo labore vix indagant. In primis vero Noſtri diſcendi cupidam men-

tem, pro illius more, detinuere ſplendidæ illæ Bibliothecæ, quæ *Romæ* conſpiciuntur, quas inter eminet *Vaticana*, innumeris rariſſimisque voluminibus manuſcriptis ſuperbiens. Quam vero doluit, eandem haud pridem locupletatam videre noſtris bonis, Bibliotheca CHRISTINÆ Reginæ, quæ poſtquam avita ſacra turpi defectione projeciſſet, hæc patriæ ademta pretioſa ſpolia ſuæ levitatis monumenta eſſe voluit. Taceo, quæ vidit CELSIUS nummophylacia, cimeliothecas, ſplendida palatia, ſumtuoſos hortos, coenobia, ædificia publica & alia, per quæ ſingula ſi ire vellem, dies & veſtra me patientia defectura foret.

Tertius jam vertebatur annus, ex quo patriam ſuam reliquerat CELSIUS noſter: non itaque mirari convenit, ſi partim deſiderium ſubierit priſtinos reviſendi lares, partim etiam itineris impenſæ maturandi reditus admonuerint. Collegit itaque noſter ſua vaſa, atque die IX Maji *Romæ* longum vale dicens *Lauretum* ſe contulit, ubi non ſine admiratione vidit, quanta cum indulgentia, ut mundus decipiatur, ſinant Pontifices Romani, quantaque arte, aut dolo potius, hominum ſuperſtitione abutantur ad eos bonis ſuis emungendos. In domunculam nempe, quæ eadem eſſe fingitur, in qua virgo Maria nata, & ubi

car-

carnem assumsit mundi Salvator, quæque, ne Geographi errorem detegant, ab Angelis, primum in Dalmatiam, & dein huc, ubi jam visitur, transportata fingitur, quicquid orbis catholicus, Reges atque Principes habent pretiosi, adamantes & auri argentique immensa pondera quotidie conferuntur. Nostrum non tam ad admirationem hæ congestæ opes, quam potius ad misericordiam permovit vulgi stupor, peregre catervatim venientis, ut per omnes templi gradus reptans, aliquid suarum rerum huic domunculæ aut ejus imaginibus affricet. CELSIUS ulterius per *Bononiam Ferrariamque* iter suum continuavit, & ad Adriatici sinus undas deinceps divertens, in illis stantem urbem *Venetam* vidit, desponsatoque mari jura ponentem. Circumtulit heic pro more in sua commoda intentos oculos, hoc est accurate sciscitatus est, qui in urbe illa eruditione potissimum censerentur; ubinam instructissima essent Bibliopolia; qui aditus quærendi essent ad cimeliarchium *S. Marci*, *Contarenum*, *Ruzzinianum* ceterave, quibus *Venetias* abundare constat. Quum hisce deliciis suum satis pavisset animum, obiter *Patavium* invisere statuit, unde *Venetias* redux Italiæ relinquendæ sese accinxit, superatisque difficili itinere *Alpinis* montibus, per *Carin-*

tiam Stiriamque Vindobonam venit. Jam diu gestierat CELSIUS, hanc, Austriæ dicam an Germaniæ, metropolin salutare, non tam ut pompam Aulæ Cæsareæ admiraretur, quæ jam tamen solito non potuit non conspectior esse, quum eodem forte tempore PETRUS I. Magnus Dux & dein Imperator, LEOPOLDI imperatoris hospitio, ut incognitus, uteretur, quam quia novit, heic loci, pro crebris, quæ cum Aula Ottomannica intercedunt, commerciis, non defore eos, qui Linguarum Arabicæ, Turcicæ Persicæque periti essent. Nec animi falsus fuit; offendit enim heic simul trigam virorum in his studiis versatissimorum, MENINSKIUM nempe, celebrem Thesauri Linguarum auctorem, & hoc nihil inferiores BOERINGERUM & PODESTAM; quo ultimo in Lingua Persica, donec *Vindobonæ* fuit, fideli Præceptore utebatur, diutiusque uti voluisset, nisi reditum ursissent amicorum preces & suæ ipsius rationes. Tempori itaque cedens *Vindobonam* reliquit, atque ut ACOLUTHUM, virum Arabice, Persice & inprimis Armenice doctissimum convenire posset, *Vratislaviam* petiit, votique damnatus inde *Francofurtum ad Oderam*, & mox *Berolinum*, *Stetinum Gryphisvaldiamque* & demum *Stralsundam* delatus est. Animadvertitis haud dubie,

Audi-

Auditores, me feſtinante oratione CELSIUM propero curſu ad ſuos anhelantem æmulari velle, adeoque ſilentio prætermittere, quam gratum ipſi fuerit *Berolini* LACROZIUM, *Gryphiswaldiæque* GEBHARDIUM & non paucos eruditorum alios inviſiſſe: admonet quippe temporis ratio, ut Noſtrum a ſatis longinquo itinere in patriam reducem conſequamur, &, quæ Eum exantlati laboris præmia domi manſerint, diſpiciamus.

Poſtquam Noſter trajecto Balthico mari lætus ovansque *Yſtadium* perveniſſet, citato curſu *Holmiam* petiit, redditaque ſuæ peregrinationis ratione Illuſtriſſimo Excellentiſſimoque Academiæ Cancellario. Domino Comiti ac Regio Senatori, BENEDICTO OXENSTIERNA, *Upſaliam* deproperavit, antiquos lares & jam diu non viſas neceſſitudines denuo ſaluturus. Incredibile vero dictu eſt, quam lætis ulnis a notis ignotisque acceptus fuerit; quantumque a CELSIANO ingenio ſibi illico promiſerint tam docentium quam diſcentium ordinis omnes. Quod quoque Regi noſtro Sereniſſimo, CAROLO XII. tum imperii ſceptra nuper capeſſenti, ſingulares illius ingenii dotes innotuerint, exinde patet, quod intra vertentem annum Facultati Philoſophicæ Regio diplomate adjunctus fuerit.

Quo munere accepto, licet operam ſuam communi juventutis Academicæ uſui pactus erat, nihilominus laborioſo ingenio ſupererat tempus, quod privatæ informationi ſeponere poſſet nobiliſſimorum Juvenum, CAROLI & GUSTAVI ISERHIELM, filiorum MATTHIÆ ISER, Epiſcopi *Aroſienſis*, multis nominibus famoſi. Manſit in hac ſtatione ad annum usque hujus ſeculi tertium, quo ejusdem clementiſſimi Regis gratia Secretarius Academiæ Upſalienſis conſtitutus eſt. Sed id ita tamen, ut aequiora fuerint fata, quam ut diu eum detinuerint in ſtatione, Academiæ quidem multum referente, ſed cui tamen æquiſſimo animo non inſeneſcunt, qui Muſas vere amant: intra alterum enim menſem, quam hoc ei munus obtigit, Profeſſio Litterarum Græcarum, a JOHANNE ESBERGIO hucusque ornata, melioribus auſpiciis in ipſum collata fuit.

Erat CELSIUS, dum Academica hæc roſtra primum conſcendebat, in ipſo ætatis flore conſtitutus, & inſuper omnibus inſtructus præſidiis, quæ Doctorem Academicum vulgo eximere poſſint. Nam præter Linguarum Orientalium cognitionem, in qua ſine pari excellere noſcebatur, haud vulgari ſuffultus erat ceterarum, quæ ab humanitate nomen ſortiuntur, diſciplinarum

rum cognitione, quæque, severioribus illis additæ, mirum quantum ornant. Concesserat illi insuper favens natura insolitam animi corporisque firmitatem: quod & effecit, ut labore, quantumvis pertinace, nihil frangeretur, & tanto plurium desideriis sufficere posset, sive scholas ejus privatas desiderarent, sive quis meletema aliquod Academicum sub ejus auspiciis publico offerre vellet, sive tandem ipse quid meditaretur cum orbe litterario communicandum. Incredibile etiam dictu est, quanto Academicæ juventuti incitamento fuerit alacritas illa, qua tam sua ipsius studia obibat, quam aliorum ursit: unde factum est, ut, dum ille Græcas Litteras profiteretur, in nullius non manibus esset *Homerus* & *Hesiodus*, dumque postea Orientis linguas doceret, tam frequenti studiosorum corona stiparetur, quam paucos hodie, nullius tamen nisi seculi vitio, cultores hæc studia inveniunt, pauciores propediem, nisi meæ me fallunt aves, inventura.

Decurrere ita integri novem anni inter continuos muneris labores, nullisque nec infortuniis, nec faventioris sortis muneribus insignes, nisi forte quod anno hujus seculi septimo muneri ejus annexa fuit cura parœciæ *Börjensis*, & insuper, tanquam Præposito, inspectio *Ullerakerensium* Ec-

clesiarum. Hæ tot demandatæ provinciæ, tot etiam publici favore & indies magis magisque crescente CELSIANA fama arcessita avocamenta, ut sunt inspectiones Nationum, quas vocant, cura specialis honestioris loci Juvenum, responsa consultantibus extra ordinem danda, non potuere tamen, aut saltem non visa sunt potuisse Nostri studia interpellare. Requirebat muneris ratio, ut in Hellade CELSIUS totus esset, sed, utcunque omnes hic numeros impleret, traxit tamen sua Eum lubido ad Palæstinæ vireta, in quibus laborum suorum requiem vel mercedem potius quærebat. Commode itaque accidere visum, ut anno seculi hujus duodecimo Professio Ling. Orientalium ordinaria, ex auctoritate Senatus Regii, ipsi demandaretur: verum quum Rex gloriosissimus *Carolus* XII. absens, & rerum, quæ domi Ejus auspiciis gererentur, ignarus, eandem spartam conferret Mag. MICHAEL ENEMANNO, qui nuper Orientales plagas jussu & impensis regiis lustraverat; Græcanicarum Musarum conditionem recipere, CELSIO necesse fuit. Post biennium vero, ubi ENEMANNUM præpropera fata abstulere, Noster, non ambiens nec petens, Sacræ Regiæ Majestati ab universo Collegio commendatus est, idque ita, ut professus fuerit

rit Senatus Academicus, quicquid fuerat Candidatorum verecundatum fuiſſe, cum CELSIO nomina ſua profiteri. Annuit Rex clementiſſimus tam juſtis Academiæ Upſalienſis deſideriis, Regioque diplomate Profeſſionem Linguarum Orientalium CELSIO demandavit. Perrexit Ille ſolita in novo munere diligentia, lætatus, liberiorem ſibi campum apertum, communicaturo, quæ in Philologicis inobſervata aliis noſſet: Perrexit, inquam, publice privatimque prælegendo, variasque pulcerrimi & rarioris argumenti diſſertationes edendo, in quibus licet cum Reſpondentium conatibus ſæpe confundatur Præſidis obſtetricantis induſtria, elucet tamen in plurimis earum merum CELSIANUM ingenium, hoc eſt, multa perſpicacia, diffuſa ſuffulta lectione. Inter has duas tantum in præſentia commemorabo, alteram Latine ſcriptam, ſed vernacula lingua, juſſu ſuperiorum, habitam *de Regis Meſſiæ pulcritudine*, cui præ ceteris id contigit, ut ipſi defendendæ intereſſe dignata fuerit Princeps Auguſtiſſima, ULRICA ELEONORA, Sceptra Suiogothica poſtridie ejus diei capeſſitura, comitata Sereniſſimo Principe, Haſſiæ Hereditario & poſtea Sueciæ Rege Clementiſſimo, FRIEDERICO I. una cum univerſa Aula & regni Proceribus: Altera eſt, quam ipſe edidit in infor-

mationem convenientis ad ſynodum anniverſariam Cleri Uplandici, cuique titulus fuit, *de Peccato in genere.* Docuit vel illa ſola, digniſſimo impertitos fuiſſe ſummos in Theologia honores, qui juſſu ejusdem Sereniſſimæ Reginæ & diſtribuente MATTHIA STEUCHIO, Archi-Epiſcopo & Pro-Cancellario Upſalienſi, Noſtri mox tribuebantur.

Annus fuit undetrigeſimus hujus ſeculi, quum Theologica ſcientia, a qua adeo bene meritus Summe Reverendus CELSIUS jam diu fuerat, nexu velut & mancipio eum ſuum fecit. Tum ſcilicet litteris Regiis clementiſſime illi credita fuit Cathedra Theologica, quam hucusque tenuerat Ejus olim Præceptor, Dominus Doctor JOHANNES PALMROTH, quamque ſincera pietate & indefeſſo ſtudio Noſter ornavit, donec poſt ſeptennium ducente ordine princeps inter ſuæ Facultatis membra, Diœceſeos Upſalienſis Archi-Præpoſitus, & utriusque parœciæ Upſalienſis Paſtor renunciaretur.

Non eſt, quod dicam, Summe Reverendum Virum nullas muneris ſui partes, dum vires & valetudo ſinebant, prætermiſiſſe: conſtat potius, ad illa laborioſam Ejus indolem ſe diffudiſſe, quæ vel ab Illo non requirerentur, vel quæ ideo tantum requi-

requirerentur, quod ubique teſtatum erat, promtiſſimum ipſius de publico bene merendi ſtudium. Sic inter illa Membra, quæ Res Eccleſiaſticas *Holmiæ* ordinarent, ille nominatus eſt: Quum in patriam linguam transferendi erant Libri Symbolici, nullius perſpicaciæ certius, quam Hujus confidere ſibi viſi ſunt Superiores. Taceo, quid temporis abſumſerit vicarium Pontificatus munus, quod abſentibus vel mortuis Archi Epiſcopis ipſi gerendum fuit, quodque adeo ex omnium ſententia obiit, ut ipſe non tantum a *Carlſtadienſi* Diœceſi Præſul expetitus, ſed bis etjam Archi Epiſcopali infulæ plurimis honorificentiſſimisque ſuffragiis deſtinatus fuerit.

Sed maluit Ille in ſecundis ſubſiſtere, ſuamque gloriam, non tam in titulorum ſplendore, quam potius in recte & laudabiliter factorum conſcientia quærere, uti quoque nemo ab omni faſtu illo fuit alienior, nemo in univerſa vita communior. Aſſignabimus id forte partim longæ experientiæ, quam habuit, quantum ſit in rebus inane, partim connatæ Ejus animi æquabilitati, quæ effecit, ut res quasvis & fortunæ vices, tanquam ſe inferiores pæne inobſervatas prætermiſerit, nullaque re, nedum ullo damno, animum ſuum de gradu dejici, paſſus fuerit. Factum hinc eſt, ut

ut vegetum & corpus & mentem ad extremam usque vitæ calcem ſervaverit, annique, qui aliis moroſitatem affricare ſolent, illi fere deterſerint, ita ut venerabili hoc Sene, quod nos omnes teſtari poſſumus, nihil jucundius, nihil facilius fieri potuerit. Illa quoque diſcendi aviditas, quæ junioribus annis tam pulcros Ipſi ſtimulos addidit, nec ſub ultima canitie conſenuit. Bone DEus, quane lætitia ſuffundebantur vegeti illi oculi, quibus non armatis ad rogum usque uti poterat, ſi vel in novum Runicum cippum alicubi incidit, vel litterula quadam Helſingicas Parentis Runas augere potuit, uti revera binas adinvenit, vel tandem ſi forte inſolitam alicubi plantam, aut rarius in natura phænomenon offendit. Hinc grave quoque non duxit, ſub æſtivo Muſarum juſtitio ante paucos annos, & ſæpe alias, ſenili pede *Roslagiæ* dumeta perreptare, viſurus, an aliquid rari invenire poſſet, ut cum LINNÆO ſuo hæc deinde partiri poſſet gaudia. Et hæ fere æſtivæ, uti dixi, illius fuere recreationes: quod medium erat temporis, in ſuo Muſeo tranſegit, ubi a diluculo ad ſerum diei libris incubuit, idque ita, ut ultimis annis, quum videret, parcendum eſſe luminibus ſuis, anagnoſta uteretur, qui, inprimis veſperaſcente cælo, aliquid prælegeret. Per

adeo

adeo indefeſſam diligentiam fieri non potuit, quin multa ſemper diſcens conſeneſceret noſter, multaque colligeret, quibus erudiri poſſemus. Et habemus quoque haud paucos illius fetus, ſuo non pœnitendos Parenti, quosque ſi vel breviter nominavero, faciam, quod a meo officio alienum haud exiſtimabitis.

Prætereo autem diſſertationes ab illo juvene editas; diſſertationemque Epiſtolarem ad MAGLIABECKIUM, Florentinum, de *Runis Helſingicis*, Romæ impreſſam, non quod juvenile quid contineant; ſed quia antea a me ſunt laudatæ, & potius ad illa me confero, quæ maturiori ætate illius exercuere ingenium. Superius a me indicatum eſt, inde ab eo tempore, quo primum Philologica ſtudia majori niſu noſter excolere cœpit, cum animo ſuo Illum ſtatuiſſe, de *Herbis Biblicis* aliquid commentari: & ut plurimos noſtrum caſus & imitatio potius, quam noſtra ipſorum conſilia vitæ ſtudiorumque rationem fingunt; ita commode accidit, ut Noſter Parentem haberet Botanophilon, & junioribus adhuc annis a Præceptore, PALMROTHIO, amorem Linguarum Orientalium combiberet. Conjunctio ſtudiorum adeo inter ſe diſſitorum CELSIUM inſtruxerat neceſſariis ſubſidiis, ad tantum opus inſtituendum, ad

quod

quod etiam curam & industriam suam ita convertit, ut quicquid in exteris Bibliothecis, apud Arabum Medicos & Botanistas, in Rabbinorum scriptis, in diariis denique peregrinantium inveniret, id omne in sua conferret adversaria. Sui autem instituti omnium primum specimen edidit dissertatione Academica *de Spina* חרק, quæ ante hos quatuor & quinquaginta annos prodiit, quamque excipiebant duæ *de Palma*, quæ subsecuturi & nondum editi operis majoris de eadem arbore adumbratio erant, & tandem Schediasma *de* אבטחים *sive Melonibus Ægypti, ab Israëlitis desideratis*, Lugduni Batavorum impressum Anno 1726 apud *Conradum Wishof* in forma octava. Interea varias Dissertationes ad illustrationem historiæ Patriæ publico communicavit, quas inter eminent *Incerti Scriptoris Chronicon Archi-Episcoporum Upsaliensium*, una cum *Serie Regum Sueciæ Christianorum*, nec non alterius pariter *Anonymi Chronicon Rerum Suigothicarum*, utrumque annotationibus optima fruge plenissimis refertum. Invenerat utrumque inter collectiones sui Parentis, una cum pretiosissimo illo *Diario Wadstenensi*, quod typis paraverat Noster, & cum suis annotationibus editurus fuisset, nisi Reverendissimus atque de historia Patriæ meritissimus, Dominus

Do-

Doctor & Archi-Episcopus, ERICUS BENZELIUS, in se hunc laborem suscepisset. Ad hanc classem etiam referenda sunt *Scripta* illa *Amœbæa*, quæ ex occasione datæ explicationis nonnullorum lapidum Medelpadicorum prodiere, & in quibus eandem adversus crisin BIOERNERIANAM defendit: uti quoque, ne periret MAGNI CELSII Oratio, de *Runis Helsingicis*, a me antea memorata, eam una cum *Oreadum Helsingicarum* gemino Schediasmate prelo subjiciendam curavit. Nec sine summa laude heic commmemorari debent observationes illæ, quas *Actis Upsaliæ Litterariis* innexuit noster, titulo tanto justiore heic nominandæ, quod si quam gratiam a Republica litteraria iniit hæcce Societas, præcipua illius pars debeatur Nostro, qui una cum ERICO BENZELIO & OLAVO RUDBECKIO, Viris summis, eandem formavit, primaque Acta anno seculi hujus vigesimo edidit. Inseruit iisdem Noster haud paucas observationes reconditæ eruditionis, partim ad Botanicen Sacram Orientalem spectantes, uti illam, qua explicat, quid in libris Regum significent פקעת & פקעים, cucumeres scilicet agrestes, non vero colocynthides, uti vulgo creditum fuit; partim etiam antiquitates Patrias illustrantes, uti plusculas observationes, quibus monumenta Runica

nica suis temporibus reddit, docetque, bonam earum partem Christianismi heic introducti tempora non antevertere: eas scilicet, quæ vel preces ad DEum verum fusas continent, vel quæ nomina Christiana, aut peregrinationes in Græciam institutas commemorant, utpote quas alias non esse docet, quam quæ a Borealibus *Wæringis* vel Βαϱάγγοις Constantinopolin suscipiebantur. Sciens prætereo Viri eruditissimi varia programmata, carmina item Græca, Latina, Suethica, partim edita, partim inedita, immo orationes varias. inter quas illa, qua funus MATTHIÆ STEUCHII, Archi-Episcopi Upsaliensis celebravit, a me multis nominibus laudanda fuisset. Sed propero ad illud opus, quod inter literaria Ejus postremum fuit, cuique ut colophonem adderet, propitia fata Eum superstitem servasse videntur. Est hoc *Hierobotanicon* illius, opus, quod in forma, quam octavam vocant, duobus justis voluminibus annis 1745 & 1747 prodiit. Ignorat nemo, qui in studio Philologico plane hospes non sit, iisdem tenebris, quibus Zoologia Biblica ante BOCHARTUM obvoluta fuit, ad nostra usque tempora laborasse Botanicam Sacram, ita quidem ut pro herbis arbores, & versa vice, posuerint interpretes, immo nonnunquam mira metamorpho-

si

si flores Biblicos in animalia converterint. Animadverti equidem BOCHARTO in animo fuisse, hoc incommodo orbem litterarium liberare, atque *Hierobotanicon* eadem methodo, qua *Hierozoichon*, conscribere: sed veri simile est, adeo eum occupasse hoc & æternum Geographiæ Sacræ opus, ut aliis meditationibus vacare non potuerit. Reservata itaque hæc adorea OLAVO CELSIO fuit, qui tanta eruditione Suum Paradisum sacrum instruxit, ut, si ingredi eum licuisset LEMNIIS atque URSINIS, suorum haud dubie eos paupertinorum pœnituisset hortorum. Non a me exspectabitis, Auditores, ut quid hæc volumina contineant scitu dignum Vobis edisseram: qui ea vel fugitivo oculo conspicatus fuerit, animadverterit haud dubie, in illis contineri, quicquid in hac Philologiæ parte sciri possit, uti quoque exteri eruditi, dum CELSIANUM hunc fetum orbi Litterario ostendunt, eum ad sidera usque evehunt, indignanturque, si quem viderint recentiorum, tam parum habere ingenii, ut Nostro non assurgat, nec demum dediscere voluerit, אלון & איל pro *quercu*, ברוש & ארן pro *cedro*, ארן pro *orno*, ut millena alia prætermitteam, habere. *) Præter hæc, quæ

*) Nullibi magis O. CELSIUS, vir revera Magnus

quæ typis publicata habemus CELSII ſcripta, ſunt etiam alia, quæ affecta in ſcriniis ipſius amicorumve latent. In hoc numero poſuero *Lexicon Arabicum*, quod ulterius perficiendo labori GOLIANO CASTELLIANOque deſtinaverat. Quum vero ſub ingraveſcente ſenecta animadverteret, non permiſſura fata, ut huic operi ſupremam manum adderet, apud neminem has ſuas col-

gnus, ſtupendam ſuam in Orientali Litteratura æque ac in ſtudio Botanico eruditionem probavit quam in *Hierobotanico*, opere omnino præſtantiſſimo & immortali. Cum eodem Philologorum nemo ſine ſuo diſpendio carere poſſit, doluimus dudum rariorem ejus eſſe copiam. Aſt magnopere gaviſi ſuimus, quam primum Celeberrimus Gœttingenſium Philologus, J. D. MICHAELIS, in *praefatione ad Partem poſteriorem* præſtantiſſimarum *Praelectionum R. Lowthii de Sacra Poeſi Hebraeorum* indicavit, Hierobotanicum hoc Celſii, adnotationibus ejus auctum, & imaginibus plantarum rariorum illuſtratum per Bibliopolas eosdem, qui Lowthium publicarunt, recuſum iri. Gaviſi fuimus recudendi hujus operis curam pro ſuo in litteras amore ſuſcepiſſe Virum omnibus eruditionis hujus generis copiis inſtructum, atque adeo huic operi & ornando & perficiendo quam maxime parem, nullique ſecundum. Conſulat modo Vir Illuſtris boni, quod Ipſum, ut editionem hanc reipublicæ Litterariæ magno cum emolumen-

collectiones melius collocari posse credidit, quam apud collegam nostrum honoratissimum, & Poëseos Professorem celeberrimum, Dominum CAROLUM AURIVILLIUM, Arabicæ Linguæ ceterarumque Orientis scientissimum. **)

Deinde dignissima quoque est, quæ cum laude nominetur Philologia ejus Botanica, quatuor sat spissis voluminibus comprehensa; quam, ubi ex adversariis sua manu nitide transscripserat, legavit Museo horti nostri Botanici. Collegit ibi uno fasciculo quidquid de singulis plantis herbisque traditum reliquere Medici & Botanici Arabes, Talmudistæ, quicquid Græci Latinique scriptores, non solum qui hoc studium professi sunt, sed Geographi, Rei Rusticæ Scriptores, Cynegetici, Veterinarii,

mento acceleret, enixe rogatum eam. N. B.

**) *Lexicon* quoqne *Golianum* rursum excudi cupiunt, dum linguæ Arabicæ studium indies accrescit, Philologiæ Orientalis cultores. Amice, qui Celsianas collectiones possidet C. AURIVILLIUS, Vir Celeberrimus, se, ut hanc telam perficiat, excitari patiatur. Quisquis autem difficilem hujus operis curam susceptura sit, næ ille collectiones *Celsianas* expetere negligat ab eruditissimo AURIVILLIO, qui eas hunc in finem Editori Lexici Goliani nullus invidebit. N. B.

Agrimensores, quicquid denique peregrinatorum recentiorum diaria habent memoratu dignum. Videmus hic adamantinam CELSII in pervolvendis Scriptoribus omnis generis diligentiam, eamque tantam, ut mirari conveniat, unius hominis ætatem tanto labori suffecisse.

Nec penitus silere debeo eruditum Schediasma, quod sub peregrinatione Italica conscripsit, *de Statu ecclesiastico Pontificis Romani*, ubi ceremonias Catholicorum, eorum dignitates ecclesiasticas & regiminis sacri formam non solum exponit, sed etiam hodie florentis Romæ statum, immo etiam monumenta veteris ejus splendoris accurate describit.

Ultimo tandem loco, sed tribus tantum verbis commemorare liceat, Beatum CELSIUM peculiari libro depinxisse, depictosque explicasse omnes, quos suis oculis viderat, Lapides Runicos; tam Helsingicos quam vulgares: opus, quod antiquitatum patriarum cultoribus tantæ voluptati futurum esset, quam parum juvat nupera eorundem absque interpretatione edita congeries.

Hæc sunt illa monumenta, quæ CELSIUM mori vetabunt: immo vivit ille in-

su-

ſuper in non inficianda proſapia, quæ cum paterno nomine & ſanguine Patrium etiam animum ſibi inditum gerit. Scilicet anno ſuperioris ſeculi ultimo connubiale fœdus noſter pepigerat cum lectiſſima omnique virtute dotatiſſima Virgine, MARGARETA INSULANDRA, filia Commiſſarii ad Theſauros Regios, BERNHARDI INSULANDRI, cum qua ſuavi concordia duos & quadraginta annos vixit. Illa decies felix puerpera fuerat, ſed ſex liberorum ſuorum, non euntibus ordine fatis, efferri vidit, ita ut bini tantum utriusque ſexus jam ſuperſtites ſint. Horum duo filii præſentes ſuas lacrimas cum noſtris miſcent, ambo Muſarum ocelli, ambo variis in Rempublicam Litterariam meritis inſignes. Quo eos ſua duxerit indoles, declararunt ipſimet ſtatim, quum uterque ad Bibliothecas Patriæ illuſtriores prima ſtipendia facere voluerint, MAGNUS ad Holmenſem, cui hodieque multa cum laude præeſt, & OLAVUS ad hanc noſtram, quarum etiam utriusque luculentam hiſtoriam orbi erudito hi Fratres dederunt. Nunc ubi ſanctioribus curis hic ſeſe addixit, relicto munere Profeſſoris Hiſtoriarum, quod ita ornavit, ut nemo magis, ad Templum ULRICÆ ELEONORÆ divinæ veritatis Præconem magna gravitate agit. Si laudes hi

Germani vellent, vel modice tantum ferrent, dicerem, quid a vigiliis Majoris natu ſperandum habeat Reſpublica Litteraria, ubi ille *Hiſtoriam Sueciæ Litterariam* ad umbilicum perduxerit, ibique in unum corpus collegerit, quicquid inde ab HERODOTO & STRABONE de majoribus noſtris tradidere Scriptores Græci, Latini & recentiores cujusvis nationis, a quo opere perficiendo ne difficultate & labore ullo ſe deterreri patiatur, publico Eum nomine obteſtamur, & uti Minor natu ſimilibus hiſtoriis, qualis GUSTAVI I. ab Ejus ingenio profecta, & ubique locorum cum voluptate lecta, Patriam ornare velit. Filiæ duæ honeſtiſſimis nuptiis elocatæ fuere, CATHARINA MARGARETA Quæſtori Academiæ, & Soceri ſtudiorum æmulo, Celeberrimo Magiſtro JOHANNI LANDBERGIO; MARGARETA vero primum Legionis Prætoriæ Paſtori Primario, Admodum Reverendo Domino ISRAELI BJOERK, illoque defuncto, viro Spectabili, Domino CHRISTIANO HEIDMULLERO, apud Holmenſes Haſtæ publicæ Directori.

Secuti ſumus CELSIUM noſtrum in mari procelloſo ſua littora legentem, donec tandem portum, quem jam diu cupide proſpexerat, lætus ovansque intravit.

Qui

Qui ad ultimum usque vitæ terminum vegetus viridisque degerat, media hac æſtare vires ſuas non tantum ſolito magis fatiſcere animadvertit, ſed etiam herniæ inſultus, quos ante viginti annos primum ſuſtinuerat, jam ingraveſcere: ſed id ita tamen ut ſolita ſua patientia vim morbi ferret, nosque, naturæ ipſius firmitati confidentes, nihil ſequius ominari juberet, in primis quum lætus comisque vultum nil mutaret, ſuisque familiaribus continuam, pro more, ſui copiam faceret. Dies viceſima tertia Junii erat, quum eum morbus lecto, ſed tanquam ad recreationem invitans, non vi affligens, primum detinuit. Ille interea amicos advenientes totum diem affabilis accepit, adeo non ingemiſcens querensve, ut ſolitis ſuis facetiis adſtantes non raro exhilararet: poſtridie vero, qui Dies Sancto Johanni feſtus eſt, hora poſt meridiem tertia, appropinquantis mortis certiora indicia vidimus, ſed vix antea vidimus, quam, quod timebamus, acciderat. Obdormiit, ut qui ad placidam quietem membra componit, mundumque pertæſam animam eo miſit, ubi ſpe præceptisque gaudiis jam diu fuerat.

Nos, Auditores, qui vitam ſumme Reverendi CELSII per octoginta quinque an-

nos, menſesque decem, continente ferme felicitate notabilem conſpeximus, veneremur Numen, quod nec in ipſo mortis articulo ſe illi propitium dare deſtitit. Vixit enim Noſter donec Svecani nominis Eum non pœnituit, ſublatus antequam reſcire poſſet triſtia illa monſtra, quæ hiſce iisdem diebus aluit Metropolis, & a quibus, quoniam vivere nos oportet, faciem oculosque ſaltem avertamus.

PLANXI.



II.

ELIAE PALAIRET, CONTINUATIO AUCTORUM SACRORUM CLASSICORUM

ET QUIDEM

(*MATTHÆI.* *)

Cap. XXI. *v.* 5. Ἐπιβεβηκὼς ἐπί ονον.) *Aelian.* var. hist. l. 10. c. 22. Ἐπιβὰς ἐπὶ τὸν αυχένα. *Collum inscendens.* Et *Appian. Alexandrin.* bel. Mithr. p. 328. Ἐπί το τειχος ἐπιβησαν. *Conscenderunt murum.*

Vs. 8. Ἄλλοι ἔκοπτον κλάδους.) Sic *Philostrat.* Epist. Apoll. 31. p. 393. Τί ὄφελος ἀγρίων δένδρων - - τους κλαδους κόπτειν, ἐᾶν δὲ τας ῥίζας; *Quorsum prodest agrestium arborum - - ramos amputare, & radices relinquere.*

Vs. 10. Ἐσειώθη πασα ἡ πολις.) h. e. *Omnes cives.* Ita *Dionys. Halicarn.* l. 6. p. 378

*) v. Classis hujus Tertiæ Fasc. I. p. 128. & Fasc. II. p. 189.

378. Πόλις - - ἐν ταραχαῖς - - ἐγένετο. *Cives - - in turbis - - fuerunt.* Similiter *Civitas* pro *Civibus* apud *Pacuvium* fragm. vs. 51. *Nil sollicita studio, obstupida suspenso animo civitas.*

Vs. 23. Ἐλθόντι αὐτῷ εἰς τὸ ἱερὸν.) *Xenoph. Ephes.* l. 1. p. 4. Ἦλθον δὲ εἰς ἱερὸν θύσοντες *Venerunt in templum, sacrificaturi.* Et *Dionys. Halicarn.* l. 2. p. 112. Εἰς ἱερὸν ἦλθεν Ἐνυαλίε. *Venit in templum Enyalii.*

Vs. 26. Ἔχουσι τὸν Ἰωάννην ὡς προφήτην.) Hic Ἔχειν est *Existimare, Censere, Pro tali habere.* Sic *Longus* Pastoral. l. 4. p. 138. Καὶ δεῖται μηδὲν ἔτι μνησικακοῦντα δοῦλον οὐκ ἀχρηστον ἔχειν: *Oratque, ne amplius injuriæ memor, se servum non inutilem habeat.* h. e. *censeat.* Sic *Haberi* pro *Censeri* apud *Horat.* Serm. 1. 630. *Formosus haberi dum cupit.* Et *Quinctilian.* proœm. 1. *Sapientes atque eloquentes haberentur.*

Vs. 34. Λαβεῖν τοὺς καρποὺς.) Sic *Diodor. Sicul.* l. 2. p. 166. Διπλοῦς καρποὺς λαμβάνουσι, *Duplices fructus capiunt.*

Vs. 41. Κακοὺς κακῶς ἀπολέσει αὐτούς.) Varia hujus egregiæ formulæ exempla jam dedimus, quibus adde *Dion. Cass.* l. 53. p. 501. Οἱ δ' ἀποσφάξαντες αὐτὸν κακοὶ κακῶς ἀπώλοντο. *Ejus occisores mali male perierunt.*

Vs.

Vs. 42. Ἐν ὀφθαλμοῖς ἡμῶν.) *Themist.* orat. 3. p. 51. Ἐν τοῖς ἁπάντων ὀφθαλμοῖς συμπαραλαμβάνων φιλοσοφίαν. *Ante oculos omnium philosophiam amplectens.* Et *Dion. Cass.* l. 52. p. 478: Ἐν τοῖς σοῖς ὀφθαλμοῖς τὸ πλεῖστον ἄρχων. *Ante oculos tuos plerumque magistratum gerens.*

Vs. 45. Ἔγνωσαν ὅτι περὶ αὐτῶν λέγει.) Primo αὐτῶν pro ἑαυτῶν ponitur. Similiter *Joann.* c. 13. v. 11. Ἤδει γὰρ τὸν παραδιδόντα αὐτον: pro ἑαυτον. Sic & *Libanius* epist. 104. p. 55. Οὐ τὐναντίον οἱ κακοὶ σπεύδουσι, νομίζοντες ἐν ταῖς ἑτέρων αἰσχύναις αὐτοὺς (pro ἑαυτοὺς) συσκιάζειν. *Contraria his improbi sectantur, aliorum probris umbram eis* (pro *sibi*) *parare se posse existimantes.* Similiter *Ei* pro *sibi* extat apud *Sueton.* Ner. Claud. p. 692. *Instituit ut e libertorum defunctorum bonis pro semisse dodrans ei cogeretur:* ubi cl. *Oudendorpium* vide sis. Confer & doctiss. *Reitzium* de Ambig. p. 329. Phrasis λέγειν περί τινος, extat apud *Philostrat.* Icon. l. 1. p. 862. Καὶ τί χρὴ λέγειν περὶ τῶν ἀριζήλως εἰρημένων πολλοῖς. *Sed quid opus est loqui de rebus, quæ a multis dilucide dictæ sunt.*

Cap. XXII. *v.* 2. Ὅστις ἐποίησε γάμους τῷ υἱῷ αὐτῦ.) Grave se exhibent Versiones quædam, ut Anglica, quæ per γάμους *Matrimonium* intelligunt, cum *Festum nuptiale* denotet. Patet ex aliis. *Eratosthenes*

nes cataſt. c. 5. Ὅτι τοὺς γάμους οἱ θεοὶ ἐν τῇ καλουμένῃ Δίᾳ ἐποίησαν. *Cum nuptias ejus* (Ariadnes) *Dii in Dia, quæ vocatur, facerent.* Et *Xenoph. Epheſ.* l. 2. p. 29. Ὁ δὲ Ἄψυρτος ἐποίει τῆς θυγατρὸς τοὺς γάμους. *Apſyrtus autem faciebat filiæ nuptias.* Similiter apud Latinos *Nuptiæ* pro *Feſto nuptiali* proſtat. *Petron.* Satyric. c. 25. *Plaudentibus univerſis, & poſtulantibus, nuptias fecerunt.*

Vſ. 4. Τὸ ἄριστόν μου ἡτοίμασα.) *Achill. Tat.* l. 5 Κελεύει δὲ δεῖπνον εὐπρεπέστατον ἑτοιμάζειν, *Juſſit igitur ſplendidiſſimam cœnam parare.*

Vſ. 5. Οἱ δὲ ἀμελήσαντες ἀπῆλθον - - ὁ δὲ εἰς τὴν ἐμπορίαν αὐτοῦ.) Vox Ἐμπορία ſemel tantum extat in N. T. *Libanius* epiſt. 177. p. 84. Πλέουσι δὲ κατ᾽ ἐμπορίαν. *Navigant ad mercaturam faciendam.* *Xenoph. Epheſ.* l. 2. p. 24. Ὁ μὲν Ἄψυρτος ἐπ᾽ ἐμπορίαν - - ἀπῆλθεν. *Apſyrtus ad mercaturam faciendam - - abiit.* Verbum autem Ἀμελεῖν habet *Abbianus* in Antholog. Gr. l. 1. c. 37. epigr. 5. p. 47.

- - - - Ἀμελεύντων
Ἡμῶν, ἐξαίφνης ἥξει ὁ πορφύρεος.
- - - - *Non curantibus*
Nobis ſubito inſtabit mors.

Vſ.

Vſ. 7. Ἐνέπρησε.) Verbum ſemel lectum in N. T. *Dionyſ. Halicarn.* l. 9. p. 594. Ἀρούρας αὐτῶν ἐμπρήσας. *Arvis eorum incenſis.* Et *Palæphat.* p. 50. Τὸν πύργον - - ἐνέπρησε. *Turrim* - - *incendit.* Item *Diodor. Sicul.* l. 3. p. 241. Τὴν πόλιν νύκτος ἐμπρῆσαι. *Noctu urbem incendiſſe.*

Vſ. 9. Καλέσατε εἰς τοὺς γάμους.) *Diodor. Sicul.* l. 4. p. 315. Καλέσαντος εἰς τοὺς γάμους τόν τε Θησέα καὶ τοὺς Κενταύρους. *Vocante ad nuptias Theſeum & Centauros.*

Vſ. 15. Ὅπως.) Pro Πῶς, *Quomodo.* Ita *Homer.* odyſ. 1. v. 420. Ἐγὼ βούλευον ὅπως ὄχ' ἄριστα γένοιτο. *Ego deliberabam, quomodo hoc optime fieret.* Item *Sophocl.* Aj. fla[illegible]. v. 1065. Ὅπως κρύψεις - - τὸν ἄνδρα. *Quomodo condies,* - - *virum,* ubi *Triclinius,* Ὅπως, ἀντὶ τοῦ, Πῶς.

Vſ. 16. Οὐ μέλει σοι περὶ οὐδενός.) *Achill. Tat.* l. 5. p. 353. Ἀλλὰ μοὶ μέλει περὶ σοῦ. *Sed tu mihi curæ es.* Ut & *Ariſtoph.* Lyſiſtr. p. 868. Ὑμῖν δέ πόθεν περὶ τοῦ πολέμου - - ἐμέλησεν, *Unde vero vobis bellum* - - *curæ eſt?*

Vſ. 29. Πλανᾶσθε.) Sc. τῇ διανοίᾳ, vel ταῖς διανοίαις. Patet ex *Iſocrate* de Perunt. p. 488. Μὴ πλανᾶσθαι τῇ διανοίᾳ, μήδ' ἀμφιγνοεῖν τοὺς τἀληθῆ λέγοντας. *Non errare animo, neque dubitare, utri vera dicant.* Idem epiſt. 6. p. 629. Ἀναγκαῖον ἐστὶν ὑμᾶς ταῖς διανοί-

αις

αις πλανᾶσθαι. *Necesse est vos animis errare.* Elliptice loquitur *Euripides* apud *Stobæum* florileg. tit. 86. p. 353.

- - - Οἱ κενῶν δοξασμάτων
Πληρεῖς πλανᾶσθε - - -
- - - *Quivanis cogitationibus*
Pleni, erratis. - - -

Vs. 33. Ἐξεπλήσσοντο ἐπὶ τῇ διδαχῇ) *Palæphat.* de Incredibil. p. 63. Ἐκπλαγεὶς καὶ αυτος ἐπὶ τῇ θέᾳ. *Attonitus ipse adspectu.*

Vs. 42. Τί υμῖν δοκει περὶ τοῦ Χριστοῦ) *Hierax* apud *Stobæum* Serm. 51. p. 189. Φερε γαρ ἴδωμεν, τί τοῖς πολλοῖς δοκει περὶ δικαιοσύνης. *Agedum, videamus, quid plerisque videtur de justitia.*

Cap. XXIII. *v.* 3, Παντα οὖν ὅσα ἄν ειπωσιν υμῖν τηρειν, τηρειτε καὶ ποιειτε. κατα δὲ τα ἔργα αυτῶν μη ποιειτε. λεγουσι γαρ, καὶ ου ποιοῦσι.) Verbum Ειπεῖν hic *Jubendi*, *Præcipiendi* sensu venit, uti *Marci* c. 5. v. 43. ubi perperam Hebraismum reperiunt *Vatablus* & alii. *Eratosthenes* c. 3. narrat, Terra offerente Junoni aurea mala, Deam θαυμάσαι καὶ ειπεῖν καταφυτεῦσαι εις των θεῶν κῆπον: *ea admiratam fuisse, & jussisse in Deorum horto inserere.* Sic *Aristoph.* Thesmoph. p. 786.

- - - Εἶπε Σωσρατη
Ἐκκλησίαν ποιειν - - -

Jus-

- - - *Jussit Sostrata*
Concionem habere. - - -

ubi recte *Bourdin.* Εἶπε.) ἀνηγόρευσε καὶ εἴρηκεν. Ceterum, optime cum Beatiss. Sospitatoris verbis conspirat dictum Diogenis Cynici in Oratores apud *Diogen. Laërt.* l. 6. c. 2. ubi ait τοὺς ῥήτορας τὰ δίκαια μὲν ἐσπουδακέναι λέγειν, πράττειν δὲ οὐδαμῶς. *Oratores quidem studere recta dicere, non autem ea facere.*

Vs. 4. Δεσμεύουσι γὰρ φορτία βαρέα - - καὶ ἐπιτιθέασιν ἐπὶ τοὺς ὤμους τῶν ἀνθρώπων. τῷ δὲ δακτύλῳ οὐ θέλουσι κινῆσαι αὐτά.) *Diodor. Sicul.* l. 15. p. 7. τὴν εἰρήνην ὥσπερ βαρὺ φορτίον οὐχ ὑπέμενον. *Pacem, ut grave onus, non tulerunt.* Et *Antiphanes* apud *Stob.* Serm. 191. p. 650.

Οὐκ ἔστιν οὐδὲν βαρύτερον τῶν φορτίων
Ὄντως, γυναικὸς προῖκα καλὴν φερομένης.
Haud ullum est gravius onus
Revera, quam uxor dotem ferens magnam.

Secunda phrasis occurrit apud *Polyæn.* l. 6. p. 587. *Locri in Italia fœdus cum Siculis facientes, allii capita* ἐπὶ τοὺς ὤμους ἐπιθέντες, *super humeros imponentes, jurarunt se firmam ipsis rempublicam conservaturos esse, quam diu capita in humeris ferrent.* Deni-

que

que Δακτυλω κινειν. Sc. ἄκρῳ. *digito* (Sc. *Summo*) *movere*. Hanc ellipsin perite supleverunt *Montenses* N. 1. Interpretes, *Beausobre* & *Lenfant*. Plenius habet *Zenobius* centur. 1. 61. p. 20. Ἄκρῳ ἅψχσθαι δακτυλῳ. *Summo attingere digito*. Eadem ellipsi gaudent Latini. *Porcius Licinius* apud *Aull. Gell.* l. 19. c. 9. p. 850. *Si digito attigero, incendam silvam simul omnem*: pro *digito summo*. Integre loquitur *Justinian*. Instit. l. 4. de publ. Iudic. §. ult. *Ut vobis possibile sit summo digito & quasi per indicem tetigisse*.

Vs. 8. Ὁ καθηγητης.) Vox hæc tantum hic & v. 10. occurrit. Eam usurpavit *Eusebius* inter opera *Philostrator*. p. 440. Τούτων αυτὸν διδασκαλον ἢ καθηγητην γεγονέιαι. *Eorum ipsum magistrum & doctorem extitisse*.

Vs, 11. Ἔςαι υμῶν διακονος.) Ἔςαι pro Γενησεται, *Fiet*. Sic & *Aeschyl*. Prom. vinc. v. 906.

- - - Καίπερ αυθαδης φρενῶν
Ἔςαι ταπεινὸς. - - -
- - - *Licet adhuc sit mentis pervicacis*
Fiet humilis. - - -

ubi *Schol*. Ἔςαι) γενησεται.

Vs.

Vſ. 14. Καὶ προφάσει.) Primo Καὶ pro καὶ ταυτα, *Idque*, ponitur. Sic *Homer.* Il. α. v. 29. Πρίν μεν καὶ γηρας επεισιν. *Idque antequam ipſam ſenectus adeat*: ubi *Moſchopulus*, Ου περιττος ο καὶ, αλλ' αντί τοῦ Καὶ ταυτα, ιν ᾖ, καὶ ταῦτα πρότερον, πριν ἐπ' αυτην τὸ γηρας ελευσεται. Τοιουτον καὶ εν τῇ Ὀδυσσεία τὸ.

Ἡ δη αλιτροσγ' εσσί, καὶ ουκ αποφωλεα ειδως. αντι του, καὶ ταυτα ουκ απαίδευτος ων. Plenius *Heliodor.* l. 1. p. 33. Ἐπιδείξω γαρ σοι τημερον αμα τῷ μοιχῷ την Δημαινέτην ἐκ οἰκία, καὶ ταυτα αλλοτρία. *Oſtendam enim tibi hodie Demænetam cum adultero in domo, idque aliena.* Item *Aelian.* var. hiſt. l. 2. c. 9. Οια ἐψηφισαντο Ἀθηναιοι, καὶ ταυτα ἐν δημοκρατίᾳ. *Qualia decreverunt Athenienſes, idque in Democratia.* Deinde Προφασει ponitur pro Ἐπι προφάσει. Sic *Polyæn* l. 1. p. 48. Πλειςα οσα τῇ προφασει της ἑορτης οπλα συλλέξας. *Plurimis armis ſub feſti prætextu collectis.* Plenius *Longus* Paſtoral. l. 3. p. 71. Ἐπί προφασει θηρας ἐξωρμησεν. *Sub venationis prætextu exierat.* Item *Appian. Alexandr.* de bel. Civil. l. 3. p. 892. Τὸ σῶμα του Καισαρος ἐπι προφασει της ταφῆς ἐς την αγοραν ἐκφέρων. *Corpus Cæſaris ſub prætextu ſepulturæ in forum proferens.*

Vſ. 15. Ὅτι περιαγετε την θαλασσαν καὶ την ξηραν. Per *Mare* & *Terram* intelligitur *To-*

tus terrarum orbis. Sic 1. *Maccab.* c. 8. v. 32. Πολεμήσομεν σε διὰ τῆς θαλάσσης καὶ διὰ τῆς ξηρᾶς. *Bello te persequemur mari terraque:* h. e. *per totum terrarum orbem.* Adde *Libanium* epist. 217. p. 103. Οἶδα καὶ αὐτὸς, καὶ μετ' ἐμοῦ τοῦτο οἶδε γῆ τε καὶ θάλαττα. *Et ips[illegible] novi, & mecum hoc novit terra & mare* [illegible] e. *totus terrarum orbis.* Id imitatur *I*[illegible] apud Latinos l. 1. v. 80.

Nascere quai popolos terraque m[illegible]que lacesses.

Vs. 23. Καὶ τὸ ἄνηθον.) Vox hæc semel tantum in N. T. legitur. *Suidas* centur. 1. 25. p. 336. Ἄιδων τ σπιθαμὴν τοῦ βίου πρὸς ἄνηθον) ἐπὶ τῶν γλίσχρων καὶ μικροψύχων. *Cantans vitæ spithamam ad anethum.) de tenacibus & sordidis.*

Vs. 26. Τὸ ἐντὸς το-- ἐκτὸς.) Pro Ἐκτὸς alii *Codd.* legunt ἔξω. Optima lectio est, quam confirmat *Demophilus* Similitud. p. 613. Τῆς ἀλαζονείας, καθάπερ τῶν κεχρυσωμένων ὅπλων, οὐχ ὁμοῖα ἐστι τὰ ἐντὸς τοῖς ἐκτός. *Jactantiæ, perinde ut armorum deauratorum, interna externis haudquaquam respondent.*

Vs. 29. Ὅτι οἰκοδομεῖτε τοὺς τάφους τῶν προφητῶν, καὶ κοσμεῖτε τὰ μνημεῖα τῶν δικαίων.) De sepulchra ornandi more plura protulerunt Cll. *Alberti* & *Elsnerus* ad h. l. quibus adde *Aristid.* t. 1. orat. funebr. in Alexandr. p. 151. Ἀνθ' ὧν δικαίως τουτὶ τάφον κοσμει-

μειτε, καὶ ως αρχηγετην καὶ οικιςην τιματε. *Quare merito & sepulchrum ejus ornatis, & ipsum ut generis auctorem & urbis conditorem colitis.* Infuper formulam Οικοδομειν τάφον ufurpavit *Lucilius* in Anthol. G. l. 2. c. 40. epigr. 9. p. 238.

Μαρκος ο ποιητης ωκοδόμησε τάφον.
Marcus poëta ædificavit sepulchrum.

Vſ. 30. Ἐν τω αιματι.) Hic Αιμα e... *Cædes*, uti & *Matth.* 27. v. 24. nec non *Hoſeæ* c. 4. v. 2. Adde *Euripid.* orefte v. 36.

- - - Τὸ μητρὸς δ' αιμα νιν τροχηλατει
Μανιαισιν - - -
- - - *Cædes enim matris eum exagitat.*
Furoribus. - - -

ubi *Paraphraſt.* exponit: Ὁ φόνος γαρ της μητρὸς ἐλαυνει, καὶ ταρασσει αυτον ὑπο μανιων. Similiter *Propert.* 2. 3. 14.

Altera vix ipſo ſanguine mollis erit.

Vſ. 32. Καὶ ὑμεῖς πληρωσατε τὸ μέτρον.) Prave procul dubio *Cod.* quidam pro πληρωσατε legit ἐπληρωσατε. Eſt Imperativus pro Futuro. Sic *Plato* in Phæd. p. 236. Των δέ λοιπων, ετερα πλείω καὶ πλείονος αξια ειπων του Λυσίυ, παρα το Κυψελιδων αναθημα σφυρηλατος

ἐν ὀλυμπίᾳ ϛαθητι: pro ϛηση. *In aliis si plura & digniora Lysiæ oratione dixeris, juxta Cypselidas in Olympia de solido metallo sta:* pro *stabis.* Adde *Euripid.* Oreste v. 1699. ubi postquam Apollo Oresti sua fata describit, scil. quod absolvendus a judicio Areopagitico, & Hermionen esset ducturus, addit. Ἐλθων δ' αναςσε Σπαρτιαδος χθονὸς: *Rediens autem impera in Spartana terra:* pro αναςσεις, *imperabis.*

Vs. 34. Καὶ διωξετε απο πολεως εἰς πολιν.) Incertus Auctor in *Anthol. Gr.* l. 2. c. 5. epigr. 11. p. 189.

Των δυνατων ουδεις σε γαμησει τουτο γαρ αιει
Οιομένη, πηδᾷς εις πολιν εκ πολεως.

Potentiorum te nemo ducet; hoc enim semper
Rata, saltas in civitatem ex civitate.

Vs. 36. Ἥξει ταυτα παντα.) Ἥξειν dicuntur, *Quæ proxime instant, & imminent.* Sic. *Dionys. Halicarn.* l. 9. p. 563. Τοῖς αυτοῖς ο παρα του δαίμονος ηξει χόλος. *Iisdem numinis imminet ira.* Nec non *Abbianus* in Antholog. Gr. l. 1. c. 37. epigr. 7. p. 74.

- - - Ἀμελευντων
Ἡμων, ἐξαίφνης ηξει ο πορφυρεος,

- - - *Non curantibus*
Nobis, subito instat purpurea mors.

Vs.

Vſ. 37. Πρὸς αυτην.) Alii *Codd.* legunt. Πρὸς σεαυτην. Recepta lectio optima eſt. Sæpius Αυτη pro Σεαυτη occurrit. Sic *Lucæ* c. 1. v. 45. Τοῖς λελαλημένοις αυτῆ, Et *Aeſchyl.* Agamemn. v. 1149.

- - - Αμ--
Φι δ' αυτας θροεις
Νόμον ανομονγε - -
- - - *Et de*
Te profers
Cantum infauſtum.

ubi *Schol.* 'Αμφί δ' αυτας.) Περί σεαυτης. Idem Chœph. v. 108.

ΗΛ. Τίνας δὲ τουτους των φίλων προσεννεπω;
ΧΟ. Πρῶτον μὲν αυτην, χ'οσις Αιγυσθον ςυγει.

EL. *Quinam vero ſunt amici, quos nominem?*
CHO. *Primum quidem te, & quisquis Aegyſthum odit.*

ubi iterum *Schol.* αυτην) σεαυτην δηλονότι.

Cap. XXIV. *v.* 4. Βλέπετε μη τις ύμας πλανηση.) *Theano* Pythagorica in opuſc. Mytholog. p. 740. Βλέπεουν μή -- κολακευουσης εργον ποιησης. *Vide igitur ne - - adulantis partes agas.* Item *Diogen. Laërt.* l. 6. p. 610. Βλέπε μη ἐμπέσης. *Vide ne incidas.*

das. Adde *Marcellum* in Corp. Poëtar. Latin. t. 2. p. 1600. v. 12. *Ne fallare vide.*

Vſ. 7. Ἔσονται λιμοὶ καὶ λοιμοὶ, καὶ σεισμοὶ κατὰ τόπους.) Sc. τινας. Plene *Salluſtius* Philoſophus in Opuſc. Mythol. c. 18. p. 276. Οὐδὲ τὸ ἀθειας περὶ τινας τοπους τῆς γης - - ἄξιον ταραττειν τους εμφρονας. *Neque impietas per aliquot loca - - tanti eſt, ut perturbare poſſit prudentes.*

Vſ. 12. Δια το πληθυνθηναι την ανομίαν.) *Herodian.* l. 3. p. 147. Ουτως εν αυτῷ επληθυνε το Φιλοχρηματον. *Sic in eo auxit* (Sc. *ſe*) *pecuniarum cupido.*

Vſ. 16. Φευγέτωσαν ἐπι τα ορη.) *Polyæn.* l. 1. p. 55. Ἐπι τας ναυς εφευγον. *Ad naves confugerunt.* Et *Maximus Tyr.* diſſ. 35. p. 339. Ἔφευγεν ἐπὶ ψιλὸν λόφον. *Profugit ad colliculum.*

Vſ. 20. χειμῶνες.) Sc. οντος. *Aelian.* hiſt. animal. l. 9. c. 7. Χειμῶνος τουτο ψυχροτατον γίνεται. *Hyeme hicce* (lapis) *frigidiſſimus fit.* Plene *Ariſtoph.* Ran. p. 267.

- - - Πρῶτον αυτὸν γενόμενον
Χειμῶνος οντος ἐξέθεσαν ἐν οςρακῳ.
- - - *Recens ipſum natum*
Hyems cum eſſet, expoſuerunt in teſta.

Vſ. 22. Ἕως του νῦν.) *Maximus Tyr.* diſſ. 37. p. 360. Ἕως δὲ νῦν ἀςεφανωτος ειναι ομο-

ομολογῶ ἢ ακήρυττος. *Huc usque nec coronam conſecutus ſum, nec præconis vocem audivi.*

Vſ. 30. Τὸ σημεῖον του υἱȣ ανθρωπου.) Elegans Pleonasmus, pro ὁ υἱὸς ανθρωπου. Sic Τυραννίδος σημεῖα, *Tyrannidis ſigna*, pro *ipſa Tyrannide* dixit *Aeſchyl.* Agamemn. v. 1364.

- - - Ὡς
Τυραννίδος σημεια πράσσοντες πολει.

Velut ſi vellent tyrannidis ſigna inducere in urbem pro *tyrannidem.*

Vſ. 31. Απ' ακρων ουρανῶν ἕως ακρων αυτῶν.) *Themiſt.* Orat. 1. p 15. Συνέλκων ἐκ γῆς εις τὸ ακρον τοῦ ουρανοῦ. *Pertingens a terra usque ad culmen cæli.*

Vſ. 38. & 39. Ὥσπερ γαρ ἦσαν - - τρώγοντες - - - ἢ ουκ ἔγνωσαν.) Emphaſin quærit *Theodor. Beza* in verbo τρώγειν, qui illud de *Brutis* proprie dici autumat. De *Hominibus* quoque uſurpatur apud Veteres. *Anaxandrides* apud *Diogen. Laert*, l. 3. p. 308. Ὅτι τας μορίας ἔτρωγεν. *Quando oleas edebat.* Item *Palladas* in *Stobæi* Florileg. tit. 10. p. 75. Παντες απαξ τρώγουσιν. *Omnes ſemel edunt.* Nec non *Lucilius* in *Antholog.* Gr. l. 2. epigr. 3. c. 31. p. 226. Καὶ τρώγεις ὅσα πέντε λύκοι. *Et edis quantum quinque lupi.*] Notandum, quod jam adh.

locum observavimus, & varias Versiones fugit, præcedente voce *Similitudinis*, καὶ, pro Οὕτω καὶ poni. Sic *Matth.* c. 6. v. 10. *Joann.* c. 6. v. 57. c. 10. v. 15. c. 15. v. 9. c. 17. v. 18. c. 20. v. 21. *Actor.* c. 7. v. 51. & 1 *Joann.* c. 2. v. 18. *Ezech.* c. 16. v. 44. Καθως ἡ μητηρ, ᾗ ἡ μητηρ: pro ουτω ᾗ ἡ μητηρ. Adde *Athenagoram* p. 54. Ὡς γαρ ὁ κεραμευς, καὶ (pro ουτω καὶ) ὁ Θεος δημιουργὸς. *Quemadmodum enim figulus, quoque* (pro *sic quoque*) *Deus artifex est.* Plene *Libanius* epist. 76. p. 40. Ὥσπερ γαρ οἱ γονεις τους παῖδας φιλουσιν, οτι ἐγέννησαν, ουτω καὶ οἱ σώσαντες τους σεσωσμένους, ὅτι ἔσωσαν. *Quemadmodum enim parentes liberos amant, quod eos genuerint, sic quoque sospites amant medici, quod eos sanaverint.*

Vs. 42. Ποία ὥρα.) *Diogenes Laertius* l. 6. p. 600. Ποια ὥρα δεῖ αριστᾶν. *Quanam hora prandere oportet.*

Cap. XXV. *v.* 1. Αἵτινες λαβουσαι τας λαμπαδας αυτῶν.) Solebant Veteres sponso & sponsæ lampadas præferre. Hinc *Xenophon Ephes.* l. 1. p. 10. Ἦγον την κόρην εις τ θαλαμον μετα λαμπαδων τ ὑμέναιον ᾄδοντες. *Duxerunt puellam in thalamum cum lampadibus, hymenæum canentes.* Huc quoque respicit Theagenes, qui cum Chariclium suam igne consumptam putaret, ita loquitur apud *Heliodor.* l. 2. p. 62. Πυρὸς, οἴ μοι, γε-

γέγονας ἀνάλωμα, τοιαύτας ἐπὶ σοὶ λαμπάδας ἀντὶ τῶν νυμφικῶν του δαίμονος ἅψαντος. *Igni, heu me miſerum! conſumpta es, cum tibi hujusmodi lampadas pro nuptialibus numen accendiſſet.* Adde *Statium* Theb. l. 8. v. 234.

- - - Illi Cytbereia laudant
Connubia, & multa deductam lampade fratrum
Harmonien. - - -

Vſ. 6. Μέσης δὲ νυκτὸς κραυγὴ γέγονεν.) *Polyænus* l. 4. p. 348. Μέσης δὲ νυκτὸς περιελθὼν ἐπέστη τοῖς πολεμίοις. *Media vero nocte circumiens prope hoſtes conſtitit.* Item *Dionyſ. Halicarn.* l. 3. p. 206. Κραυγῆς δὲ γενομένης ἐπὶ τῷ πάθει. *Clamore ſuborto poſt hoc facinus.* Id. l. 4. p. 240. κραυγὴ ἐξ ἁπάντων ἐγένετο. *Clamor ab omnibus ortus eſt.*

Vſ. 9. Μήποτε οὐκ ἀρκέσῃ ἡμῖν καὶ ὑμῖν.) Ante vocem Μήποτε deficere verbum βλέπειν, vel ὁρᾶν, jam oſtendimus. Poſſis & τὸ φυλάσσεσθαι ſupplere. Patet ex *Aeſchylo* Prom. vinc. v. 390. Τούτου φυλάσσου μήποτ' ἀχθεσθῇ κέαρ. *Hujus cave ne forte exacerbetur cor.*

Vſ. 16. Ὁ τὰ πέντε τάλαντα λαβὼν - - καὶ ἐποίησεν ἄλλα πέντε τάλαντα.) *Polyænus* l. 7. p. 547. Εἴκοσιν ἀργυρίου τάλαντα λαβὼν μετὰ σπουδῆς ἐπὶ τὸ δεῖπνον ἦλθεν. *Acceptis viginti talentis argenti ſummo ſtudio ad cœnam venit.*

nit. Verbum autem Ποιεῖν pro *Lucrari* in aliis quoque locis occurrit. *Lucæ* c. 19. v. 18. Ἡ μνᾶ σου ἐποίησε πέντε μνᾶς. *Mina tua lucrata est quinque minas.* Sic *Jerem.* c. 17. v. 11. Ποιῶν πλοῦτον. Et *Ezech.* c. 28. v. 4. Ἐποίησας σεαυτῷ δύναμιν. Adde *Aristotel.* apud *Stobæum* Serm. 213. p. 720. Χρήματα ποιεῖσθαι - - τῶν φίλων ἕνεκα προσήκει. *Pecuniæ acquirendæ sunt - - - amicorum gratia.*

Vs 24. Ὅτι σκληρὸς ει ἄνθρωπος.) Similiter *Achmetes* Oneirocrit. p. 121. Εἰ δὲ ἐςιν ο καρπος οξωδης, ευρησει ἄνθρωπον σκληρόν. *Si vero fructus acidus sit, inveniet hominem durum.*

Vs. 46. Εις κόλασιν αιωνιον.) Semel tantum *Punitionis* sensu occurrit vox Κόλασις. *Dionys. Halicarn.* l. 10. p. 655. Ἐαν ἄρα διαφύγητε την παρά ἀνθρωπων κόλασιν. *Si forte hominum pœnas effugeritis.* Et *Xenophon. Ephes.* l. 4. p. 61. Ἐβουλευετο κατά Ἀνθίας μείζονα κόλασιν. *Commentus est contrá Anthiam majores pœnas.*

Cap. XXVI. *v.* 1. Ὅτε ἐτέλεσεν - - τους λόγους.) ἐτέλεσεν, pro ἀπετέλεσεν. *Philostrat.* Heroic. p. 725. Λοιπὸν δ' ημῖν ἴσως τον τοῦ Ἀχιλλέως αποτελέσαι λόγον, ει μη απείρηκας πρὸς τὸ μῆκος. *Jam reliquum forte nobis, ut sermonem de Achille pertexamus, nisi tamen orationis prolixitas te deterreat.*

Vs,

Vſ. 3. Τοῦ λεγομένου καιαφα.) Non eſt Hebraismus cum *Camerone* ſtatuendus in Τοῦ λεγομένου, pro Τοῦ ὀνομαζομένου. *Aelian.* hiſt. animal. l. 9. c. 7. Ὁ γουν φθεὶρ ουτω λεγόμενος, παρατρώγει τῶν τοῦ δελφῖνος θηραμάτων. *Pedunculus igitur, qui ſic vocatur, inſumit delphinis capturam.* Item *Longus* Paſtoral. l. 1. p. 25. Πολλοὶ τόποι τῆς θαλασσης βόος πόροι λεγόμενοι. *Multa maris loca, quæ Bovis trajectus vocantur.* Et *Palæphat.* p. 19. Εἰς τὸ λεγόμενον ορος Σφιγγίον. *In montem, qui vocatur Sphinx.*

Vſ. 4. κρατήσωσι δόλῳ.) Ita quoque loquitur *Aeſchyl.* Prom. vinc. v. 213. Δόλῳ δὲ τους ὑπερέξοντας κρατεῖν. *Dolo compotes fieri eorum, qui rerum eſſent potituri.*

Vſ. 5. Ἔλεγον δέ. Μη ἐν τῇ εορτῇ, ινα μὴ θόρυβος γενηται.) Ἐν τῇ ἑορτῇ ſignificat *In feſti celebratione.* Similiter apud *Philoſtrat.* vita Apoll l. 2. p. 83. Ἐπιτίθενται σφισιν ἐν ἑορτῇ, καὶ κτεινουσι. *Inſidiantur ipſis in feſti celebratione, & occidunt.* Deinde in verbis Μη ἐν τῇ ἑορτῇ aliquid deficere merito obſervarunt docti Interpretes, qui varie ellipſin ſupplent. Supple ποιῶμεν, *faciamus.* Sic *Xenophon.* hiſt. Gr. l. 2. p. 332. Μὴ υμεις γε, ὦ Ἀθηναῖοι. Sc. ποιῆτε. *Ne vos, o Athenienſes,* ſc. *faciatis.* Apud *Chariton.* l. 2. p. 31. Leonas Domino ſuo, mortem præ amoris æstu oppetere cupido, ait: Μή συγε,

ὦ

ὦ δέσποτα. sc. ποιῆς. *Ne tu, o here,* sc. *facias.* Item *Philippus* in Antholog. Gr. l. 4. c. 12. epigr. 41. p. 468.

Κράμβης ἄψωμαι, Κυλλήνιε, μὴ παροδῖτα.
Brassicam edam, Cyllenie? ne viator.

Pro μὴ ποιῆς: *ne facias.* Denique ultima formula occurrit apud *Achill. Tat.* l. 2. p. 89. Θόρυβος ἐξαίφνης γίνεται *Tumultus repente oritur.* Et *Dionys. Halicarn.* l. 7. p. 437. Θόρυβος εν αυτοῖς ἐγένετο πολυς. Usurpavit & *Argentarius* in Anthol. Gr. l. 1. c. 55. epigr. 12. p. 108.

Καὶ πολυς ἐξ εταρων γιγνόμενος θόρυβος.
Et magnus inter socios ortus tumultus.

Vs. 6. Γενομένου ἐν Βηθανίᾳ,) *Philostrat.* Apollon. epist. 34. p. 393. Ἐγενόμην ἐν Ἄργει. *Veni Argos.* Item *Appian. Alexandrin.* de bel. syr. p. 169. Ἐν Σαρδεσι γενομενοι. *Cum ad Sardes venissent.* Et *Dion. Cass.* l. 40. p. 137. Ἐν συκίῳ τοπῳ γενόμενος. *Cum in umbrosum locum venisset.*

Vs. 10. τί κόπους παρέχετε τῇ γυναικί; ἔργον γαρ καλὸν ειργασατο εις ἐμέ.) Pro τῇ ex mera glossa alii *Codd.* legunt ταύτῃ. Lectio optima est, quod exemplis jam confirmavimus. Adde *Matth.* c. 24. v. 32. Την παραβολην; pro Ταυτην: ubi frustra Hebraismum

inum fomniavit *Theodor. Beza.* Adde *Euripid.* Phœnif. v. 426. Ὁ δαίμων μ' ἐκάλεσεν πρὸς τὴν (pro ταυτην) τυχην. *Fatum me vocavit ad hanc fortunam.* Ultimam formulam levi differentia ufui pavit *Dionyf. Halicarn.* l. 9. p. 603. Ἐκλιπόντες την ἑαυτῶν πατρίδα πόθῳ τῆς ἐλευθερίας, καλὸν ἔργον ἐπράττετε. *Relinquentes veftram patriam defiderio libertatis, egregium opus perpetraftis.*

Vf. 18. Πρὸς τὸν δεῖνα.) *Libanius* epift. 351. p. 177. Ὁ δεῖνα - - κέκληκεν εις Παιονίαν. *Ille quidam - - vocavit in Pannoniam.* Et *Dion. Caff.* l. 44. p. 256. Ἂν ὁ δεῖνα ἢ ὁ δεῖνα - - λαβὼν ἔχῃ. *Si ille quidam, vel ille quidam - - acceperit.*

Vf. 23 Ἐν τῷ τρυβλίῳ.) *Aelian.* var. hift. l. 9. c. 37. Ἐν τρυβλίῳ ῥοφήματι αἱ ἐλπίδες κεινται. *In patellæ forbitione fpes fitæ funt.* Et *Diogen. Laërt.* l. 6. c. 2. Ἐξέβαλε δέ καὶ τὸ τρύβλιον. *Projecit & patellam.* Occurrit infuper hæc vox *Marci* c. 14. v. 20.

Vf. 28. Περὶ πολλῶν.) Περὶ pro Ὑπερ, *Pro*, ut notavit *Schmidius.* Sic *Actor.* c. 8. v. 15. Προσηύξαντο περὶ αυτῶν. *Antonin. Liberal.* c. 7. p. 58. Μαχομένη περὶ τοῦ παιδὸς, *Pugnans pro filio.* Et *Simonides* in Antholog. Gr. l. 3. c. 5. epigr. 26. p. 292.

"Οιπῶτε -- περὶ πατρίδος ὠλέσαθ' ἥβην.
Qui olim -- pro patria amisistis juventutem.

Vs. 44. Ἐκ τρίτου.) *Aelian.* var. hist. l. 14. c. 46. Εἶτα ἐκ τρίτου ἐπῄεσαν αὐτοί. *Ita tertia vice demum ipsi* (hostem) *invadebant.* Et Euripid. oresie. v. 1182.

- - - Αὐτὸ τοῦτ' ἔχειν δοκῶ
Σωτηρίαν σοί, τῷδε τ' ἐκ τρίτου ἐμοί.
- - - *Hoc ipsum ferre existimo.*
Salutem tibi, & huic & tertio mihi!

Vs. 47. Ἰούδας εἷς τῶν δώδεκα) *Dionys. Halicarn.* l. 8. p. 539. Εἷς τῶν δημάρχων Γάϊος Ῥαβυλήιος. *Unus tribunorum Cajus Rabulejus.* Et *Polyæn.* l. 8. p. 814. Μενεκράτης εἷς τῶν ἡγεμόνων. *Menecrates unus e ducibus.*

Vs. 50. Ἐφ' ᾧ πάρει, τότε -- ἐπέβαλον τὰς χεῖρας.) Primo pro Ἐφ' ᾧ alii *Codd.* Ἐφ' ὃ legunt. Optima est recepta lectio. *Libanius* epist. 57. p. 28. Πιστεύω τὸν νέον πράξειν τοῦτο, ἐφ' ᾧ περ ἐπανήκται. *Confido juvenem facturum id, ob quod revertitur.* Id. epist. 134. p. 69. Ἐφ' ᾧ περ ἥκει. *Ob quod venit.* Ut & epist. 351. p. 771. Ἐφ' ᾧ δὲ ἥκει, μαθεῖν ἐθέλων. *Ob quod veniret, scire volens.* Recte deinde *Vulgatus* τὸ πάρει vertit *Venisti:* Sic *Planudes* in vita Aesopi p. 8. Τί τεθορυβημένος πάρει; *Ob quid turbatus venisti?* Item

Item *Euripid.* Phœnis. v. 617. Οὓς (βωμὲς) συ πορθησων παρει. *Quas* (aras) *vastaturus venisti.* Nec non *Sophocl.* Aj. Flag. v. 1335. Συλλυσων παρει: *Ut solvas venis*: ubi *Schol.* παρει) αντι τοῦ παρεγένου. Similiter *Adfuit* pro *Advenit*, usurpavit *Avienus* fab. 34. v. 34.

Confectus senio, postquam gravis adfuit ætas,
Heu! frustra alterius sæpe rogabit opem.

Denique ultima phrasi utitur *Heliodor.* l. 1. p. 9. Ἐπιβαλλει τῇ κόρῃ την χειρα. *Injicit virgini manum.* Et *Apollonides* in Antholog. Gr. l. 1. c. 76. epigr. 2. p. 158 Ἐπι χεῖρα βαλων πολυιςορι βίβλω. *Injiciens manum multiscio libro.*

Vs. 55. Ὡς ἐπι λῃςην ἐξηλθετε -- συλλαβειν με.) Pro Δία τὸ συλλαβειν με. Paret ex *Palæphato* p. 13. Πέμψαντος δε Μίνωος ᾧ ἕτερον οχλον πλειονα δια τὸ συλλαβειν αυτὸν. *Mittente Minoe aliam turbam majorem ad comprehendendum eum.* Prior formula extat apud *Dionys. Halicarn.* l. 3. p. 188. Ἐξηλθε μὲν ἐπ' αυτους. *Exiit vero contra eos.*

Vs. 57. Ἀπηγαγον πρὸς Καιαφαν.) *Diogen. Laert.* l. 6. c. 1. Ποντικοις νεανίσκοις -- περετυχων, ἀπηγαγεν αυτους πρὸς τον Ανυτὸν. *In*

Ponti-

Ponticos juvenes -- incidens, adduxit eos ad Anytum.

Vs. 58, Ἰδεῖν τὸ τελος.) Eadem phrasi utitur *Theognis* v. 594.

- - - Μητ᾽ αγαθοῖσι
Τερφθῆς ἐξαπινης, πρὶν πελος αχρον ιδεῖν.
- - - *Neque bonis*
Oblecteris repente, priusquam finem extremum videris.

Vs. 61. Δια τριῶν ἡμερῶν.) Brevis locutio Hellenistarum, inquit magnus *Grotius* pro Διαγενομενων τριῶν ἡμερῶν. Minime, Græcis quoque optimis frequens est. Idem est ac, Ἐν τρισὶν ἡμεραις, *Intra tres dies.* Testis est elegantissimus *Aelianus* var. hist. l. 14. c. 7. Προσεγέγραπτο δὲ τῷ νόμῳ, καὶ δια δέκα ἡμερῶν, παντως τοις ἐφόροις τους ἐφηβους παρίςασθαι γυμνους δημοσια. *Adscriptum vero erat legi, ut decimo die ephebi omnes ephoris publice se nudos exhiberent.*

Vs. 62. Σοῦ καταμαρτυροῦσιν.) Pro Σου alii *Codd.* Σοὶ legunt. Vice versa *Marci* c. 15. v. 4. pro καταμαρτυρουσιν alii *Codd.* legunt Κατηγορουσι, quod puram putam glossam redolet. Καταμαρτυρεῖν cum genit. personæ occurrit apud *Planud.* vita Aesopi p. 4. Ἀλλ᾽ ἡμεῖς τοῦ Αἰσωπου καταμαρτυρησομεν ἄμφω. *Nos vero contra Aesopum testabimur ambo.*

Cap.

Cap. XXVII. *v.* 2. Καὶ δήσαντες αὐτὸν -- παρέδωκαν αὐτον Ποντιῳ Πιλάτῳ.) Hic δῆσαι, *Vincire*, dicitur is, *qui vincire jubet.* Sic & apud *Polyæn.* l. 7. p. 641. Τισαφέρνης τους μὲν ϛρατηγους δήσας ἔπεμψεν ὡς βασιλέα. *Tiſaphernes, cum duces vincire juſſiſſet, eos miſit ad regem.* Similiter *Lactant.* de mortib. Perſecutor. c. 14. p. 112. de Diocletiano loquens, ait: *ſedebat ipſe, atque innocentes torrebat*: pro *torrere jubebat.* Deinde Παρέδωκαν. ſc. κολάσαι. Plene habet *Aelian.* var. hiſt. l. 13. c. 37. Τὸυς ἐπιβουλέυοντας παρέδωσαν αὐτῷ κολασαι. *Inſidiatores tradiderunt ipſi puniendos.*

Vſ. 9. Ἔλαβον -- την τιμην.) *Xenoph. Epheſ.* l. 2. 34. Καὶ λαβων την ὑπερ αὐτης τιμην, ἧκεν εις τὸν ἄγρον. *Et accepto pro ipſa pretio, venit in agrum.*

Vſ. 10. Καθα συνέταξε.) *Aelian.* hiſt. animal. l. 12. c. 36. Καθα φησι Θεόφραϛος. *Quemadmodum dixit Theophraſtus.* Et *Appian. Alexandr.* de bel. civil. l. 2. p. 803. Καθα κ̕ Πέρσαις ἦν τις αγορα. *Quemadmodum & Perſis forum quoddam erat.*

Vſ. 11. Σὺ λεγεις.) Sic *Joan.* c. 18. v. 37. Συ λέγεις, ὅτι βασιλευς ἐιμι ἐγώ. *Tu dicis* (ſc. *recte.*) *quod rex ſim ego.* Hic fruſtra Hebraismum adinvenit illuſtriſſ.

Grotius. Elegans est formula, quæ, præcedente ratiocinatione, vel interrogatione, subnecti solet, & quidem elliptice, pro Συ εὖ λέγεις. *Tu recte dicis.* Sic apud *Aristoph.* equit. act. 1. Sc. 2. p. 316.

ΧΟ. Ἔχε νυν, ἄλειψον τὲν τράχηλον τουτωὶ
Ἵν' ἐξολιοθαίνειν δυνῃ τας διαβολας.
ΑΛΛ. Εὖ λέγεις. - - -

CHO. *Sine collum prius inungas hocce,*
Ut eludere possis viri calumnias.
AG. *Recte dicis.* - - -

Vs. 12. Οὐδὲν ἀπεκρίνατο.) *Longus* Pastoral. l. 2. p. 34. Ὁ δὲ ἀπεκρίνατο οὐδὲν. *Ille vero respondit nihil.* Et *Diogen. Laert.* l. 2. c. 7. Τῷ μὲν κηρυκι ουδὲν ἀπεκρινάμην. *Præconi quidem nihil respondi.*

Vs. 14. Καὶ ουκ ἀπεκρίθη αυτῷ πρὸς οὐδὲ ἓν ῥῆμα. ὥςε θαυμάζειν τὸν ἡγεμόνα λίαν.) Primo καὶ hic pro Ἀλλὰ *sed* ponitur, uti & c. 13. v. 22. καὶ ἡ μέριμνα. *sed sollicitudo:* ubi Hebraismum cudunt *Beza*, & *Lucas Brugensis.* Vide quæ dedimus supra ad c. 9. v. 13. Adde *Aelian.* hist. animal. l. 2. c. 24. Ἰὸς μὲν τῶν ἑρπετῶν δεινὸς ἐςι, ἡ ὅγε τῆς ἀσπίδος ἔτι μᾶλλον. *Venenum quidem serpentium pestiferum est, sed aspidis adhuc magis.* Alteræ insuper formulæ apud alios reperiuntur.

Dion.

Dion. Caſſ. l. 51. p. 452. Ὁ μὲν πρὸς τοιαῦτα ουδὲν απεκρίνατο. *Ille autem ad hæc nihil reſpondit.* Item *Diogen. Laert.* l. 2. c. 12. Κράτητος - - πρὸς μεν τὸ ἐρωτηθεν ουκ αποκριναμένου, *Cratete - ad rogatum non reſpondente.* Adde *Ariſtoph.* Avib. p. 595. Ὥςε θαυμάζειν ἐμε. *Haut mirarer ego.* Nec non *Euripid..* Hec. v. 729.

Συ δὲ σχολαζεις, ὥςε θαυμάζειν ἐμε.

Vſ. 18. Δία φθονον.) *Diodor. Sicul.* l. 5. p. 376. Ὑπο τῶν ἀδελφῶν δια φθόνον ανηρέθη. *A fratribus præ invidia ſublatus eſt.* Et *Anaximenes* apud *Stobæum* Serm. 139. p. 405. Τὰ καλῶς - - πραχθέντα δια φθόνον ουκ ἐπαινοῦσι. *Bene - - facta præ invidia non laudant.*

Vſ. 36. Και καθημενοι, ἐτηρϐν αυτόν.) Puncto ſublato poſt καθημενοι, acciperem illud καθημενοι pro Adverbio, cujus vices ſæpe Participia agunt ante aliud verbum, idque pro *ſedulo*, *ſtudioſe*, ut ſenſus ſit. *Milites non ſediſſe ad Chriſtum cuſtodiendum,* ſed, *eos ſedulo, ſtudioſe, ſumma cura Chriſtum cuſtodiviſſe.* Eodem modo Particip. hoc occurrit apud *Libanium* epiſt. 353. p. 172. Καὶ δέδοικα δὴ μή την Αιγυπτον ουτος ἀφεὶς - - σοίγε καθημενος διαλέγηται. *Vereor equidem, ne ille, relicta Aegypto, tecum ſedulo ſermones conferat.* Nec non *Dion. Caſſ.* p.

931. Νῦν δὲ ἐν Περγάμῳ καθήμενος - - διαςρατηγεῖ πόλεμον. *Nunc Pergami sedulo - - bellum gerit imperatoria arte.*

Vs. 40. Ἐν τρισὶν ἡμέραις.) h. e. *Intra tres dies.* Sic *Isocrat.* de permut. p. 459. Ἐν τρισὶν ἡμέραις - - διακόσια ἢ χίλια ςάδια διελθεῖν. *Intra tres dies - - ducenta & mille stadia confecisse.* Item *Hippocrat.* aphorism. 7. 10. Ὁκόσοισιν κελεωθῇ ὁ ἐγκέφαλος, ἐν τρισὶν ἡμέρῃσιν ἀπόλλυνται. *Quibus cerebrum sideratum est, intra tres dies pereunt.*

Vs. 50. Ἀφῆκε τὸ πνεῦμα.) Eodem modo ferme loquuntur Veteres. *Aelian.* hist. animal. l. 2. c. 1. Πεσὼν ἀφίησι τὴν ψυχήν. *Prolapsus emittit animam.* Item *Theætetus* in Antholog. Gr. l. 3. c. 22. epigr. 28. Ἐν Αἰγαίῳ θυμὸν ἀφεὶς πελάγει. *In Aegæo animam emittens mari.* Præterea vocem Πνεῦμα, pro *Vita*, usurpari, ex aliis patet. *Germanicus* ibid. l. 1. c. 33. epigr. 7. p. 63. Πνεύματος ὠρφάνισεν. *Vita privavit.* Nec non *Crinagoras* ibid. c. 36. epigr. 1. p. 73. Πνεῦμα ἀπελύσατο. *Vita dissoluta est.* Ut & *Eutolmius* ibid. l. 3. c. 12. epigr. 35. p. 335. Πνεῦμα συνεξέχεεν. *Vitam effudit.*

Vs. 51. Καὶ ἡ γῆ ἐσείσθη.) Notat *Polyænus* l. 8. p. 794. Elicen submersam fuisse, τῆς μὲν γῆς σεισθείσης, τοῦ δὲ πελάγους ἐπικλύσαντος. *Terra concussa, & mari exundante.*

Vs.

Vſ. 54. Ἀληθῶς Θεȣ̃ υἱὸς ἦν οὗτος.) Eodem modo loquitur *Diogen. Laert.* l. 2. c. 12. Ἦν δ᾽ ἀληθῶς οὗτος μὲν (Θεόδωρος) θρασύτατος. *Erat autem vere hicce (Theodorus) audaciſſimus.*

Vſ. 57. Τοὔνομα Ἰωσήφ.) Pro κατὰ τοὔνομα, notante *Schmidio.* Sic *Xenoph. Epheſ.* l. 1. p. 1. Ἦν ἐν Ἐφέσῳ ἀνὴρ - - Λυκομήδης ὄνομα: pro κατ᾽ ὄνομα. *Erat in Epheſo vir - - Lycomedes nomine.* Plene *Dionyſ. Halicarn* l. 2. p. 120. ubi narrat Senatores poſt Romuli fata elegiſſe regem, υἱὸν Πομπιλίȣ Πόμπωνος - - κατ᾽ ὄνομα Νομᾶν. *Filium Pompilii Pomponis - - nomine Numam.*

Vſ. 60. Τῇ θύρᾳ τοῦ μνημείȣ.) *Fores* quoque ſepulchro tribuit *Xenoph. Epheſ.* l. 3. p. 49. Ἀναρρήξαντες τοῦ τάφου τὰς θύρας - - τὸν κόσμον ἀνῃροῦντο. *Effractis ſepulchri foribus - - ornamentum abſtulerunt.* Nec non *Ovid.* triſt. l. 3. eleg. 2. v. 24.

Hei mihi! quod toties noſtri pulſata ſepulchri
Janua, ſed nullo tempore aperta fuit.

Cap. XXVIII. *v.* 3. Ἦν δὲ ἡ ἰδέα αὐτοῦ ὡς ἀστραπή.) Fulgur quoque *oculis* tribuitur apud *Diodor. ſicul.* l. 3. 204. ubi ſerpentes

dicuntur excæcare Elephantos τῶν ὀφθαλμῶν ἀςραπῇ: *Oculorum fulgore.*

Vſ. 7. Ἰδοὺ, εἶπον ὑμῖν.) εἶπον, pro Προεῖπον, *Prædixi.* Sic *Appian. Alexandr.* de bel. civil. l. 1. p. 652. narrat, cum ſeptem pulli aquilini in gremium Marii incidiſſent, τοὺς μαντεῖς εἰπεῖν, ὅτι ἑπτάκις ἐπὶ της μεγίςης ἀρχῆς ἔσοιτο. *Vates prædixiſſe, quod ſepties in ſummo imperio futurus eſſet.* Similiter *Dicere* pro *Prædicere* dixit *Lactant.* de mortib. Perſecutor. c. 2. p. 44. *Sibylla dicente, matricidam profugum a finibus eſſe venturum.*

Vſ. 8. Μετὰ φόβου ϗ χαρᾶς.) Sic *Achill. Tatius* l. 2. p. 117. Τρεμων τρόμον διπλȣν χαρᾶς ἅμα καὶ φόβου. *Pavore duplici tremens, cum gaudio ſimul & timore.* Adde *Calpurinium ſiculum* Ecl. 1. v. 89. *Mixtus ſubit inter gaudia terror.*

Vſ. 12. Καὶ συναχθέντες - - ἀργύρια ἱκανὰ ἔδωκαν.) Συναχθέντες. ſc. εἰς τὸ βουλευτήριον. Plene habet *Dionyſ. Halicarn.* l. 10. p. 628. Ἔπειτα συναχθέντες εἰς τὸ βουλευτήριον οἱ σύνεδροι - - ὑπὲρ ἀσφαλείας - - ἐσκόπȣν. *Deinde coacti in ſenatum Senatores - - de ſecuritate - - conſuluerunt.* Ultimam formulam habet *Achill. Tatius.* l. 8. p. 531. Ἐπεδίδȣ δὲ καὶ χρήματα ἱκανὰ τῇ πόλει. *Dedit quoque pecunias multas civitati.*

Vſ.

Vs. 14. Ἐπί τοῦ ἡγεμόνος.) Ἐπι, *Coram, in conspectu, & in oculis*, uti recte ostendit doctiss. *Abresch* Annotat. p. 550. Sic 1. *Cor*. c. 1. v. 6. Καὶ τοῦτο ἐπι ἀπίστων. *Idque coram infidelibus*. Similiter *Aelian*. var. hist. l. 8. c. 2. Ἐπι Ἀρείου βουλῆς λέγων. *Coram Areopagitico senatu verba faciens*. Adde *Thucydid*. l. 8. p. 526. Ἄλλας (ξυνθήκας) επι Θηραμένος --ἐποίουν. *Alia* (fœdera) *coram Theramene* -- *fecerunt*. ubi *Schol*, ἐπί) ενωπιον.

TANTUM!





III.

JOHANNIS MEDHURST,

V. D. M.

ET SOCIETATIS TEUTONICÆ BREM. MEMBRI,

CONTINUATIO OBSERVATIONUM IN HISTORIAM PASSIONIS BENEDICTI SERVATORIS NOSTRI J. C. UT a JOHANNE EST TRADITA *)

§. I.

Cum priori in diſſertatione hiſtoriam paſſionum Chriſti a JOHANNE traditam lumine aliquo illuſtrare conati ſimus, & filum ſermonis abrumpendum eſſet, ne ſupra modum excreſceret diſſertatio, nunc reliqua ad eundem ſcopum obſervata ſubjungere conſtituimus: Quæ §. 10. ſq. p.

18.

*) v. Cl. I. F. I. d. I.

18. ſq. de loco difficiliori Joh. XVIII. 24. notavimus, quod verba Evangeliſtæ ſignificent Petrum eſſe teſtem idoneum deductionis Chriſti ab Hanna ad Caiapham, illa adhuc majorem accipient veritatis ſpeciem, ſi reliquos Evangeliſtas cum *Johanne* conferamus. Illi ſcilicet de lapſu Petri hunc in modum egerunt, ut ſole meridiano clarius appareat, eos imprimis Apoſtoli illius ad hunc ſcopum mentionem feciſſe ut docerent Petrum atteſtantem, quod Chriſtus ad Pontificem ſit deductus, quod falſi & mercenarii teſtes contra eum adhibiti ſint, fide digniſſimum eſſe. LUCAS obſervavit Chriſtum introductum eſſe in domum Pontificis, Petrum autem e loquinquo eſſe ſecutum. Vidit itaque Chriſtum dictam in domum introiiſſe; vidit, & audivit etiam, quæ ibi agerentur, namque conſedit in conſpectu Chriſti inter ſervos ad ignem, ita ut Chriſtus ad eum reſpexerit, cum ipſum abnegaret Lucæ XXII. 54-61. Locuples [illegible] ur teſtis eſt eorum, quæ Chriſto illo tempore evenerunt. MATTHÆUS, & MARCUS ita rem narrant, ut primo loco oſtendant illos, qui Chriſtum prehenderant, Eum abduxiſſe ad Cajapham Pontificem maximum, & ſtatim ſubjungant Petrum e lonquinquo ſecutum eſſe usque in domum Pontificis, eumque hanc ingreſ-

sum consedisse cum servis, quo finem videret. MATTH. XXVI. 57. 58. MARC. XIV. 53. 54. Statim autem abrumpunt narrationem de Petro, & ad illa revertuntur quæ de Christo erant memoranda. Nonne Evangelistæ hunc servantes rerum proponendarum ordinem, eo ipso monere voluerunt Petrum respiciendum esse tanquam testem oculatum eorum, quæ hic loci de Christo memoriæ prodiderunt. Dudum observavi Evangelistas non more, nec stylo eorum, qui historiam aliquam scribunt, res gestas enarrare, sed ex iis talia potius excerpere & litteris consecrare, ex quibus probe notatis hæc, vel illa colligere atque ita ad cognoscendam veritatem perduci possimus. Si hoc notemus ordinem præstantissimum poterimus videre iis in locis, quæ alias confusam relationem continere videntur. Verbi gratia, MATTHÆUS & MARCUS primo loco commemorant Christum ad Cajapham deductum esse, dein significant Petrum secutum esse Christum e longinquo, & ædes illum Pontificis M. intrasse, tandem autem subjungunt Cajapham ad sese Pontifices, Scribas, aliosque convocasse. Qui hæc legit & ordinem rerum perscrutatur, huncce non adinveniet, nisi ipsi cognita sit causa, quæ Evangelistas permovit ut hunc in modum scriberent. Ponamus

au-

autem illos non modo lectorem ſuum voluiſſe certiorem facere Chriſto ad Cajapham eundum fuiſſe, ſed & Petrum illud vidiſſe, ejusque ſatis firmum eſſe teſtimonium, & hoſtes Chriſti ſanguinem illius adeo ſitiviſſe, ut nocte intempeſta congregarentur, hoc pacto videbimus omnia loco ſuo eſſe poſita; cum ille, qui hæc ponderavit, facilius adduci poſſit, ut credat quæ dicti Evangeliſtæ porro de falſis teſtibus adjunxerunt. Et hiſce obſervatis confirmari poſſunt quæ priori diſſertatione §. 13. p. 29. de ſtylo Evangeliſtarum affirmavimus. Ut autem e diverticulo in viam redeamus, omnia illa, quæ a nobis hactenus notata ſunt, docent Evangeliſtas imprimis hanc ob cauſam Petri mentionem injeciſſe, ut illum teſtem veritatis conſtituerent: quare mirandum non eſt, idem illud & JOHANNEM feciſſe.

§. 2.

Ante omnia vero attentionem noſtram merentur, quæ Johannes de Pilato memoriæ prodidit. Supremum hunc in cauſa Chriſti judicem innocentiæ ipſius teſtem certum, & egregium fuiſſe quivis facile perſpicere poterit, modo debita adhibita atten-

tentione consideret, quæ de eo relata leguntur. Sed merito quæritur quænam causa fuerit, ut illa, quæ Pilatus ratione Christi peregit, adeo inter se pugnent, ut mirum videatur unum, eundemque judicem tam contraria facere potuisse. Narratur enim illum non modo omni ratione contendisse, ut Christum a morte eriperet, sed eum quoque postea Judæis nimium concessisse. Utrorumque igitur causas indagaturi, & ostensuri sumus.

§. 3.

Quod ad prius illud attinet, JOHANNES imprimis illa congessit, & proposuit, quæ Pilatum adducere poterant, ut ipse causam Christi, licet Iudex esset, apud Judæos tamen ageret, & ejus liberationem omni studio & opera quæreret. Hæ autem circumstantiæ imprimis hanc rem illustrare aptæ natæ sunt. Comparebant ante Prætorium viri inter Judæos principes, muneris dignitate conspicui, a Synedrio magno, cujus membra erant, missi, & virum accusantes, qui, si externum respicere habitum velles, e plebe videbatur esse. Venerant illi tempore insolito, primo mane, & illa ipsa die, quæ festi Paschatis, quod Judæis inter Sanctissima fuit, præparatoria existebat. Joh. XVIII. 28. Ingentem omnes

ani-

animorum ardorem, & odium capitale in illum præ ſe ferebant, & ſimul plura ſummæ iniuſtitiæ dabant documenta. Eo ſtatim impudentiæ, iniquitatis, ac malitiæ progrediebantur, ut a Pilato talem ſententiæ executionem exigerent, quæ ipſius auctoritati, & Romanorum legibus erat contraria, poſtulantes ut Iudex reum inauditum morte mulctaret. Cum Pilatus non ſine indignatione ſe hoc facturum eſſe negaſſet, Jeſum rebellionis accuſabant, hoc uſi argumento, quod Regis titulum & auctoritatem ſibi arrogaverit com. 29-33. Obſervandum quæſtionem illam Pilati Chriſto propoſitam, *An tu es rex ille Judæorum?* com. 33. ſupponere Judæos Illum accuſaſſe, quod regnum occupare voluerit. Iudex, quo veritatem rei cognoſceret & exquireret ex Chriſto quisnam ipſe eſſet, Eum ad ſeſe in prætorium vocavit, ibique Eum Eo colloquium ſine Interprete fecit. Chriſtus autem ad quæſtiones a Pilato ſibi propoſitas tam nervoſe, & magnifice reſpondit, ut animus Judicis inſigniter commoveretur & in opinionem adduceretur, Jeſum eſſe magnum illum Regem, quem Judæi expectarent. Jeſus, imprimis poſtquam loris eſſet cæſus & milites Eum ludibrio habuiſſent, ita ſeſe tam tacendo, quam reſpondendo geſſit, ut magnum & excelſum animum oſten-

oſtenderet. Cum enim ad quæſtionem, *unde es tu?* nullum reſponſum daret, mentem Pilati valde perturbavit, & metum, ipſi accuſatione Judæorum, quod ſemet ipſum Filium Dei fecerit, allatum, vehementer auxit. Verba vero, quæ Pilato porro quærenti regerebat, ſummam redolebant ſapientiam, & maximum acumen habebant, qualia fortem & conſtantem animum prodere ſolent com. 33. ſq. usque ad comma 12. cap. 19. *Fortis enim & conſtantis eſt non perturbari in rebus aſperis, nec tumultuantem de gradu dejici, ut dicitur, ſed præſentis animi uti conſilio, nec a ratione diſcedere* CICERO *de Offic.* l. 1. Hæc ſane fortitudo in Jeſu maxime conſpicua & ex omnibus Ejus reſponſis elucens, quam nec ignominia indigniſſima, nec intenſiſſimi dolores vincere & comminuere valuerunt, Pilatum etiam in admirationem traducere & eum concitare poterat, ut id omni niſu ageret, quo Chriſtum e manibus & faucibus Judæorum eriperet. Veteres olim tanquam ſapientem ſuſpiciebant & venerabantur, in quo gravitatem, patientiam, & rerum humanarum deſpicientiam, aliasque virtutes, quibus vir bonus ornatus eſt, cognoſcebant, & imprimis eum pro viro perfecte Sapiente habebant, & admirabantur, cujus animus fortuna adverſa neque frangi neque

que perturbari poteſt. Vel ipſe EPICURUS, quod mireris, ejusmodi firmam, & inconcuſſam virtutem a Sapiente exigebat, licet reliqui Philoſophi hanc ſententiam, ut abſurdam in ipſius ore, & ab opinionibus ejus de ſummo bono abhorrentem viderent & traducerent. CICERO *Tuſc. Quæſt.* l. 2 Rectius autem Academici, & Stoici illam commendabant virtutem tanquam ſapientis propriam, putantes eo perfectiorem eum eſſe Sapientia, quo perfectior virtus ipſius eſſet reddita. Haud abs re erit hoc probare verbis CICERONIS & SENECÆ, licet inſtituti noſtri ratio non permittat hoc loco examinare, quid de celebrata eorum virtute ſit cogitandum, cum ſufficiat nobis oſtendiſſe quanti fecerint virum, quem illa præditum eſſe exiſtimaverint. Audiamus autem primo laudatum illum Oratorem & Philoſophum, qui in libro citato *Quæſt. Tuſc.* auditorem ſuum ita inſtruit: *In quo viro erit perfecta Sapientia (quem adhuc nos quidem videmus neminem. Sed philoſophorum ſententiis, qualis futurus ſit, ſi modo aliquando fuerit, exponitur) Is igitur ſive ea ratio, quæ erit in eo perfecta, atque abſoluta, ſic illi parti,* (qua ſcil. dolores &c. ſentimus) *imperabit inferiori, ut juſtus parens probis filiis, nutu, quod volet, conficiet, nullo labore, nulla moleſtia. Eriget*

ipſe

ipse se, suscitabit, instruet, armabit, ut tanquam hosti sic obsistat dolori. Quæ sunt ista arma? Contentio, sermoque intimus, cum ipse secum; cave turpe quidquam, languidum, non virile: Obversentur species honestæ animo. Zeno proponatur Eleates, qui perpessus est omnia potius, quam conscios delendæ tyrannidis indicaret: de Anaxarcho Democrito cogitetur, qui cum in manus Cyprii Nicocreontis regis incidisset, nullum genus supplicii deprecatus est, neque recusavit. Hac in parte SENECA, qui ZENONEM sequebatur, cum CICERONE recentioris Academiæ sectatore conspirat, cum ad LUCILIUM suum hisce verbis usus est. *Epist.* 71. *Memini ex duabus partibus illum* (Sapientem) *esse compositum. Altera est irrationalis* (moderni Philosophi dicerent, *sensitiva*) *hæc mordetur, uritur, dolet: altera rationalis, hæc inconcussas opiniones habet intrepida est, & indomita. In hac positum est summum illud hominis bonum, quod antequam impleatur, incerta mentis volutatio est, cum vero perfectum est, immota illa stabilitas est. Itaque inchoatus ad summa procedens, cultorque virtutis etiamsi appropinquat perfecto bono, sed ei nondum summam manum imposuit, ibi interim cessabit, & remittet aliquid ex intentione mentis, nondum enim incerta transgressus est, etiam*

nunc

nunc verſatur in lubrico. Beatus vero, & virtutis exactæ, tunc ſe maxime amat, cum fortiſſime expertus eſt: & metuenda ceteris, ſi alicujus honeſti officii pretia ſunt, non tantum fert, ſed amplexatur, multoque audire mavult tanto melior, quam felicior. Veteres igitur Philoſophi perſpiciebant homines ad perfectionem in Sapientia atque virtute aſcendere non poſſe, quemadmodum & ipſe SENECA Epiſt. 75. ſcripſit *ſe hoc ſibi optare magis, quam promittere.* Interim videmus hic quanti æſtimarint ſapientem, & quanti in ipſis animorum motus ſint concitati, quando egregia in illo virtutis ſpecimina oculis ſuis haurirent, & ipſe *ſummam perfecto bono manum impoſuiſſe videretur.* Mirum itaque non eſt Pilatum admiratione obſtupefactum eſſe, cum Chriſti conſummatam Sapientiam ejusque virtutem, quam pro exacta reputare poterat, videret, cum *nullum genus ſupplicii deprecaretur, neque recuſaret*, ſed ipſi intrepido vultu, & ut talem decet, qui ad omnia ſumma natus eſt, reſponderet. Pilatus Chriſto *dixit*: *An tu es rex Judæorum?* Ille reſpondit: *A temet ipſo hoc dicis, an alii tibi dixerunt de me?* Hæc ſane verba aculeos in animo Judicis relinquere poterant, cum ipſi in memoriam revocarent, quæ de Jeſu, deque miraculis Ejus, quorum fama univerſo in po-

pulo pervulgata erat, audivisset. Illum autem famam miraculorum Christi auribus accepisse ex ipsis ejus verbis colligi posse videtur, cum Jesum duabus vicibus descripsit tanquam talem, qui *Christus dictus sit* Matth. XXVII. 17. & 22: Jesum enim ita dictum esse non ex Judaeorum accusatione, sed potius ex communi rumore rescire poterat. *Ad quaestionem Christi respondit Pilatus: Nunquid ego Judaeus sum? Gens tua, & Pontifices tradiderunt te mihi: quid fecisti?* Quam sapienter, quam magnifice Christus respondit ad haec verba, dum dixit? *Regnum meum non est de hoc mundo. Si esset ex hoc mundo regnum meum, ministri mei utique decertarent ut non traderer Judaeis. Nunc autem regnum meum non est de hinc.* Hic videbat Pilatus egregia signa & documenta *magni & excelsi animi*, cujus est, ut LACTANTIUS recte judicat, *despicere, & calcare mortalia.* LACT. *D. J.* l. 1. c. 9. Hic perspiciebat veritatem dicti, quo CICERO in *Oratione Philippica* IV. usus est: *Quanquam alia omnia incerta sint, caduca, mobilia: Virtus est una altissimis defixa radicibus, quae nunquam ulla vi labefactari potest, nunquam dimoveri loco.* Conscientia enim bene actae vitae, multorumque benefactorum recordatio, in qua potius *honestatis fructus, quam in fama reponendus est, si*

PLI-

PLINIUM audias (in *Ep.* VIII. lib. I.) efficiebat ut Chriſtus Pilato tam conſiderate, & graviter reſponderet, licet Judæi actionem perduellionis ipſi intenderent, Hoc ipſo autem confirmabatur fama miraculorum Chriſti, quæ ſine dubio quoque, ut ex verbis ejus manifeſtum eſt, ad aures Judicis pervenerat, & ſimul opinio, quam de perfecta Ejus ceperat virtute, valde poterat augeri. *Tantus eſt enim ſplendor in laude vera, tanta in magnitudine animi & conſilii dignitas, ut hæc a virtute donata, cetera a fortuna commodata eſſe videatur* CICERO *orat. pro M. Marc.* Chriſtus autem tam ſapienter reſpondit, ut accuſationem Judæorum ſimul refutaret, & ſignificaret cæleſte regnum eſſe, cui ſit deſtinatus; atque Pilatus haud obſcure oſtendit conjecturam ſuam de Jeſu quod ſit rex ille Judæorum, ſibi probabiliorem eſſe redditam, dum dixit: *Ergo Rex es tu?* Si quis hic quærat, quo pacto Pilatus in hanc cogitationem potuerit incidere Jeſum illum, cujus abſolutam & egregiam videbat virtutem, forſitan eſſe expectandum illum Regem Judæorum, duo obſervanda ſunt; Et quidem primo loco famam de futuro tali Rege, qualem Judæi ſperabant, ita percrebuiſſe, ut ſpes eorum aliis etiam Gentibus innotuerit. TACITUS hac de re ſcripſit ſequentia,

 Plu-

Pluribus persuasio inerat antiquis sacerdotum litteris contineri eo ipso tempore fore, ut valesceret Oriens, profectique Judæa rerum potirentur. Histor. l. V. §. 13. Confer. SUETON. *Vesp.* IV. & ZORN. *Opusc.* S. T. I. p. 3. sq. Præterea notandum, ad veritatis speciem proxime accedere, quod Pilatus hanc rem una cum fama de miraculis Jesu Christi auribus perceperit, cum jam per aliquod tempus munere Procuratoris functus esset, & si doctissimum BEERIUM audias in illo saltem annum jam exegerit. vide præstantissimi hujus viri opus Chronologicum germanica lingua exaratum P. I. p. 143. De epistola autem PONTII PILATI ad TIBERIUM circa Jesu Christi res gestas Dissertationem MYSTAGOGUS scripsit.

Sed ne quis putet habitum Christi minime nitidum ex animo Judicis talem evellere opinionem potuisse, cum ille tenuioris eum ordinis esse ostenderet; sciendum, veteres credidisse, *etiam sub palliolo sordido Sapientiam esse.* CICER. *Tusc. Quæst.* lib. III. Neque habitum corporis respiciebant prudentiores, de vera judicaturi Sapientia. LUCIANUS plurimis in locis risit illos, qui Sapientiam profitebantur barba, & pallio se tanquam philosophos ab aliis distinguentes, licet alias nihil sapiente dignum

gnum haberent. Inter omissa LUCIANI Epigrammata & hoc adinvenitur:

Ει το τρεφειν πωγωνα δοκει σοφιαν περιποιειν,
Και τραγος ευπωγων ευςολος εςι Πλατων.

Si promissa potest sapientem reddere barba,
Barbatus poterit jam caper esse Plato.

vide LUC. Opp. T. III. p. 690. *Edit.* REITZ. PLINIUS laudaturus TITUM ARISTONEM scribit: *Non facile quis quenquam ex istis, qui Sapientiæ studium habitu corporis præferunt, huic viro compararit. Epist.* XXII. *lib.* 1. Mirum itaque non est Pilato magnam de Christo fuisse opinionem, licet Ille neque *Sapientiæ studium*, neque regiam dignitatem *habitu corporis præferret.*

Nunc sine negotio intelligere possumus, quo pacto ingens Pilato metus injectus, & auctus sit, cum Judæi Eum incusarent, quod semet ipsum Filium Dei fecerit, cum Ille, licet flagris duriter objurgatus esset, tam tacendo, quam respondendo sese sapienter atque fortiter gereret. Scilicet magnus hic splendor virtutis Christi, Solis instar, atras nubes perrumpentis, coruscans efficere poterat, ut Pilatus hariolaretur Illum esse Filium Dei humana forma indutum, imprimis cum Jesus antea animo præsenti, & imperterrito dixisset: *ad id*

ego natus sum, & in mundum veni, quo veritatem testarer c. XVIII. com. 37. Quodnam pondus sit in hisce verbis, & quæ vis ad commovendum insigniter Iudicis animum postea videbimus; hoc autem loco observamus, illa in mente ejus cogitationem potuisse excitare, quod Jesus sit Filius Dei, qui antequam in mundum venerit, jam sit natus, quique ad detegendam hominibus veritatem cœlitus sit demissus. Sic igitur patet illa, quæ Pilatus de Christo conjectura judicabat, se ipsi maxima probabilitate commendasse, & illum incendisse, ut omnem navaret operam, quo Christum e vinculis dimitteret. Sed manum de tabula. Quæ sequuntur alteri Fasciculo reservamus, quo in hocce aliis observationibus locus relinquatur.



IV.



IV.

JOHANNIS MEDHURST, OBSERVATIONES MISCELLANEAE.

§. 1.

Cum id imprimis hujus ſit Bibliothecæ ut non modo lectorum ſcientiam augeat, ſed & rerum varietate delectet, huic fini convenire & congruere videtur, ſi præcedentibus miſcellaneas quasdam ſubiungam obſervationes. Primum autem locum occupent, quæ ad Pſ. LIX. 5. notavi. Eleganter hic loci dicitur עורה לקראתי, cujus dictionis vim atque nitorem omnium optime nobis aperuit celeberrimus SCHROEDER in *Obſerv. ſel. ad Origines Hebr.* §. XX. p. 29. ſq. Docuit enim ex lingua Arabica verba illa ſenſum hunc fundere: *Efferveſce in occurſum mihi.* Probavit Vir eruditiſſimus certis allatis teſtibus Arabicum غلم, cujus loco Hebræi עור dixerunt, ardorem animi, quo efferveſcimus, ſonare. Ad locum autem allegatum ſequentia notavit. *Conciſior hæc ſtructura*

 ex

ex iis est, quas prægnantes Grammattici appellunt. Supra vidimus עור *transferri quoque ad impetum, cursumve agilem, ac velocem. Is nunc simul tenendus, & cum fervente zelo vindicis conjungendus est, hoc sensu: Ad me in præsentissimo discrimine positum, quantocyus liberandum tanquam zelo inflammatus Vindex celerrimo impetu accurre.* p. 30. Similis elegantia variis Græcorum inest vocibus, & imprimis verbo σευεσθαι, quod proprie *commoveri* significat, dein autem indigitat etiam citatum gradum, quo talis, cujus animus vehementer commotus est, approperat. Sic de Hercule cum spoliis accelerante affirmat SOPHOCLES.

> ο --- διος αλκμηνας κυρος
> σευται πασας αρετας
> λαφυρ' εχων επ' οικυς.
> *Jam Jovis, & Alcmenæ filius*
> *Ruit omnium virtutum*
> *Spolia ferens domum.* Trachin: v. 649 sq.

σευεται proprie *movetur*, *excitatur*, id est, spe gloriæ, atque amore mulieris captæ, quam domum jam præmiserat, excitatus accelerat, ita ut & hoc loco adinveniamus verborum constructionem prægnantem. Virtutem igitur dicti verbi non satis expressit Interpres, qui illud reddidit *advenit*.

§. 2.

§. 2.

Medicus imperitus, qui remedio ad leniendum, non ad tollendum morbum utitur, in S. litteris imago eſt falſorum Prophetarum. Jeremias dicit illos *ſanare confractionem populi per rem nullius momenti, dicendo, pax, pax! atque non eſt pax.* Jerem. IV. 14. Haud abſimilia ſunt, quæ in *Ajace Flagellif.* habet SOPHOCLES. Ajax ſcilicet, cum ſignificare vellet ſe cum animo conſtitutum atque deliberatum habere, ægritudinem mentis ſuæ morte finire, ſeque mollibus verbis aures nolle præbere, affirmat:

ου προς ιατρου σοφου
θρηνειν επωδας προς τομωντι πηματι.
Non eſt ſapientis medici
Incantationes recitare in morbo, qui opus habet ſectione.
Aj. Flag. v. 583. ſq.

Apud CICERONEM autem medicus eſt imago eorum, qui nobis ſalutis ſunt cauſa. Ita enim ſcripſit ad LENTULUM: *Qui me homines quod ſalvum eſſe voluerunt, eſt mihi gratiſſimum: ſed vellem non ſolum ſalutis meæ, quemadmodum medici, ſed etiam ut aliptæ virium, & coloris rationem habere voluiſſent. Epiſt. ad Famil.* l. 1. *Ep.* 9. Sic quoque apud SOPHOCLEM morbus re-

præſentat miſerum rerum ſtatum, atque perditum.

- - - Τα μεν εκ δομων
νοσει δη - - -
- - - *Res in domo*
afflictæ ſunt - - - *Electr.* v. 173. ſq.

Quocum conferri poſſunt, quæ in Jeſaiæ vaticiniis cap. 1. leguntur. CICERO quoque ſibi, univerſæque civitati morbum tribuit, atque medicinæ vim artibus aſſignat humanioribus, dicens: *Quamvis - - hæc ſint miſera, quæ ſunt miſerrima, tamen artes noſtræ, neſcio quo modo, nunc uberiores fructus ferre videntur, quam olim ferebant: ſive quia nulla nunc in re alia acquieſcimus, ſive quod gravitas morbi facit, ut medicinæ egeamus, eaque nunc appareat, cujus vim non ſentiebamus cum valebamus. Ep. ad Famil.* l. IX. ep. 3.

§. 3.

Vates ſacri, quo vanitatem hominis, rerumque, quæ ei externum ſplendorem addere poſſunt, coloribus ſuis pingerent, dicebant illum *in imagine ambulare.* Pſ. XXXIX. 7. Hanc ob cauſam Aſaph etiam homini *imaginem* tribuit Pſ. LXXIII. 20. Cum hiſce conſpirant quæ de hominibus affirmavit Ulyſſes apud SOPHOCLEM. Mi-

ner-

nerva ei, cum Ajacem ad inſaniam redactum conſpiceret, dixerat:

Ορας Οδυσσευ την θεων ισχυν οση,
Τουτου τις αν σοι 'τανδρος ην προνουστερος,
η δραν αμεινων ευρεθη τα καιρια;
Vides Ulyſſe, quanta ſit potentia divina?
Hoc viro enim quis prudentior?
Aut ad res præclare gerendas paratior
inventus eſt?

Ulyſſes reſpondet ſe neminem ſcire, tangi autem ſe ipſius miſericordia, & exemplum ejus ſeſe conditionis ſuæ admonere, & ſubjungit ſequentia:

Ορω γαρ ημας ουδεν οντας αλλο πλην
Ειδωλ', οσοι περ ζωμεν, ἢ κουφην σκιαν.
Video enim nos (homines) nihil aliud
eſſe,
quam ſimulachra, quicunque vivimus,
& inanem umbram

Aj. v. 125. ſq.

§. 4.

Stella olim imago fuit magnorum virorum, qui virtutis ſuæ fulgore eximio hoſtes terrent, & eos copiis ſuis obterunt. Bileamus hac uſus eſt imagine in vaticinio de rege fortiſſimo, & hoſtibus tremendo, quem Davidem fuiſſe ſtatuendum eſt. *Orietur*

tur, dixit, *ſtella ex Jacobo, & ſurget ſceptrum ex Iſraele, quod conteret angulos Moabi, & deſtruet omnes filios Schethi. Numer.* XXIV. 17. Sic quoque Oreſtes in SOPHOCLIS *Elect.* v. 64. 65. dixit ſperans, fore, ut hoſtes ſuos fama mortis ſuæ deceptos, & imprudentes aggrederetur, & opprimeret:

ως καμ' επαυχω της δε της φημης απο
δεδορκοτ' εχθροις αϛρον ως λαμψειν ετι.
Ita ut ſpero me poſt hanc famam
Conſpectum inimicis ut aſtrum effulſurum eſſe.

§. 5.

Præpoſitionem εν in ſcriptura Sacra Novi Teſtamenti ſæpius ſignificare *per*, & hocce a plerisque pro Hebraismo haberi notum eſt. At vero hæc ſignificatio non plane exulat ex ſcriptis Græcorum. Obſervavi eam apud SOPHOCLEM hiſce in verbis:

- - - μυριας ο μυριος
Χρονος τεκνεται νυκτας ημερας τ' ιων,
Εν αις τα νυν ξυμφωνα δεξιωματα
Εν δορι διασκεδωσιν εκ σμικρε λογε.
- - - *Innumeras infinitum*
Tempus procedens noctes, diesque adducere poteſt,
In quibus præſentem conſenſum, & concordiam

Bel-

Bello (ſive *haſta*) *diſſipaturi ſunt ob levem offenſam.*

Oedip. Col. v. 609. ſq.

§. 6.

Apud Arabes صادق צורק veracem denotat, quemadmodum & Hebræis צרק *tum juſtitiam, tum veritatem ſonat, a primigenia vi recti ac rigidi*, ut obſervavit vir ſummus SCHULTENSIUS in notis ad *Floríleg. ſententiarum*, & in lib. *de Defect.* explanavit. Sic etiam apud veteres Græcos δικαιον non modo *juſtum*, ſed & *veracem* ſignificat. In SOPHOCLIS *Philoct.* v. 1136. affirmatur.

Ανδρος τι μεν ευ δικαιον ειπειν
Viri boni eſt verum dicere.

In *ſcholiis Veterum* notatum eſt ad hunc locum: Ανδρος τοι το μεν ευ) Αγαθȣ μεν ανδρος εςι, το αληθες εν καιρω λεγειν (δικαιον γαρ νυν Φησι το αληθες)

§. 7.

Inter loca Scripturæ S. quæ intellectu difficiliora ſunt, recenſendum eſt Pſalmi XXXVI. comma 2. ubi David ita loquitur: נאם פשע לרשע בקרב לבי. Anglicani Interpretes rejectis Syriaca & Septuaginta-virali verſionibus, quarum auctores לבו videntur

tur legiſſe, illa reddenda eſſe putant: *Prævaricatio impii loquitur in medio cordis mei.* Verſio autem nimis longe recedit a genuina verborum ſignificatione; & adhuc longius ab ea abeſt explicatio hujus dicti, quam dedere laudati interpretes, qua nihil coactius, nec quod menti Davidis magis contrarium ſit excogitari poteſt Hanc enim putabant eſſe vim atque ſenſum verborum, acſi Vates ſanctus dixiſſet: *Prævaricatio, ſeu pravitas naturalis & innata dicit impio, id eſt ei perſuadet, & ipſum permovet, ut omnem timorem Dei ab oculis ſuis removeat, in corde meo, i. e Illud vere, ac non ſine bona conſcientia credo.* Sed ſi hanc verba Scripturæ ſanctioris explicandi rationem ſequi velimus, poterimus quidvis ex quovis elicere, & ſenſum illis tribuere, quicunque nobis placuerit. פשע nullibi moralem atque naturalem animi pravitatem ſonat, aut illam ſignificare aptum natum eſt. Sed obſervavi, id haud inſolitum eſſe Interpretibus doctiſſimis in Anglia, ut mentionem dictæ pravitatis ſcriptoribus ſacris affingant iis in locis, quæ ſi recte inſpiciantur, ne minimam quidem occaſionem præbent de illa cogitandi: ut nuper anteſignanus ille Methodiſtarum, Eruditiſſimus ROMEINE, in Pſalmo 107. de pravitate hominum naturali agi contendit. Sic non tenuerunt illud

lud, quod TERENTIUS obſervat, *in vita hominum apprime utile est, ne quid nimis.* Sed ut ad dictam interpretationem revertar, David non egit de ulla perſuaſione, ſed affirmat potius timorem Dei non eſſe ante oculos impii. Alia quoque ſunt, quæ interpretationi huic opponi poſſent, ſed non opus eſt hiſce immorari; cum nihil clarius, nec certius eſſe poſſit quam judicium præſtantiſſimi DIETELMAIERI de illa explicatione: per illam ſcil. verba Davidis obſcuriora reddi, cum nemo de prævaricatione peccatoris dicat, quod in corde alterius ſermonem faciat. Rectiſſime Vir ille Doctiſſimus exiſtimat Davidem indigitare voluiſſe dolorem animi, quem verbum prævaricationis impii ſibi excitaverat, quo factum ut illud ex animo delere non poſſit. Sane hoc conſpirat cum ratione dicendi, ſacris aliisque probatis auctoribus uſitata. Hebræi dicunt aliquid in corde & ei quaſi inſcriptum eſſe, ſi illud ita animum noſtrum commovit, easque notas in eo reliquit, ut illius oblivisci nequeamus. Hoc ipſum ſignificant verba Dei apud Jeremiam cap. XXXI. com. 33. *Dabo legem meam in medio eorum, ſuper cor eorum ſcribam illam.* Eodem ſenſu Latini dicunt aliquid *ſcriptum eſſe in animo.* In TERENTII *Andria* A. I. ſc. 5. legitur: *O! Myſis, Myſis etiam mihi ſcripta illa dicta ſunt in ani-*

animo Chrysidis de Glycerio. In Tragœdiis SOPHOCLIS dixit Philocteti Neoptolemus. Και γραφυ φρενων εσω. *Atque in animo tuo scribito.* *Phil.* v. 1317. Alias illa quæ mente servantur, comparant Veteres cum lege in tabula æris sculpta, cui simile quid in allegatis Jeremiæ verbis deprehendimus. Sic enim SOPHOCLES Deioniram loquentem introducit:

εγω γαρ ο θηρ με κενταυρος πονων
πλευραν πικρα γλωχινι πρυδιδαξατο,
παρηκα θεσμων υδεν, αλλ' εσωζομην
Χαλκης οπως δυσνιπτον εκ δελτυ γραφην.

Nam eorum, quæ me Centaurus edocuit
Cum dolore lateris conficeretur sagitta vulnerati,
Nihil prætermisi, sed omnia velut sculptam
In ærea tabula legem servavi. *Trachin.* v. 686. sq.

Cum hisce conferri merentur illa ISOCRATIS, quæ egregiam continent sententiam. Δει δε τυς ευ πολιτευομενυς υ τας στοας εμπιπλαναι γραμματων αλλ' εν ταις ψυχαις εχειν το δικαιον. *Decet enim prudentes magistratus, non porticus implere legibus, sed justum in animis habere.* *Areop.* p. 288. Sic est in animo, quod in eo quasi est inscriptum, ut sæpius no-

nobis in memoriam revocetur, & nosmet illud attenta mente conſideremus. Sic quoque in corde Davidis erat verbum illud prævaricationis impii, id eſt, hominis alicujus ob malitiam inſignioris. Quisnam autem fuerit impius ille, id ex nexu ſermonis eruendum eſt; ſed id nunc non agimus, cum hic ſufficiat nobis phraſin Davidis illuſtraſſe. Hoc tamen obſervandum nobis eſt, Davidem non modo heic loci, ſed & aliis in Pſalmis nomen perſonæ, de qua egit, reticuiſſe, ita ut illa non niſi ex certis rerum circumſtantiis cognoſci poſſit vid. Pſ. XVII. 12. LIII. 6. Sic quoque CICERO locutus eſt in *declamatione Philippica* XIV. *Ad D. Brutum*, dicit, *liberandum legati miſſi principes civitatis, qui illi hoſti, ac parricidæ denuntiarent, ut a Mutina diſcederet.* CICERO hoſtem illum ac parricidam memorando reſpicit Antonium, ſed eum antea nullibi nomine ſuo appellaverat. Nec quisquam mentem oratoris capere poteſt, qui non præcedentes legendo Orationes intellexit Antonium Mutinæ Brutum obſediſſe, eumque a CICERONE pro hoſte, ac parricida declaratum eſſe.

§. 8.

Septuaginta Interpretes illud חסיד, quo David uſus eſt in Pſalmo XVI. ὅσιος

reddiderunt ουδε δωσεις τον οσιον] συ ιδειν διαφθοραν. Hoc eo magis attentionem noſtram meretur, quod non ſolum verſio hæc in N. T. retinetur, ſed & Paulus ad dictum Pſalmum reſpiciens Chriſtum οσιον appellavit. Voces Hebraicas חסד & חסיד explicuerunt viri in linguis orientalibus verſatiſſimi SCHULTENS *ad Job.* c. VI. 14. VRIEMOET in *Annot. ſel. ad dicta Claſſ.* T. II. p. 300. nec non J. D. MICHAELIS agens *de legibus Moſis matrimonialibus* c. IV. § 41. ut & ad Pſ. XVI. Illuſtrarunt verba illa Arabico حشد *plenis uberibus fuit*, ita ut חסיד *naturalem amorem*, στοργην, *pietatem* denotare poſſit. De voce חסד alia occaſione acturi ſumus, nunc autem nonnulla obſervaturi de verſione illa Græca, qua חסיד οσιος redditum eſt. Laudatus vir celeberrimus J. D. MICHAELIS ratione vocabuli οσιος obſervavit illud non adeo *ſanctum*, ſed potius *inſontem*, *purum* ſonare. Nolo quidem viro egregio contradicere, ſed dubitare tamen non poſſum, quin ipſi magis placuerit ſignificatio *pietatis*, Hebraicæ vocis virtutem clarius exprimentis, ſi demonſtrari poſſit vocem οσιος *pium* poſſe denotatare. Jnveni autem in ſcriptis SOPHOCLIS loca, quibus οσιος hunc ſenſum fundere videtur. Cum Chryſothemis patri ſuo inferias, & libationes minus pias, & a matre,

quæ

quæ patrem occiderat, jussas afferre vellet, dixit ei soror ejus Electra illud οσιον non esse, & illam his affata est verbis:

> Αλλ' ω Φιλη, τυτων μεν ων εχεις Χεροιν
> Τυμβω προσαψης μηδεν υ γαρ σοι θεμις,
> υδ' οσιον, εχθρας απο γυναικος ιςαναι
> κτερισματα, υδε λυτρα προσφερειν πατρι.
> *Sed o chara! horum, quæ manibus portas,*
> *Nihil sepulchro admoveas, non enim fas est*
> *Nec* PIUM *ab inimica muliere afferre*
> *Inferias, aut libationes patri.* SOPHOCL. *Elect.* v. 432. sq.

Non solum hæc, quæ Electra sorori suæ dissuadet, cum pietate in Patrem pugnant, sed omnia quoque, quæ adjunxit, eandem spirant pietatem. Scholia quidem vetera ita verba illa interpretata sunt: υ γαρ σοι θεμις) —— θεμις, το ευνομον; οσιον, το δικαιον. ομως αμφοτερα θευ, δικαιον δε επι ανθρωπυ. Sed sine dubio erravit Scholiastes, existimans οσιον ejusdem esse significationis, ac δικαιον. Namque hoc pacto id οσιον in sermone Electræ ab illo, quod θεμις significat, distingui non posset, cum δικαιον nihil sit aliud quam θεμις, sive ευνομον, quod cum lege conspirat. Sententia autem nostra haud parum confirmatur iis, quæ cho-

rus cecinit, cum Electra plurimis argumentis Chrysothemin dehortata esset, ut non faceret mortuo patri, quod non esset οσιον. Dicebat enim:

προς ευσεβειαν η κορη λεγει

Pie loquitur hæc puella: v. 461.

ευσεβεια alias significat pietatem in Deum, sed hoc loco sine dubio pietatem in Patrem denotat. Namque Electra ne verbulo quidem de officiis Deo persolvendis mentionem fecit, sed quid Chrysothemi ratione patris ab impia matre trucidati faciendum sit docuerat. Cum itaque Chorus affirmet Electram προς ευσεβειαν pie locutam esse, ex hoc verborum nexu sequi videtur, ευσεβειαν hoc loco *pietatem in patrem* sonare. Hoc etiam adhuc clarius patebit, si consideremus Electram postea legitimos matris suæ liberos ευσεβεις dixisse. Matri enim oggannit sequentia,

Και παιδοποιεις. Τυ δε προσθεν ευσεβεις
Κακ ευσεβων βλαςοντας, εκβαλλυς εχεις.

Et liberos procreas, & priores illos legitimos
Et ex legitime conjunctis prognatos ejicis. Elect. v. 590. sq.

Manifestum est Electram, filios ευσεβεις illis opposuisse, qui ex illegitimo nati sunt matrimonio, atque adeo illos ευσεβεις esse filios legitimos. At vero nihil verisimilius

&

& probabilius eſſe poteſt, quam hoſce ευσεβεις appellari, quod parentes pie colant, atque venerentur. Cum itaque Electra, ſororem ſuam dehortans ne quid in patrem, quod οσιον non ſit, committeret, dici poſſit loqui προς ευσεβειαν, facilis eſt concluſio illud οσιον officia pietatis in patrem indigitare. De hac autem vocis hujus ſignificatione nemo amplius dubitaverit, qui conſiderat Græcos exequias τα περι τους θνησκοντας οσια appellare, quemadmodum & dicunt τα περι τους θεους ευσεβειν, & ευσεβειν περι ξενους. Sed ſententiam noſtram haud parum illuſtrare ſimul & confirmare poteſt locus in SOPHOCLIS *Antigone*, ubi οσιος pietatem in fratrem ſignificare videtur. Antigone cum affirmaſſet ſe mortuum trucidati fratris corpus eſſe ſepulturum, licet ſibi hanc ob rem moriendum ſit, addit ſequentia:

Φιλη μετ᾽ αυτου κεισομαι, φιλου μετα
ΟΣΙΑ πανουργησασα.
Chara cum eo jacebo charo
Poſtquam PIA *fecero.* V. 72. 73.

Antigonem reſpexiſſe pietatem veroſimile etiam redditur, dum fratrem charum & ſe ipſam charam appellat.

Sed non ignoro opponi nobis poſſe in carmine tragico illud verbum dicto ſenſu adhibitum eſſe, ex quo non ſequatur illud

aliis etiam in ſcriptis Græcorum talem ſenſum obtinere. At vero obſervatio noſtra viros eruditiſſimos, qui græcorum libros pervolutant, excitare poteſt, ut ad uſum vocis ὁσιος attendant, & inquirant, annon dicta illius ſignificatio apud alios auctores adinveniatur? Præterea notandum ſeptuaginta Interpretes voce illa uſos eſſe, cum carmen elegantiſſimum & ſtylo ſublimiori conſcriptum græce redderent, & ſcriptores N. T. illos imitatos eſſe. Chriſtus itaque ſi vera eſt ſententia noſtra, ὁσιος dicitur, & quidem ὁσιος Dei, ut ſignificetur inſignis, qua præditus eſt, pietas in Patrem Suum cœleſtem, qua impulſus erat ad præſtandam Ipſi vel maximis in cruciatibus ad mortem uſque obedientiam.





V.

JOH. THEOPHILI ELSNERI,

V. D. M.

ET PASTORIS ECCLESIÆ FRATRUM BOHEMORUM BEROLINENSIUM,

C O G I T A T A

SUPER

APOLOGETICO MEPHIBOSETHI

2 SAM. XIX, 27 - 29.

O B V I O.

§. 1.

Quotiescunque verba memorati Apologetici Mephiboſethiani lego, videor mihi in iis magnum offendiculi lapidem reperire. Nam vulgaris eorum Verſio ſic ſe habet: "qui (Mephiboſethus) dixit, "Domine mi Rex, Servus meus decepit "me; nam dixerat ſervus tuus, inſternam "mihi Aſinam, ut inſidens ei abeam cum "Rege, quia claudus eſt ſervus tuus. Et "traduxit ſervum tuum apud Dominum

"meum Regem; Dominus autem meus Rex "eſt ſicut Angelus Dei &c. „ Quam verborum Mephiboſethi verſionem ſi rite perpendero,; nullus dubito adfirmare, quod in eisdem injucundus quidam deprehendatur *Hiatus hiſtoricus*, ſecundum ſanos Hermeneutices regulas omnino removendus.

§. 2.

Hanc proinde ob rationem a) paucis monſtrabo, *quis hicce Hiatus hiſtoricus* ſit, & b) oſtendere conabor, *quomodo idem tutiſſime removeri queat.*

§. 3.

Hiatus hiſtoricus hic obvius cuivis attento Lectori haud dubie in oculos incurrit. Rex David, reportata ſuper Abſolomo victoria & Hieroſolymam reverſus, Mephiboſethum (v. 26) interrogaverat: *Quare non proficiſcebaris mecum, Mephiboſethi?* Ad quæ Davidis verba claudus noſter Princeps reſpondebat: volebam hoc facere, & inſidens Aſinæ cum Rege abire; aſt *ſervus meus decepit* *) *me*, & unica cauſa fuit, quod Do-

*) Vox hebræa hic obvia רמני deſcendit a radice רמה *jecit deorſum*, & in Pihhel רמה idem eſt ac *fortiter dejecit*, Hæc Forma hebraica enim *intenſionem rei* indicat. Metaphorice ergo hic nihil aliud indicatur quam *ſpe dejecit*, vel *fecit ut proximus intentionem ſuam aſſequi non potuerit.*

Dominum meum ſequi non potuerim. Quibus verbis Mephiboſethus noſter perſpicue indicat, ſe Regi Davidi adhærere propoſuiſſe, & in magno, quod ei imminebat, periculo; Zibam autem ſe hoc in negotio impediviſſe, adeo ut animum ſuum conſtanter fidum probumque Regi Davidi demonſtrare non potuerit. Id ex ſequentibus Mephiboſethi verbis luculenter patet: "*Nam dixerat ſervus tuus, inſternam mihi Aſinam, ut inſidens ei abeam cum Rege, quia claudus eſt ſervus tuus.*„ Hæc omnia prono ſuo fluunt alveo. Mephiboſethus claudus Regem pedibus ſequi non potuit, ac proinde neceſſario ſive curru ſive aſina vehi debuit, voluitne cum Davide abire. Hic autem deceptio Zibæ qua unicum impedimentum officii non præſtiti adfertur. Quum vero modus hujus deceptionis, ſecundum vulgarem verſionem, perſpicue non indicatur, minus jucundus *Hiatus hiſtoricus* ex eo ſubnaſcitur; ut quivis facile cognoſcere poteſt. Nam quis mihi hic quæſo verborum Mephiboſethianorum ſenſus eſt: Decepit me ſervus meus, ego enim Aſinæ inſidens cum Rege abire volui, quia claudus ſum. Niſi hic aliud quidpiam adhuc addatur, magnus profecto in Mephiboſethiano hocce ſermone deprehenditur defectus, & nullum ſa-

num fundit ſenſum. Mephiboſethus ſecundum naturalem cogitandi rationem ſimul monſtrare debuit; *qua in re deceptio Zibæ*, ſervi Mephiboſethiani, *conſtiterit*, ob quam Regem David ſequi non potuerit, etſi id facere libentiſſime voluiſſet. Id autem in vulgari verſione præteritur, & totum ſermonis Mephiboſethiani ſenſum abſonum reddit. Hanc proinde ob rationem.

§. 4.

b) Suboritur queſtio: *Quomodo injucundus hicce Hiatus hiſtoricus evitari, & ſermo Mephiboſethianus perſpicuus reddi queat?* Etſi Mephiboſethus noſter corpore debilis atque infirmus fuerit, haudquaquam tamen præſumi poteſt, eum & anima tam debilem ac miſerum fuiſſe, ut ipſe neſciverit, quid dicat, Nec veroſimile eſt, eum memoriam tam labilem & infirmam habuiſſe, ut in ſermone ſuo id omitteret, quod in eo ad implendum totum ſenſum ſumme neceſſarium fuit. Quinimo ex toto ipſius Apologetico ſatis luculenter apparet, eum ſenſa mentis ſuæ vere pulchre & idonee exprimere potuiſſe. Vel an forte quiſpiam Auctorem ſacrum ſecundi Libri Samuelis culpare volet, eum præcipuam ſermonis Mephiboſethiani partem adferre oblitum fuiſſe?

iste? Vel an alius quispiam dicet, descriptorem hujus pericopæ historicæ olim negligentem fuisse, & hic quidpiam omisisse? Hæc & similia adfirmare, minus prudenter actum esse mihi videtur, nec ullo comprobari posset modo. Ac proinde nullus dubito, quin sensus sermonis Mephibosethiani integer sit, & facillimo negotio ex ipso verborum contextu monstrari queat.

§. 5.

Initium versiculi 28vi rite versum hoc in negotio magno nobis profecto erit adjumento. Vulgaris versio eum nobis ita sistit: "*Et traduxit servum tuum apud Do-*"*minum meum Regem*, „ quod tamen satis tutum non est. Nam quomodo mihi quispiam demonstrabit, quod Mephibosethus de *traductione* vel *calumnia Zibæ* servi sui aliquid inaudiverit, & quod se hic propterea coram Davide justificare voluerit. Mephibosethus ob infirmum corpus suum domi sese maxima ex parte continere coactus fuit; quod præcipue periculoso hocce belli tempore fecisse censendus est; quam proinde ob rationem multa ipsum latuerunt, quæ aliis nota esse poterant. Præterea nullum dubium est, Zibam perfidum omni usum fuisse astutia, ne Mephibosethus Princeps de calumnia sua quidpiam resciret,

nec

nec ſe coram Rege ſcriptotenus juſtificare poſſet. Nec vero ſimile eſt, Regem David Mephiboſethum publico aliquo decreto qua perfidum condemnaſſe, atque ita Mephiboſetho innotuiſſe, quid Ziba penes Regem dixerit; nam tales tunc erant belli circumſtantiæ, ut David Rex vix quidpiam tale expedire & ad Mephiboſethum transmittere potuerit. Atque ita adfirmare auſim, Mephiboſethum noſtrum de *Calumnia* ſive *traductione Zibæ* nihil unquam ante hocce tempus, quo cum Davide Rege loqueretur, reſciviſſe, ac proinde ſe hic contra Mephiboſethum qua calumniatorem neutiquam defendiſſe. Alia mihi hic prorſus videtur fuiſſe ratio, ob quam Mephiboſethus contra ſervum ſuum Zibam ad iram concitatus fuerit.

§. 6.

Ego totam hancce Mephiboſethi Hiſtoriam ſequenti concipio modo: "David, "ſecundus Iſraelitarum Rex, in fuga ſua "probe nota a Ziba, ſervo Mephiboſethi "(2 Sam. 16, 3.) audiverat, Mephiboſethum "anhelare thronum Avi ſui Saulis, vel "ſaltem autumare, populum Iſraeliticum ſibi "redditurum eſſe Regnum Iſraeliticum. Ob "varias, quæ tunc agebantur, turbas ne"gotium hocce indagari non poterat. Quum

"ita-

"itaque Mephiboſethus Davidi ex bello in-"teſtino Hieroſolymam redeunti ſe ſiſteret, "& cum ea, qua par erat, humilitate ſalu-"taret, intarrogavit ipſum Rex David: "v. 26. *Quare non proficiſcebaris mecum, Me-"phiboſethe?* Quo ipſi David Rex haud du-"bie in memoriam revocare voluit, eum "ante hac (referente Ziba) mala in præcor-"diis ſuis foviſſe & thronum Iſraeliticum "conſcendere voluiſſe. Mephiboſethus au-"tem, qui nullius mali ſibi conſcius erat, "nec quidpiam de calumnia Zibæ ſervi ſui "audiverat, id unicum Apologetico ſuo co-"ram Davide habito monſtrare ſategit, qua-"re cum Rege Davide, Domino ſuo, profe-"ctus non fuerit, etſi eidem nunquam uon "fidelis manſerit. Reſpondit proinde: "Ego revera apud me conſtitueram, "Domino cum meo proficiſci; quoniam au-"tem pedeſtre iter inſtituere nequeo, Aſi-"næ inſidere & cum Rege Domino meo "abire volui; ait Ziba ſervus meus inique "me deſeruit, ſolus ad Regem Dominum "meum profectus eſt, & ego domi manere "coactus fui. Ego hocce ſervi mei factum "pro fraude habeo, nam ego hac ratione fi-"nem meum aſſequi non potui, & ſimul "magno expoſitus ſum periculo, quia ego "ab Abſalomo, tanquam aſſecla Domini "mei Regis, facillime comprehendi & ma-

"le

"le tractari potuissem. Meus servus ita-"que hoc in negotio contra me peccavit "&c.,,

§. 7.

Ex his itaque quivis facile perspicit, quod ego Mephibosethi modum loquendi וירגל בעבדך אל-אדני tanquam *Basin deceptionis* habeam, qua Ziba Dominum suum Mephibosethum deceperit; ac proinde ita eum verto: *Et ecce* *) (cum Regem Dominum meum sequi volui) *Ziba perperam seu inique abiit a servo tuo ad Dominum meum Regem.* Quo vertendi modo supra dictus *Hiatus historicus* non modo evitatur, verum etiam totus sermonis Mephibosethiani sensus perspicuus redditur.

§. 8.

*) Particula hæcce exhibitiva (*ecce*) videtur mihi in *Vau conversivo futuri* latere. Id nobis præclarus Literaturæ Hebraicæ stator, *Cel. Albertus Schultensius* in *Institutionibus suis ad Fundam. Linguae Hebr.* §. *CXLVI seu pag 424.* more suo pulchre indigitat, cum dicit: "Hinc (quia *Vau convers. Fut.* "*per patach & dagesch forte* præfigitur) "conjectura mihi nata, sub hac punctatu-"ra extraordinaria וּ latitare *Hé* illud, "quod etiam verbis solenniter præfixum "fuit cum *demonstratione*,, Quod Clar. ille meus quondam Gamaliel, æternum a me & nunc in urna sua devenerandus, nonnullis comprobat speciminibus.

§. 8.

Ego quidem probe ſcio, quod voces hebraicæ רגל & רגל in Lexicis & Commentariis communiter per *explorare*, *obtrectare*, *obtrectatorem agere* reddantur; aſt id quoque ſcio, ſignificationes haſce tantummodo ex connexione deduci, & ſecundarias ſolummodo exhibere notiones, quibus *Notio primaria* ſeu *Origo* adhuc deeſt, utpote quæ in Literatura hebraica maxima ex parte negligatur, etſi ſumme neceſſaria ſit, & ad demonſtrandam in quavis Lingua Pulchritudinem ſermonis permultum addat. Reſtituenda itaque eſt in noſtro hocce verbo רגל primaria notio, quæ *incurvavit* vel *curvus* fuit eſt. Unde quoque *Pes* רגל dicitur ob *curvitatem* ſeu *incurvationem ſui*. Ideo etiam vox hæcce noſtra in Forma Pihhel רגל crebro per *explorare*, *percontari* redditur, quia *explorationis* negotium *cum niſu incurvationis & per curvas ambages ſeu ſemitas fieri aſſolet*. Secundaria ſignificatio *obtrectare*, *calumniari*, figurata & improprie ſumta dictio eſt, & probe indagari meretur. In hac ſignificatione dicitur noſtrum רגל bis occurrere, videlicet Pſalmo XV. 3. & 2 Sam. XIX. 28. Primo in loco noſtrum רגל ſolum haudquaquam notionem *obtrectandi* exhibet, ſed

jun-

junctum cum sequentibus vocibus hebraicis על־לשונו *super Lingua sua* notionem hancce suppeditat, acsi diceretur *curvus fuit super lingua sua* vel *incurvavit linguam suam, curve vel sinistre cum illa egit* (contra proximum suum). Si hebr. vox רגל sola, secundum vulgarem versionem, notionem *obtrectandi* in se contineret. cui quæso bono hic demum על־לשונו adderetur? Atqui satis notum est, quod *obtrectationis* negotium *lingua*, & non alio aliquo membro corporis fiat. Ex quo luculenter apparet, quod רגל in se spectatum ideam *obtrectationis* non exhibeat, & quod ideo voces *super lingua sua* in hebræo textu addi debuerint, ut *obtrectationis* notio indicari queat. Imo observari meretur, hic Davidem sanctum non tantum *obtrectationem* seu *calumniandi rationem*, verum etiam *quemvis iniquum, falsum & fraudulentum sermonem* indicare voluisse, quo proximo suo quisquam nocere potest vel vult.

§. 9.

Posteriori loco 2 Sam. XIX. 28. notio *calumniandi*, *obtrectandi* nullum prorsus in voce nostra hebraica רגל reperit locum. Imo in forma *Pihhel*, quæ hic occurrit, deberet potius, secundum vulgarem vertendi rationem per *explorare, per-*

con-

contari reddi, utpote quæ notio in ſacro Codice huic noſtro רגּל multoties addi ſoleat. Quod tamen nec hic commode uſurpari poteſt; ſiquidem alibi hæc vox רגּל in Forma Pihhel cum vocula את conſtruatur, hic autem cum litera ב conjungatur; ut cuivis rei perito conſtare debet. Hanc proinde ob rationem alia aliqua hujus verbi nobis quærenda eſt ſignificatio, quæ interiorem primariæ notionis vim adimpleat, & Formæ Pihhel intenſius robur indicet. Hac itaque ratione noſtrum רגּל, quod hic occurrit, nobis haud dubio indicabit, *valde curve* (moraliter) *ſeu inique inceſſit in via ſua ſeu in molimine ſuo* (Ziba) בעבדך *a ſervo tuo vel contra ſervum tuum*, id eſt, ad ipſius damnum; ſiquidem Mephiboſethus contra mentem ſuam domi manere, nec Regi officium ſuum debitum præſtare potuit.

§. 10.

Forſitan autem hic quiſpiam dicet: *Quomodo quæſo hæc Apologia Mephiboſethi & incuſatio Zibæ Regi Davidi placere potuit, cum Ziba unice propterea ad Regem David iviſſet, ut Regem & aſſeclas ejus refocillaret?* Regero adhæc, quod Mephiboſethus id ſervo ſuo Zibæ haudquaquam vitio ver-

Mm teriṭ

terit quod ad Regem iverit, & eum cum asseclis ejus refocillaverit; sed quod *absque Principe suo* claudo abiverit, & eum eo ipso permagno exposuerit vitæ periculo. Quapropter etiam Rex David Mephiboseth nostro Apologeticon ejus & incusationem Zibæ nequaquam in malam interpretatus est partem; quin imo eundem refocillare conatus est, eo quod Zibæ tantummodo Medietatem Bonorum Mephibosethianorum reliquerit, alteram Medietatem eorum autem Mephibosetho clementer restituerit. *)

§. 11.

*) *Triplex* mihi videtur in Historia Mephibosethi *dispositio Davidis* circa memorata Bona occurrere. *Prima* facta est secundum 2 Sam. IX, 9. 10. ubi Rex David Mephibosetho omnia & singula Bona donasse dicitur. *Secunda* 2 Sam. XVI, 4. occurrit, ubi Zibæ, servo Mephibosethiano, dicta Bona adiudicata fuere. *Tertia* 2 Sam, XIX, 30. extat, & medietatem horum Bonorum Zibæ adtribuit. Inficiari nequeo, & mihi postremam hancce Davidis sententiam circa paterna Mephibosethi Bona minus idoneam videri, eo quod innocens Princeps haudquaquam meruerit, ut Medietatem Bonorum suorum paternorum amitteret; ast simul perpendo, Davidem Regem hoc unice ideo fecisse, ne astutus Ziba in turbulentis illis, quæ tunc temporis erant, cir-

§. 11.

Quod si autem quispiam hac occasione & notionem *obtrectandi*, *calumniandi* libenter conservare velit, & ex rationibus mihi ignotis adfirmet, Mephibosethum omnino aliquid de *obtrectatione Zibæ* coram Rege David inaudivisse; is suo abundet judicio. Id tamen idem observare debet, ut supra memoratus *Hiatus historicus* evitetur, & primaria notio *incurvandi* minime negligatur. Sic proinde initium versus 28vi verti posset, (servus meus Ziba me decepit) "*& non tantum astute* (curve "sinistre, inique) *a me* (absque me) *ad Do-* "*minum meum Regem abiit*, *verum etiam* "*curve* (sinistre, inique) *contra me ad Do-* "*minum meum locutus est*.„ Si tamen hac de versione sincere loqui debeam, adfirmo, eam mihi coactam esse videri, nec tam bene ad præcedentia verba, *volui ad Regem pro-*

Mm 2 *ficis-*

circumstantiis Regni Israelitici novas forsitan excitaret turbas, si pro magna sua erga Regem David fidelitate nullum prorsus acciperet præmium. Et minus sinceris hominibus nonnunquam ob rationes politicas connivendum est. Mephibosethus autem in Medietate Bonorum sibi donatorum facile acquiescere potuit, quandoquidem Gratia Regis ei omnia omissa optime compensare valuit. Quæ hic *Cl. Delany* de *Colono partiario Zibae* adfert, non placent mihi.

ficisci, *sed non potui*, quadrat; quandoquidem ea non tam *calumniam*, quam *astutum Zibæ abitum*, quo simul omnes **) Asinæ Me-

**) Miror profecto, quomodo vulgaris versio 2 Sam, XVI, 1, occurrens adfirmare possit, Zibam tantummodo *par Asinorum* secum ad Davidem adduxisse, cum tamen & vox hebræa hic extans, & ingens, quod ad Davidem ferebatur, onus esculentorum contrarium suadeat. Vox hebræa hic extans est צמר חמרים, quod per *Jugum Asinorum* verti debet, eo quod צמר *jungere*, *copulare* significat, atque ita non *par Asinorum* sed *copula* seu *Jugum Asinorum* intelligitur. Si Auctor sacer *duos Asinos* indicare voluisset, Duali Numero חמרים haud dubie usus fuisset, quod tamen non fecit; atque ideo plures, quam duos Asinos nobis ob oculos ponere voluit, etsi numerum ipsum non indicaverit. Idem nobis & onus illud esculentorum, quod ad Davidem apportabatur, suadet; nam *ducenti panes*, & *centum uvae passae*, *centumque poma* & *uter vini* vix a duobus portari potuissent asinis; plures asini profecto ad tale quid portandum requirebantur. Ne dicam, quod hi adducti Asini secundum v. 2. dicti Capitis *pro Familia Regis ad insidendum* destinati fuerint, ac proinde plures esse debuerunt. Non male itaque judicant ii, qui Zibam Mephibosetho Domino suo omnes abduxisse Asinos autumant; quam ob causam etiam Mephibosethus Regem David sequi non potuit.

Mephibosethi ademtæ fuerant, præsupponit.

§. 12.

Postremo adhuc indicandum restat, quid de verbis Davidicis sentiendum sit, quæ v. 30. extant, & finito Apologetico Mephibosethiano sententiam Regis manifestant. Dicit ibi David ad Mephibosethum: *Quare eloquereris ultra verba tua? Edixeram, ut tu & Ziba partiamini agrum.* Posterior sententiæ hujus Regiæ pars supra (§. 10.) paucis enucleata est. Ob periculosas Regni Davidici circumstantias Zibæ dimidium Bonorum Mephibosethianorum donatum fuit. Prior vero sermonis hujus Davidicis pars non impatientiam aliquam Regis, sed clementiam ejus erga Mephibosethum indicat, ac si diceret Rex ad Mephibosethum: non opus est multis verbis, facile comprehendere possum innocentiam tuam & vafritiem Zibæam; ast in in hisce rerum turbulentarum circumstantiis prudentiæ est, partem Bonorum suorum servo tuo Zibæ [dono dare; acquiesce tu modo in hacce Regia mea dispositione, & firmi-

tuit, eo quod ipsi nullus amplius ad insidendum superfuerit Asinus vel Asina.

ter persuasus esto, me curam tui perenniter esse habiturum *)

FINIS.

*) *Cel. Delany* autumat *lib. cit.*, Davidem Regem hac occasione concepisse Psalmum suum XXXVII, eoque Mephibosethum contristatum pie erigere, & ad constantem in Deum Fiduciam excitare voluisse, quinimo prædixisse de vafro Mephibosethi servo, eum felicitate sua diu gavisurum non esse. Ea, quæ *Rev. David Elsnerus*, V. D. M. Borussicus, de Innocentia Zibæ & de Mephibosethi crimine læsæ Majestatis Davidicæ an. 1758. in lucem edidit, peculiari Ao- 1759 Dissertatiuncula Historico-philologica de *vindicata Integritate Mephibosethica* confutata fuere; ubi & cogitata supra allata vernacula lingua prostant.





VI.

JOH. PHIL. CASSELII,

PROF. BREM.

ORIGINES LIBYAE VETERIS,

EX

ANTIQUA PHOENICIORUM LINGUA ERUTAE. *)

I. *MELITTA.*

ARGUMENTUM.

§. 1. *Melitta* & *Malta* non a מלטא *melata*, calx vel cæmentum, ſed a מליטה *Melita*, refugium. §. 2. Num a *melle* & *apibus* quaſi Μελιττη dicta, ut *Melita*, pagus Atticus, *Meliſſa* oppidum Phrygiæ, *Miletus* & *Melite* Joniæ urbes.

§. 1.

Melitta quartum eſt oppidum, (de prioribus enim tribus *Caricon Teichos*, *Gitte*, *Acra*, *loco infra citato* plu-
Mm 4 ribus

*) Tria ejusmodi generis ſpecimina ante aliquot annos a me inſerta ſunt *Diario Tigurino*, quod

ribus egimus,) quod ab Hannone & Carthaginensibus ad mare in Libya exstructum est. Urbem hanc, una cum insula *Melite* in mari mediterraneo sitam *) a מלטא *Melata*, vel *Malta*, *calcem* & *cæmentum* denotante vocabulo, appellatam esse vult Cel. BOCHARTUS, *Can.* L. I. c. 26. p. 500. ubi pluribus de hac voce agit. Sed cum & ibidem loci Vir summus observet, מליטה *Melita* Pœnorum lingua fuisse *refugium*, a radice מלט *Millet*, *eripere*, *effugere*, *liberare*, qualem insulam *Meliten* fuisse

quod *Satura Dissertatt. Oratt. &c.* inscribitur, cujus tantum *volumen* I, *quatuor partibus* constans prodiit, & postea sub titulo *Musei Helvetici* aliis legibus circumscripti renovatum & continuatum est. Nobis titulum Observationum nostrarum ad alios usus destinatarum itidem mutare, & a generaliori denominatione regionis inscribere placuit

*) Pluribus in originem vocis *Malta* inquisivit J. F. WANDALINUS, *diss. de Melita Pauli*, c. I. p. 17. sq. Hafniæ 1707. & quam plurimi alii, qui de hac insula in scriptis suis data cura egerunt, quorum nomina coacervare nolo. Cæterum *Wandalini* diss. una cum J. G. ERLMANNI de eadem insula junctim insertæ sunt *Thesauro Dissertatt. Theolog. Philol. Menthenii*, T. II. p. 497. sq. Conf. & MAJUS *de lingua Punica.* p. 3-15.

iſſe docet expreſſis teſtimonii *Diodori Siculi* verbis: quidni & hæc Pœnorum urbs *munita*, quæ heic loci pariter *Pœnis* præſtabat refugium contra inſultus Libyæ populorum barbarorum, qui *Phœnicios* internecino odio proſequebantur, teſte eodem DIODORO L. XX. p. 791. potuit a refugio nomen *Melittis* accepiſſe, ſi Phœnicium eſt vocabulum?

§. 2.

Qui vero Phœnicium nomen heic loci non agnoſcent, quod tamen antiquiſſimi temporis ratione habita non negandum, dubio procul a *melle* & *apibus* dictam Μελίττην contendent, quemadmodum pagus Atticus *Melita* hinc dictus eſt apud PLINIUM, L. IV. 7. erat enim vicinus *Hymetto* celeberrimo mellis copia. Item Μελισση *Meliſſe*, oppidum Phrygiæ, ubi Alcibiades ſepultus eſt, teſte ATHENÆO L. XIII. 4. Verum & *Melite* fuit inſula Illyrico vicina, de qua *ibidem loci* BOCHARTUS, quæ Græcam originem reſpuere videtur, uti & *Miletus* *) antiqua & celeberrima Joniæ urbs

*) Quam urbem etiam ab eadem radice מלט qua *liberare*, *ſervare*, denotat, dictam vult Cel. MOYNE *Var.* S. T. II, p, 134. Conf. de hac civitate coloniarum multitudine

& *Melite*, antiqua pariter ejusdem regionis civitas, & ab incolis Joniæ quondam deleta, a VITRUVIO L. IV. 1. inter urbes Joniæ memorata. His enim vetuſtis urbibus videtur ex Orientis lingua, quale etiam ſit, nomen adhæſiſſe, ut forte *Bocharti* conjecturæ de *Melite* inſula, & ad hæc loca extendi mereantur. Alia quampluríma locorum & urbium ejusdem ſoni nomina occurrunt, quæ apud Veteres & recentiores Geographos evolvi, & quæ commode ad triplicem hanc radicem referri poſſunt.

II. *ARAMBYS.*

ARGUMENTUM.

§. 1. *Arambys* non dicta ab הר—ענבין *Har—anbyn*, monte uvarum, ſed a ערב *arab*, vel a *multitudine*, vel a *nigritie* hominum, unde etiam *Arabes* dicti, item *Kedareni* a קדר *Kadar* nigreſcere, unde ערב *Ereb* veſpera &c. *Mem* inſeritur, Cl. *Gronau* laudatus.

§. 2. Arabia dicitur etiam *Ereb*, Arabes, *Erebim*, unde *Erembi* iidem ſunt, qui *Troglodytae* & *Arabes*.

§. 3. Lis circa verſum *Homeri*. *Erembi* non dicti ab ἔραν βαίνειν, quod ſub terra habitent. *Cant.* 1. 5. illuſtr.

§. 1.

dine incluta PITISCUS *in Curt*, p. 117. MARSHAMI *Can. Chron.* p. 552. J. *de* WILDE *ſel. Numiſm. ant.* p. 74. BISSELII *Illuſtr. Ruinar. Dec. III. Ru.* XXVII. p. 772. ſq.

§. 1.

ARAMBYS vel Ἀραμβυς ultima a Phœniciis ad Oceanum Atlanticum extructa urbs. Nomen hoc cum BOCHARTO *l. c. p.* 641. non deducerem ab הר־ענבין *Har-anbin, monte uvarum*, vel הר־ענבי *Har–anbi, monte racemifero*: ſed potius a ערב *arab*, ut locus vel a miſcellanea hominum turba variarum *Libyæ* & *Phœnicum* & *Libyphœnicum* gentium, vel ab incolarum *nigritie* dictus ſit. Utrumque enim vox Hebræa denotat. Unde & Arabes *) dicti ſunt, vel a *colluvie* hominum ſe in Arabia latrocinii cauſa congregantium, vel a populorum *nigredine*, unde & *Kedareni* **) ſecundum quosdam appellati plurimi *Arabum* a קדר *Kadar, nigreſcere, atrum*

*) Alia lege apud CL. SIMONIS *in Onomaſt. Vet. Teſt.* p. 107. MOYNE *Var. S.* T. II. p. 469. BETULEJUM *in Lactant. Carmen de Phoenice* v. 80. *edit. c. not. Var.*

**) *Rever.* GRONAU V. D. *Min. Berolin.* mavult *Kedarenorum* vocem ex propria ipſorum lingua illuſtrare, & ex divite Arabum theſauro adducit duplicem radicem, quarum prima קתר قتر *Kathara*, concernit *vitae rationem*, altera potentiam Arabum a קדר قدر *Kadara, praevalere, potens eſſe, in diſſ. de Tentoriis Kedar* p. 6. Præf. Cel. Lampe. Bre-

trum esse. Hinc & ערב *Ereb* vocatur *vespera*, & ערב *Oreb corvus* a *nigredine*. In plurali est ערבים & Syriaca dialecto ערבין *Arabin*, unde *Nun finali* in Σ mutato, ut in Νισιβις a נסיבין & *mem* epenthetico inserto *Arambis* vel *Arambys*. *Mem* enim frequentissime interponi, toties viris doctis observatum est, vid. Clar. LAMPE *de Cymbalis* L. I. c. I.

§. 2.

Atque ut hoc magis illustremus, sciendum, quod, quemadmodum *Arabia* sæpe dicitur ערב *Arab*, sic & juxta punctationem Masorethicam ערב *Ereb* dicatur, ut I REG. X. 15. מלכי הערב *Malche heereb*, id est, *Reges Arabiæ*. Atque hi ערבים *Arabim* vel *Erebim*, ut 2 CHRON. XXI. 16. & alibi vocantur, sunt HOMERI *Erembi*, seu *Arabes Troglodytæ*. Docet hoc clare & expresse STRABO p. 2. memorans *Homerum* meminisse Ερεμβους, addit ὡς εἰκος λεγειν τους Τρωγλοδυτας ΑΡΑΒΑΣ, *quos Troglodytas Arabes recte dixeris* vid. RHODIGINUS *Ant.* L. p. 1033. sed *Erembos* ad littus Arabici sinus juxta *Aethiopas* Orientales

Bremæ 1728. Conf. HOTTINGERI *Histor. Orient.* p. 48. BERNARDUS *ad Josephi Antiquitt. Jud.* p. 49.

tales locat DIONYSIUS PERIEGETES *v.* 180. & in hac re accedimus *Dionysio*, quia *Arabes* in hanc *Æthiopiam* sæpius deduxisse colonias, certissime novimus. Vid. PLINIUS L. VI. 29. Imo & *Strabonem* hos ipsos *Troglodytas* intelligere, dum *Erembos* esse *Troglodytas Arabas* exponit, videtur vero simile. Nam *Troglodytice*, & ab aliis *Æthiopia*, ab aliis quoque *Arabia* dicta est, Consulatur ILL. SALMASIUS *in Solinum* p. 561. Pariter & Arabiæ Felici versus *Occidentem* opponit solum *Eremborum* DIONYSIUS PERIEGETES *v.* 961. sq.

§. 3.

Homeri versus, quem STRABO citat, hic est,

Αἰθίοπας θ' ἱκόμην καὶ Σιδονίους, καὶ ΕΡΕΜ-ΒΟΥΣ,

Veni ad Æthiopas, & Sidonios, & EREMBOS.

Plurimum de hoc loco *Homeri* disputat *Strabo* L. I. p. 28. & L. XVI. p. 539. docens eum vocatum dudum fuisse sub incudem veterum Criticorum. Nam Zenonem Auctorem Stoicæ sectæ ita locum correxisse,

καὶ

- - καὶ Σιδονίους Ἀραβάς τε

sed intempestivam hanc Zenonis Criticam, qui major fuit Philosophus, quam Criticus, ipse *Strabo* rejicit, quod locus mendo careat, atque in omnibus veterum Mstis extet Ἐρεμβοὺς. Unde rectissime accedit *Posidonio*, utrobique locorum, qui Ἐρεμβοὺς dici ab Homero scripsit, quos nunc Ἀραβας levi immutatione vocamus. Conf. STEPH. BYZANT: in Ερεμβοι, & EUSTATHIUS *ad l. c. Homeri*, p. 61. BOCHARTUS hic nobiscum consentit T. I. p. 216. & 283. Originem nominis loci exposuimus, nam quod Græci tradant apud STRABONEM L. I. p. 29. ita dictos ab εραν βαινειν, *quod sub terra habitent*, cui EUSTATHIUS *ad Dionys. Perieg.* v. 180. IS. TZETZES mox citandus, & AUCTOR *Etymologici Magni* accedunt, nugæ sunt Græculorum. Vid. *Cl.* HASÆUS *Bibl. Brem.* T. II. p. 482. Melius foret, quod quasi Ἐρεμνοι vel Ἐρεβεννοι dicti sint, hoc est *nigri*, nam & omnia illa nomina ἐρεμνος, ἐρεβεννος, & ἐρεβος nigritiem quandam involvunt, quibus *infernus* & *inferi homines* utpote denotantur, sunt ex eadem radice ערב *ereb*, & ita *infernus* dictus est a *nigrore*, quo eum conspicuum esse, & olim & hodie credebatur, & creditur. Eam quidem etymologiam respuit STRABO L. XVI.

XVI. p. 540. quod id Æthopibus magis conveniat, sed ex ea causa perperam, quia non solum Aethiopes sed & Arabes nigri erant, quorsum referunt illud Salomonis regum sapientissimi, CANTIC. I. 5. NIGRA *sum, ut tentoria Kedar.* Nescio an & inde lux accedat voci *Arambys*, quod vicina sit urbs *Nomadibus*, & *Aethiopibus*, HANNONE teste. Nam inter varias explicationes vocis Ερεμβος etiam Νομαδων & Αιθιοπων meminit HESYCHIUS: Ερεμβοι, ΝΟΜΑΔΕΣ, ΑΙΘΙΟΠΕΣ. Αραβες, Ινδοι, Αραβιοι. *Eremborum* etiam ad Nilum habitantium meminit LYCOPHRON *Alex* v. 827.

> Και τας Ερεμβων ναυταις ηχθημενας
> Προβλητας ακτας.
> *Et* EREMBORUM *nautis piscata*
> *Prominentia littora.*

Ad quæ verba IS. TZETZIS explicatio notanda: Ελλανικος Φησι, τυς Ερεμβυς περι τας τυ Νειλυ ροας οικειν, γένος δε Αραβων ἐισιν οι Ερεμβοι οι καὶ Τρωγλοδυται, και Ιχθυοφαγοι καλυμενοι, ὡν των βιον πλατεως ὁ Διοδωρος γραφει. Ερεμβοι δε λεγονται, ὁτι εν τη ἐρα, ἡ τοι τη γη βαινυσιν, ὑπο γαρ γην καὶ τρωγλας ὀικυσιν. *Hellanicus dicit, Erembos circa Nilum fluvium habitare; Erembi vero sunt gens Arabica, qui & Troglodytæ & Ichthyophagi, vel piscivori dicti, quorum vitam pluribus Diodorus descripsit.*

Erem-

terit quod ad Regem iverit, & eum cum assectis ejus refocillaverit; sed quod *absque Principe suo* claudo abiverit, & eum eo ipso permagno exposuerit vitae periculo. Quapropter etiam Rex David Mephibosetho nostro Apologeticon ejus & incusationem Zibae nequaquam in malam interpretatus est partem; quin imo eundem refocillare conatus est, eo quod Zibae tantummodo Medietatem Bonorum Mephibosethianorum reliquerit, alteram Medietatem eorum autem Mephibosetho clementer restituerit. *)

§. 11.

*) *Triplex* mihi videtur in Historia Mephibosethi *dispositio Davidis* circa memorata Bona occurrere. *Prima* facta est secundum 2 Sam. IX, 9. 10. ubi Rex David Mephibosetho omnia & singula Bona donasse dicitur. *Secunda* 2 Sam. XVI, 4. occurrit, ubi Zibae, servo Mephibosethiano, dicta Bona adiudicata fuere. *Tertia* 2 Sam, XIX, 30. extat, & medietatem horum Bonorum Zibae adtribuit. Inficiari nequeo, & mihi postremam hancce Davidis sententiam circa paterna Mephibosethi Bona minus idoneam videri, eo quod innocens Princeps haudquaquam meruerit, ut Medietatem Bonorum suorum paternorum amitteret; ast simul perpendo, Davidem Regem hoc unice ideo fecisse, ne astutus Ziba in turbulentis illis, quae tunc temporis erant, cir-

§. II.

Quod si autem quispiam hac occasione & notionem *obtrectandi*, *calumniandi* libenter conservare velit, & ex rationibus mihi ignotis adfirmet, Mephibosethum omnino aliquid de *obtrectatione Zibæ* coram Rege David inaudivisse; is suo abundet judicio. Id tamen idem observare debet, ut supra memoratus *Hiatus historicus* evitetur, & primaria notio *incurvandi* minime negligatur. Sic proinde initium versus 28vi verti posset, (servus meus Ziba me decepit) "*& non tantum astute* (curve "sinistre, inique) *a me* (absque me) *ad Do-* "*minum meum Regem abiit, verum etiam* "*curve* (sinistre, inique) *contra me ad Do-* "*minum meum locutus est.*" Si tamen hac de versione sincere loqui debeam, adfirmo, eam mihi coactam esse videri, nec tam bene ad præcedentia verba, *volui ad Regem pro-*

circumstantiis Regni Israelitici novas forsitan excitaret turbas, si pro magna sua erga Regem David fidelitate nullum prorsus acciperet præmium. Et minus sinceris hominibus nonnunquam ob rationes politicas connivendum est. Mephibosethus autem in Medietate Bonorum sibi donatorum facile acquiescere potuit, quandoquidem Gratia Regis ei omnia omissa optime compensare valuit. Quæ hic *Cl. Delany* de *Colono partiario Zibæ* adfert, non placent mihi.

ficisci, *sed non potui*, quadrat; quandoquidem ea non tam *calumniam*, quam *astutum Zibæ abitum*, quo simul omnes **) Asinæ Me-

**) Miror profecto, quomodo vulgaris versio 2 Sam, XVI, 1, occurrens affirmare possit, Zibam tantummodo *par Asinorum* secum ad Davidem adduxisse, cum tamen & vox hebræa hic extans, & ingens, quod ad Davidem ferebatur, onus esculentorum contrarium suadeat. Vox hebræa hic extans est צמד חמרים, quod per *Jugum Asinorum* verti debet, eo quod צמד *jungere*, *copulare* significat, atque ita non *par Asinorum* sed *copula* seu *Jugum Asinorum* intelligitur. Si Auctor sacer *duos Asinos* indicare voluisset, Duali Numero חמרים haud dubie usus fuisset, quod tamen non fecit; atque ideo plures, quam duos Asinos nobis ob oculos ponere voluit, etsi numerum ipsum non indicaverit. Idem nobis & onus illud esculentorum, quod ad Davidem apportabatur, suadet; nam *ducenti panes*, & *centum uvae passae*, *centumque poma* & *uter vini* vix a duobus portari potuissent asinis; plures asini profecto ad tale quid portandum requirebantur. Ne dicam, quod hi adducti Asini secundum v. 2. dicti Capitis *pro Familia Regis ad insidendum* destinati fuerint, ac proinde plures esse debuerunt. Non male itaque judicant ii, qui Zibam Mephibosetho Domino suo omnes abduxisse Asinos autumant; quam ob causam etiam Mephibosethus Regem David sequi non potuit.

Mephiboſethi ademtæ fuerant, præſupponit.

§. 12.

Poſtremo adhuc indicandum reſtat, quid de verbis Davidicis ſentiendum ſit, quæ v. 30. extant, & finito Apologetico Mephiboſethiano ſententiam Regis manifeſtant. Dicit ibi David ad Mephiboſethum: *Quare eloquereris ultra verba tua? Edixeram, ut tu & Ziba partiamini agrum.* Poſterior ſententiæ hujus Regiæ pars ſupra (§. 10.) paucis enucleata eſt. Ob periculoſas Regni Davidici circumſtantias Zibæ dimidium Bonorum Mephiboſethianorum donatum fuit. Prior vero ſermonis hujus Davidicis pars non impatientiam aliquam Regis, ſed clementiam ejus erga Mephiboſethum indicat, ac ſi diceret Rex ad Mephiboſethum: non opus eſt multis verbis, facile comprehendere poſſum innocentiam tuam & vafritiem Zibæam; aſt in in hiſce rerum turbulentarum circumſtantiis prudentiæ eſt, partem Bonorum ſuorum ſervo tuo Zibæ (.) dono dare; acquieſce tu modo in hacce Regia mea diſpoſitione, & firmi-

 ter

(.) tuit, eo quod ipſi nullus amplius ad inſidendum ſuperfuerit Aſinus vel Aſina.

ter perſuaſus eſto, me curam tui perenniter eſſe habiturum *)

FINIS.

*) *Cel. Delany* autumat *lib. cit.*, Davidem Regem hac occaſione concepiſſe Pſalmum ſuum XXXVII, eoque Mephiboſethum contriſtatum pie erigere, & ad conſtantem in Deum Fiduciam excitare voluiſſe, quinimo prædixiſſe de vafro Mephiboſethi ſervo, eum felicitate ſua diu gaviſurum non eſſe. Ea, quæ *Rev. David Elsnerus*, V. D. M. Boruſſicus, de Innocentia Zibæ & de Mephiboſethi crimine læſæ Majeſtatis Davidicæ an. 1758. in lucem edidit, peculiari Ao- 1759 Diſſertatiuncula Hiſtorico-philologica de *vindicata Integritate Mephiboſethica* confutata fuere; ubi & cogitata ſupra allata vernacula lingua proſtant.



VI.



VI.

JOH. PHIL. CASSELII,

PROF. BREM.

ORIGINES LIBYAE VETERIS, EX ANTIQUA PHOENICIORUM LINGUA ERUTAE. *)

I. *MELITTA.*

ARGUMENTUM.

§. 1. *Melitta* & *Malta* non a מלטא *melata*, calx vel cæmentum, fed a מליטה *Melita*, refugium. §. 2. Num a *melle* & *apibus* quafi μελιττη dicta, ut *Melita*, pagus Atticus, *Melissa* oppidum Phrygiæ, *Miletus* & *Melite* Joniæ urbes.

§. 1.

MELITTA quartum eft oppidum, (de prioribus enim tribus *Caricon Teichos*, *Gitte*, *Acra*, *loco infra citato* pluribus

*) Tria ejusmodi generis fpecimina ante aliquot annos a me inferta funt *Diario Tigurino*, quod

ribus egimus,) quod ab Hannone & Carthaginensibus ad mare in Libya exstructum est. Urbem hanc, una cum insula *Melite* in mari mediterraneo sitam *) a מלטא *Melata*, vel *Malta*, *calcem* & *cæmentum* denotante vocabulo, appellatam esse vult Cel. BOCHARTUS. *Can.* L. 1. c. 26. p. 500. ubi pluribus de hac voce agit. Sed cum & ibidem loci Vir summus observet, מליטה *Melita* Pœnorum lingua fuisse *refugium*, a radice מלט *Millet*, *eripere*, *effugere*, *liberare*, qualem insulam *Meliten* fuisse

quod *Satura Dissertatt. Oratt. &c.* inscribitur, cujus tantum *volumen* I, *quatuor partibus* constans prodiit, & postea sub titulo *Musei Helvetici* aliis legibus circumscripti renovatum & continuatum est. Nobis titulum Observationum nostrarum ad alios usus destinatarum itidem mutare, & a generaliori denominatione regionis inscribere placuit

*) Pluribus in originem vocis *Malta* inquisivit J. F. WANDALINUS, *diss. de Melita Pauli*, c. 1. p. 17. sq. Hafniæ 1707. & quam plurimi alii, qui de hac insula in scriptis suis data cura egerunt, quorum nomina coacervare nolo. Cæterum *Wandalini* diss. una cum J. G. ERLMANNI de eadem insula junctim insertæ sunt *Thesauro Dissertatt. Theolog. Philol. Menthenii*, T. II. p. 497. sq. Conf. & MAJUS *de lingua Punica*. p. 3-15.

iſſe docet expreſſis teſtimonii *Diodori Siculi* verbis: quidni & hæc Pœnorum urbs *munita*, quæ heic loci pariter *Pœnis* præſtabat refugium contra inſultus Libyæ populorum barbarorum, qui *Phœnicios* internecino odio proſequebantur, teſte eodem DIODORO L. XX. p. 791. potuit a refugio nomen *Melittis* accepiſſe, ſi Phœnicium eſt vocabulum?

§. 2.

Qui vero Phœnicium nomen heic loci non agnoſcent, quod tamen antiquiſſimi temporis ratione habita non negandum, dubio procul a *melle* & *apibus* dictam Μελίτην contendent, quemadmodum pagus Atticus *Melita* hinc dictus eſt apud PLINIUM, L. IV. 7. erat enim vicinus *Hymetto* celeberrimo mellis copia. Item Μελισση *Meliſſe*, oppidum Phrygiæ, ubi Alcibiades ſepultus eſt, teſte ATHENÆO L. XIII. 4. Verum & *Melite* fuit inſula Illyrico vicina, de qua *ibidem loci* BOCHARTUS, quæ Græcam originem reſpuere videtur, uti & *Miletus* *) antiqua & celeberrima Joniæ urbs

 &

*) Quam urbem etiam ab eadem radice מלט qua *liberare*, *ſervare*, denotat, dictam vult Cel. MOYNE *Var.* S. T. II, p, 134. Conf. de hac civitate coloniarum multitudine

& *Melite*, antiqua pariter ejusdem regionis civitas, & ab incolis Joniæ quondam deleta, a VITRUVIO L. IV. I. inter urbes Joniæ memorata. His enim vetuſtis urbibus videtur ex Orientis lingua, quale etiam ſit, nomen adhæſiſſe, ut forte *Bocharti* conjecturæ de *Melite* inſula, & ad hæc loca extendi mereantur. Alia quamplurima locorum & urbium ejusdem ſoni nomina occurrunt, quæ apud Veteres & recentiores Geographos evolvi, & quæ commode ad triplicem hanc radicem referri poſſunt.

II. *ARAMBYS.*

ARGUMENTUM.

§. 1. *Arambys* non dicta ab הר—ענבין *Har—anbyn*, monte uvarum, ſed a ערב *arab*, vel a *multitudine*, vel a *nigritie* hominum, unde etiam *Arabes* dicti, item *Kedareni* a קדר *Kadar* nigreſcere, unde ערב *Ereb* veſpera &c. *Mem* inſeritur, Cl. *Gronau* laudatus.

§. 2. Arabia dicitur etiam *Ereb*, Arabes, *Erebim*. unde *Erembi* iidem ſunt, qui *Troglodytae* & *Arabes*.

§. 3. Lis circa verſum *Homeri*. *Erembi* non dicti ab ἐραν βαίνειν, quod ſub terra habitent. *Cant.* I. 5. illuſtr.

§. I.

dine incluta PITISCUS *in Curt*, p. 117. MARSHAMI *Can. Chron.* p. 552. J. *de* WILDE *ſel. Numiſm. ant.* p. 74. BISSELII *Illuſtr. Ruinar. Dec. III. Ru.* XXVII. p. 772. ſq.

§. 1.

ARAMBYS vel Ἀραμβυς ultima a Phœniciis ad Oceanum Atlanticum extructa urbs. Nomen hoc cum BOCHARTO *l. c. p.* 641. non deducerem ab הר־ענבין *Har-anbin*, *monte uvarum*, vel הר־ענבי *Har-anbi*, *monte racemifero*: sed potius a ערב *arab*, ut locus vel a miscellanea hominum turba variarum *Libyæ* & *Phœnicum* & *Libyphœnicum* gentium, vel ab incolarum *nigritie* dictus sit. Utrumque enim vox Hebræa denotat. Unde & Arabes *) dicti sunt, vel a *colluvie* hominum se in Arabia latrocinii causa congregantium, vel a populorum *nigredine*, unde & *Kedareni* **) secundum quosdam appellati plurimi *Arabum* a קדר *Kadar*, *nigrescere*, *atrum*

*) Alia lege apud CL. SIMONIS *in Onomast. Vet. Test.* p. 107. MOYNE *Var. S.* T. II. p. 269. BETULEJUM *in Lactant. Carmen de Phoenice* v. 80. *edit. c. not. Var.*

**) *Rever.* GRONAU V. D. *Min. Berolin.* mavult *Kedarenorum* vocem ex propria ipsorum lingua illustrare, & ex divite Arabum thesauro adducit duplicem radicem, quarum prima קתר قتر *Kathara*, concernit *vitae rationem*, altera potentiam Arabum a קדר قدر *Kadara*, *praevalere*, *potens esse*, *in diss. de Tentoriis Kedar* p. 6. Præf. Cel. Lampe. Bre-

trum esse. Hinc & ערב *Ereb* vocatur *vespera*, & ערב *Oreb corvus a nigredine.* In plurali est ערבים & Syriaca dialecto ערבין *Arabin*, unde *Nun finali* in Σ mutato, ut in Νισιβις a נסיבין & *mem* epenthetico inserto *Arambis* vel *Arambys. Mem* enim frequentissime interponi, toties viris doctis observatum est, vid. Clar. LAMPE *de Cymbalis* L. I. c. I.

§. 2.

Atque ut hoc magis illustremus, sciendum, quod, quemadmodum *Arabia* sæpe dicitur ערב *Arab*, sic & juxta punctationem Masorethicam ערב *Ereb* dicatur, ut I REG. X. 15. מלכי הערב *Malche beereb*, id est, *Reges Arabiæ.* Atque hi ערבים *Arabim* vel *Erebim*, ut 2 CHRON. XXI. 16. & alibi vocantur, sunt HOMERI *Erembi*, seu *Arabes Troglodytæ.* Docet hoc clare & expresse STRABO p. 2. memorans *Homerum* meminisse Ερεμβους, addit ους εικος λεγειν τους Τρωγλοδυτας ΑΡΑΒΑΣ, *quos Troglodytas Arabes recte dixeris* vid. RHODIGINUS *Ant.* L. p. 1033. sed *Erembos* ad littus Arabici sinus juxta *Aethiopas* Orientales

Bremæ 1728. Conf. HOTTINGERI *Histor. Orient.* p. 48. BERNARDUS *ad Josephi Antiquitt. Jud.* p. 49.

tales locat DIONYSIUS PERIEGETES *v.* 180. & in hac re accedimus *Dionysio*, quia *Arabes* in hanc *Æthiopiam* sæpius deduxisse colonias, certissime novimus. Vid. PLINIUS L. VI. 29. Imo & *Strabonem* hos ipsos *Troglodytas* intelligere, dum *Erembos* esse *Troglodytas Arabas* exponit, videtur vero simile. Nam *Troglodytice*, & ab aliis *Æthiopia*, ab aliis quoque *Arabia* dicta est, Consulatur ILL. SALMASIUS *in Solinum* p. 561. Pariter & Arabiæ Felici versus *Occidentem* opponit solum *Remborum* DIONYSIUS PERIEGETES *v.* 961. sq.

§. 3.

Homeri versus, quem STRABO citat, hic est,

Αἰθίοπας θ᾽ ἱκόμην καὶ Σιδονίους, καὶ ΕΡΕΜΒΟΥΣ,

Veni ad Æthiopas, & Sidonios, & EREMBOS.

Plurimum de hoc loco *Homeri* disputat *Strabo* L. 1. p. 28. & L. XVI. p. 539. docens eum vocatum dudum fuisse sub incudem veterum Criticorum. Nam Zenonem Auctorem Stoicæ sectæ ita locum correxisse,

καὶ

- - καὶ Σιδονίους Ἀραβάς τε

sed intempestivam hanc Zenonis Criticam, qui major fuit Philosophus, quam Criticus, ipse Strabo rejicit, quod locus mendo careat, atque in omnibus veterum Mstis extet Ερεμβους. Unde rectissime accedit *Posidonio*, utrobique locorum, qui Ερεμβους dici ab Homero scripsit, quos nunc Αραβας levi immutatione vocamus. Conf. STEPH. BYZANT: in Ερεμβοι, & EUSTATHIUS *ad l. c. Homeri*, p. 61. BOCHARTUS hic nobiscum consentit T. I. p. 216. & 283. Originem nominis loci exposuimus, nam quod Græci tradant apud STRABONEM L. I. p. 29. ita dictos ab ερας βαινειν, *quod sub terra habitent*, cui EUSTATHIUS *ad Dionys. Perieg.* v. 180. IS. TZETZES mox citandus, & AUCTOR *Etymologici Magni* accedunt, nugæ sunt Græculorum. Vid. *Cl.* HASÆUS *Bibl. Brem.* T. II. p. 482. Melius foret, quod quasi Ερεμνοι vel Ερεβεννοι dicti sint, hoc est *nigri*, nam & omnia illa nomina ἐρεμνος, ἐρεβεννος, & ερεβος nigritiem quandam involvunt, quibus *infernus* & *inferi homines* utpote denotantur, sunt ex eadem radice ערב *ereb*, & ita *infernus* dictus est a *nigrore*, quo eum conspicuum esse, & olim & hodie credebatur, & creditur. Eam quidem etymologiam respuit STRABO L.

XVI.

XVI. p. 540. quod id Æthopibus magis conveniat, sed ex ea causa perperam, quia non solum Aethiopes sed & Arabes nigri erant, quorsum referunt illud Salomonis regum sapientissimi, CANTIC. I. 5. NIGRA *sum, ut tentoria Kedar.* Nescio an & inde lux accedat voci *Arambys*, quod vicina sit urbs *Nomadibus*, & *Aethiopibus*, HANNONE teste. Nam inter varias explicationes vocis Ερεμβος etiam Νομαδων & Αιθιοπων meminit HESYCHIUS: Ερεμβοι, ΝΟΜΑΔΕΣ, ΑΙΘΙΟΠΕΣ. Αραβες, Ινδοι, Αραβιοι. *Eremborum* etiam ad Nilum habitantium meminit LYCOPHRON *Alex* v. 827.

Και τας Ερεμβων ναυταις ηχθημενας
Προβλητας ακτας.
Et EREMBORUM *nautis piscata*
Prominentia littora.

Ad quæ verba IS. TZETZIS explicatio notanda: Ελλανικος φησι, τους Ερεμβους περι τας του Νειλου ροας οικειν, γένος δε Αραβων εισιν οι Ερεμβοι οι και Τρωγλοδυται, και Ιχθυοφαγοι καλουμενοι, ών των βιον πλατεως ὁ Διοδωρος γραφει. Ερεμβοι δε λεγονται, ότι εν τη ἐρα, ή τοι τη γη βαινουσιν, ύπο γαρ γην και τρωγλας οικουσιν. *Hellanicus dicit, Erembos circa Nilum fluvium habitare; Erembi vero sunt gens Arabica, qui & Troglodytæ & Ichthyophagi, vel piscivori dicti, quorum vitam pluribus Diodorus descripsit.*

Erem-

Erembi vero dicuntur, quoniam τινηρα *id est, sub terra, & speluncas inhabitant.* Plura de his populis collegi in *singulari Observatione de Troglodytis & Nomadibus* 1739. *Magdeburgi* edita.

III. *TINGIS & SAGUTI.*

ARGUMENTUM.

§. 1. *Tingis* urbs alia est quam *Tingis* hodie *Tanger*, dicta a תגר *tagger*, negotiari. §. 2. *Saguti* apud alios *Sinus Emporicus* vocata, nomen habet a סחור *sachur*, *mercator*, & שכר *schachar*, *permutare* merces, &c.

In descriptione oræ Africæ, qua ad mediterraneum mare sita est, occupatus STRABO, varia notatu digna de Maurorum populo, regionem incolente, urbibusque ibidem exstructis profert, quorum pleraque alibi excussimus, & quæ restant, porro excutiemus. Pergimus itaque cum Geographo nostro. Hic *pag.* 1181. tradit. Πλησιον δε πολιχνιον μικρον υπερ της θαλλασσης οπερ ΤΙΓΓΑ καλουσιν οι ΒΑΡΒΑΡΟΙ, Λιγγα δε Αρτημιδωρος προσηγορευτα, Ερατοσθενης δε Λιξον. *Pone* (Cotes) *est etiam oppidulum supra mare, id Barbari* (sive Mauri) *vocant* TINGA, *Artemidorus Linga*, *Eratosthenes Lixum.* Videtur hæc urbs distinguenda esse omnino a *Tingi* quæ hodie *Tanger*, piraticam exer-

exercens, dicitur, quæque *Lingi* huic vicina dein ponitur a STRABONE, p. 1183. Id quod etiam observarunt CASAUBONUS *ad l. c. Strab.* & VOSSIUS *ad Pompon. Melam.* p: 315. Attamen voces fortasse sunt ejusdem originis. Ut itaque Τιγγις in accusandi casu habet Τιγα, ut ibidem loci apud *Strabonem*, ita quoque ejus casus rectus æque potest esse τιγγις, unde Τιγγιε. Est autem illud nomen generalius, & quodvis potest *emporium* denotare a Syriaca voce תגר *Tagger* vel *Tigger*, *negotiari*, unde תגר *mercator*, quod de urbe *Tingitana* recte observavit *Cel.* BOCHARTUS l. c. *Can. cap.* cap. XXIV, p, 477. Alias nomen urbis Λιγξ, *Linx* vel *Lixos* deducit a ליש *Laisch*, *leo.* L. I, c. XXXVII. putatque *Strabonem* λιγγα heic loci cum Τιγγα confudisse, quod diserte affirmare non audeo, cum postea *Tingis* sub nomine *Tigys* p. 1183. meminit. Attamen verosimilius videtur Τιγγα in primo apud *Strabonem* loco esse casum nominandi. Interea tamen nihilominus potest nomen a תגר *tagger* descendere, *r* finali eliso, ut ex בקר *bakar* fit *vacca*, זמר *Zamar* est *Zama*, Jubæ quondam regia, & מוסר *Musar*, *Musa*.

§. 2.

Sequitur apud STRABONEM *l. c.* Lixo & Cotibus ad austrum sinus adjacet O

ΕΜΠΟΡΙΚΟΣ καλυμενος ἐχων ΦΟΙΝΙΚΙΚΑΣ ἐμπορικας κατοικιας, *qui Emporicus* (seu mercatorius) *sinus vocatur*, *qui varia habet commorandi loca* PHOENICIIS *mercatoribus destinata*. Situs ostendit hunc *sinum emporicum* eundem esse cum *sinu Saguti*, quem prope Lixum ponit æque PLINIUS L. V. c. 1. Atqui hoc nomen est a סחור, *Sachur* mercator, Εμπορος, quæ est a radice שכר *schachar* vel *Sachar*, *permutare merces*, unde hodierna frequens Judæorum vox Schachern. Idem ὁ πανυ BOCHARTUS L. I. *Can.* c. XXXVII, p. 644. propter hanc originem pro *saguti* legendum censet *Saguri*. Verum nihil fortasse mutandum est, quia R & T. & S. in fine literarum Orientalium sæpe invicem permutantur. Est proinde *sinus Sagut* idem & significatione, qui *Emporicus*. Adde quod lectio *saguti* adhuc dubia, cum in Codice MSSto 1 Regis Christianiss. legatur *Saguci*, teste HARDUINO *ad Plinii l. c.* p. m. 241.

IV. *SEPTEM FRATRUM MONUMENTA.*

ARGUMENTUM.

§. 1. Septem fratrum Monumenta sunt *septem montes*, eorum situs, §. 2. de denominatione metaphorica *fratrum* & *sororum* apud *Hebraeos*, §. 3. apud *Graecos* & *Latinos*.

Post-

Poſtquam dein de Mauretaniæ fertilitate, aliisque rebus varia commemoraſſet STRABO, redit p. 1181. ad Geographica ejus regionis, & poſt *Tingin* dicit eſſe των ἑπτα ἀδελφων μνηματα, *ſeptem fratrum monumenta.* Hæc non ſunt a ſeptem fratribus poſita quædam monumenta, ſed *ſeptem montes*, qui ob affinitatem ſitus & ſimilitudinem ita ſunt nominati. *Plinii* & *Melæ* teſtimoniis de his montibus a cel. CELLARIO in deſcriptione *Africæ*, p. 207. adductis addimus SOLINUM *Polyh. cap.* XXV. *e Provinciis Mauritanis Tingitana exſurgit montibus ſeptem, qui a ſimilitudine* FRATRES *appellati, freto imminent.* ISIDORUS L. XV. *Origg.* c. 1. *Septa oppidum a montibus ſeptem*, (hæc etymologia eſt ridicula) *qui a ſimilitudine vocati* FRATRES *imminent freto.* MARMOLIUS hos montes nunc ab incolis Africæ *Beni Aroz*, haud longe ab *Alcazar quivis*, dici affirmat. *l'Afrique de Marmol* T. II. p. 246. Conf. J. VOSSIUS *ad P. Melam.* p. 19. Sic etiam tres rupes ad ſinum maris vicinæ & ſui ſimiles, haud procul a freto *le Maire* in America, a nautis *tres fratres* dicuntur. *)

§. 2.

Appellationem hanc *fraternitatis* ob *ſimilitudinem* notandum eſt, eſſe procul du-

*) Reiſen und Begebenheiten des Engliſchen Capitains **Robert Boyle**, p. 301. Halberſt. 1735. 8.

bio Phœniciæ originis. Hebræis enim cæterisque Orientis populis res *similis* ejus sæpe *frater* vel *soror* dicitur אח, אחת, aut אחות. Hinc Punice & Mauritanice hi *montes* dicti videntur שבעה אחים *Schibea achim*, id est, *septem fratres*. Ita in tabernaculi Mosaici asseribus junctim ponendis erant in unoquoque eorum duo ידות quam vocem SYMMACHUS κατοχεις, ALEXANDRINI ἀγκωνισκυς reddunt, & plerumque eminentiis asseribus in utroque latere junctis, & ad instar *manuum* se habentibus, capiuntur. Nam יד *jad* Hebræis *manum* denotare tyronibus est notissimum. Altera vero harum ידות *manuum*, alterius dicitur אחות *achoth*, *soror*, ob similitudinem EXOD. XXVI, 17. *& facies duas* ידות *eminentias unicuique asseri* אשה משלבת אל-אחתה *respondentem alteram ad* SOROREM *suam*, hoc est, ad alteram, & sui similem. Unde & Alexandrini reddidere δυο ἀγκονισκυς τω ξυλω τω ἑνι αντιπιπτοντας ἑτερον τω ἑτερω. Ita & PLAUTUS *in Pœnulo*, in quo varii sunt Hebraismi & Phœniciorum locutiones, manum *sinistram* dextræ *sororem* appellat. *Act.* I. *scen.* 3. *Nunc obsecro, Te, Milphio, hanc per dextram, perque hanc* SOROREM *lævam.* TERTULLIANO quoque id adhæsit Phœnicismi, quibus scatet totus in *Pallio*, *cap.* I. ubi *Uticam* æque ac *Carthaginem*

nem Tyriorum coloniam, vocat ejus civitatis *ſororem: ſic*, inquit, *in proximo* SOROR CIVITAS *veſtiebat*, *&* *ſicubi alibi in Africa Tyros*. Punice *ſoror civitas* eſt קרתא אחות *Kartha achoth*, & *manus ſoror* eſt יד אחות *Jad achoth*. Sic & Judæorum tribus vocantur ratione alterius altera *frater* vel *ſoror*. JEREM. III. 7. EZECH. XXIII. 11. collatis JUDIC. I. 17. XX. 13. 23. JOSUÆ. XVII. 4. & paſſim. Regnum *Samariæ* & *Judæ*, ceu duæ magnæ meretrices EZECH. XVII. conſiderantur & *ſorores* nominantur. Ita & Civitates fœdere unitæ *ſorores* appellatæ, Conf. LOESCHERI *Stromat*. p. 164.

§. 3.

Verum nec Latinis, neque Græcis ejusmodi loquendi modus prorſus inuſitatus fuit, ut res *inanimis* alteri ſimilis ejus αδελφος *frater*, vel ἀδελφη ſoror nuncupata ſit. AUSONIUS de *Rheno* & *Moſella*, cognatis fluminibus, ita ſcribit in *Moſella*, v. 420.

FRATERNIS *cumulandus aquis*.

Pariter apud PETRONIUM *cap*. XLIV, *Paupertas* dicitur *bonæ mentis* SOROR. Proverbium fuiſſe apud Græcos πτωχειας πενιαν ειναι ἀδελφην diſcimus ex ARISTOPHANIS *Pluto* v. 549.

Ουκ ὢν της πτωχειας πενιαν φαμεν ειναι
ΑΔΕΛΦΗΝ,
Nonne paupertatem mendicitatis dicimus esse SORSOREM.

Conf. de hac re *Celeb.* STANLEJI *notas ad Aeschyli Agamemn.* v. 503. Neque prætermittenda heic loci PLINII Observatio, L. III. c. 4. notantis, *Palmas* ob similitudinem cum *Caryotis* & *saporem* affinem dictas esse earum SORORES & ADELPHIDAS. Nam cum *Palmis* præcipue abundet *Phœnicia* atque *Palæstina*, ut mille veterum scriptorum locis erudimur, vix dubitarem, quin palmis hoc *sororum* & ἀδελφων nomen datum sit, a *Phœniciis* primum, quibus אחות *achoth* dicebantur, atque inde Græcorum *Adelphides* & Romanorum *sorores* descendat. Ejusmodi alia affert cel. *apud Lubecenses quondam Verbi divini Præco,* HENRICUS SCHARBAU, *Observatt. sacr.* P. I. p. 197. sq. *Ill.* CUPERUS *in Lactant. de Mort. Persecut:* *cap.* VIII.

V. *MOLOCHAT.*

ARGUMENTUM.

Nomen *Molochat* est Phænicium a מלך *Melech Rex*, נהר מלכא *Nahar Malca* est fluvius regius. fluvii ejusdem nominis in Babylonia, *Malachat* Getulorum urbs. &c.

In-

Inter Columnas Herculis & fines Massæsylorum plurima oppida interesse scribit in Mauretania STRABO *l. c.* sed nullum nominat præter *Metagonium.* Mentionem tamen facit fluminis *Molochat*, μολοχαθ, termini Mauretaniæ & Massæsylorum gentis. Idem & in sequenti pagina repetit, ubi de Massæsylis agit. Massæsylorum enim regio maximam partem nomen postea Mauretaniæ Cæsariensis accepit. Quod vero hic fluvius *Molochat* ponatur in finibus Mauretaniæ & Numidiæ Massæsylorum, indicat eum non diversum esse a *Mulucha* fluvio, qui erat Bocchi regis Maurorum, & Iugurthæ regis Numidarum finis, ut probe observat CELLARIUS *l. c.* p. 188. Conf. *Jo.* VOSSIUS ad *P. Melam.* p. 22. *edit.* 1658. *Hagæ Com.* 4. Alter itaque fluvius *Molochath*, cui urbem ejusdem nominis jungit, æque tamen in Mauretania situs, sed prope *Metagonium*, ut locat *Ptolomæus*, ab eo diversus est.

Quicquid sit, nomen hoc *Molochath* & *Mulucha* Phœnicium est, & subintellecta voce נהר *Nahar*, *fluvium* denotante, indicat *Fluvium regium.* Est enim a מלך *Melech*, *rex*, cujus loco Pœni & Afri dicunt מולך *Moloch* aut *Muluch*, variante pro dialecto pronuntiatione unde מולוכא *Mulucha*, aut מולכת *Molochath.* Sic &

Hippo urbs Numidiæ dicitur *Hippo regius*, a PLINIO L. V. 3. & MELA L. I. 7. aliisque, hoc eſt עובא-מלכא *Ubbo Malcha*. Huic vero flumini plane ſimillimi ſunt *Naar Malcha* dicti, fluvii Babyloniæ prope Euphratem, cujus nominis duo fuere, vetus & recentior. Eſt enim Phœnicia lingua נהר-מלכא, hoc eſt *flumen regium*. AMMIANUS MARCELLINUS L. XXIV. c. XXI. *ventum eſt ad foſſile flumen* NAAR MALCHA *nomine*, *quod* AMNIS REGUM *interpretatur*, & *cap.* 2. *alia* NAAR MALCHA, *quod* FLUVIUS REGUM *interpretatur.* PLINIUS L. VI. *cap.* 26. *Ab Aſſyriis vero univerſis appellatum* ARMALCHAR (Naar malcha *) *quod ſignificat* REGIUM FLUMEN. AMMIANUS L. XXIII. 21. non addito nomine Aſſyriaco hinc intelligendus: *Perfluunt easdem terras & Marſis &* FLUMEN REGIUM, *& Euphrates cunctis excellens*, itemque PTOLEMÆUS, qui iſtic locorum ponit βασιλειον ποταμον *flumen regium*. Ejusdem originis eſt urbs *Malachat*, quam in interiore Libya & Gætulia eſſe memorat PTOLE-

*) Ita lectionem reſtituit HARDUINUS *ad h. l. no.* 92. cel. RELANDUS deducit a Perſica voce نهر *nahar fluvius*, & ملكا *Melca rex*, *Diſſertatt. Miſcell.* T. II. p. 251. Conf. BURTONI *Leipſ. l. Perſ.* p. 58. & *Cl. v.* SEELEN *in nott.* 16. p. 59. & 60.

PTOLEMÆUS. Neque dubito, quin duæ insulæ, Arabiæ Felici adjacentes, huc referendæ sint, quas Νησȣς Μαλιχȣ vocat idem *Ptolemæus*, notat enim *regias insulas*. Varie enim pronuntiari מלך *Melech*, ut *Malach*, *Melich*, *Moloch*, *Muluch*, *Milichus*, *Malchus*, *Melc*, &c. nemo, qui Orientis linguas & varias locorum inde dictorum denominationes paululum delibavit, ignorabit.


VI. *METAGONIUM.*

ARGUMENTUM.

Metagonium est nomen Græcum, & denotat tractum terræ, γωνιαι sunt *Anguli*, *extremitates*, *promontoria*, &c.

METAGONII, Μεταγωνιȣ, qui sequitur, celebris loci apud STRABONEM aliosque prope hunc modo nominatum fluvium, est nomen *Græcum*, cujus loco incolæ sua lingua alio procul dubio nomine usi sunt. Notat autem *tractum terrarum* prope *promontorium*. Hinc & habet nomen *Metagonium*, quod prope Ampsaga fluvium locat MELA. Nam & ibi ad *ostia* fluminis est, & confinis promontorio. Inde & *Metagonitis* terræ pars Numidicæ nomen est, & aliorum fortasse locorum, quia siti essent μετα το Γωνιον. Conf. IS. VOSSIUS *ad P. Melam* p. 27. CELLARIUS p. 168. sq.

& p. 205. Γωνιαι enim dicuntur non solum *anguli*, sed & aliæ rerum variarum *extremitates* & *prominentiæ*; sic γωνιαι πλατειων sunt *anguli platearum*, MATTH. VI. 5. ita & ἀκρογωνιαιος λιθος, *lapis domus angularis*, I PET. II. 6. sic *anguli* terræ seu *promontoria* sunt γωνιαι, quas Hebræi aliique vicini populi alias קרן *Keren* seu *extremitatem* (proprie *Cornu*,) aut לשון *Laschon*, *linguam*, aut שפן *Saphan*, *labium*, vocant. Hinc & Μεταγώνιον nostrum est ἄκρον *promontorium*, docente *Ptolemæo*, atque ab hoc nomine *Metagonitæ* apud eundem populi sunt *Mauretaniæ*. *Metagonium* vetus, quale promontorium in Africæ ora nunc fortean sit, & nomen ejus apud hodiernos incolas inquirit *Cel.* SHAW *in Itiner. cit.* p. 12. & 46.



VII.



VII.

JO. CAR. BONNET,

BREVIS DISSERTATIO,

DE

FICTA MIRABILI AD TURRIM BABELICAM LINGUARUM CONFUSIONE,

AD

GEN. XI, I. seqq. *)

§. I.

Vulgarem de variarum linguarum ortu sententiam sublestò niti fundamento, dudum monstravit cel. CAMP. VITRINGA in diss. de. *confusione linguarum*, quæ in *sacris*

*) Commendat se hæc ex parte nova, quantum mihi constat, hypothesis Viri Doctissimi JO. CAROLI BONNETTI, de ficta mirabili linguarum confusione, & inde populorum vel primarum familiarum novi orbis dispersione super universam terram, verisimilitudinis haud contemnenda specie, & adtentionem Lecto-

sacris ipsius *Observationibus* exstat, lib. I. Diss. I. Gravissimis illis rationibus, quibus eam destruit Vir doctissimus, addere liceat: 1) præter necessitatem sic multiplicari miracula. Humanum genus Deus cupiebat dispersum, quo universus coleretur terrarum orbis, non agri tantum Euphratem adiacentes. Ego verò id alia ratione obtineri potuisse autumaverim, quæ miraculum haud sapit, sicut mirabilis illa, quam vul-

Lectorum eruditorum merebitur. Recentissime qui hanc materiam peroravit, neminem novi præter Celeberrimum Groninganæ Academiæ Philologum, NICOLAUM GUILIELMUM SCHROEDERUM in elegantissima Oratione *de confusione sermonis Babelica,* Groningæ, quum Magistratu Academico abiret, habita a. 1752. Animus est hujus Orationis contenta sequenti aliquo Fasciculo D. v. inserere, ut sciant Lectores, quid & ab altera parte ab Uno ex præcipuis Orientalis eruditionis statoribus ea de re dictum sit, & ut utraque sententia inter se conferri possit. Forte Epicrisin quoque aliquam addam modestissimam, qua quid objici possit Cl. *Bonnetti* sententiæ expositurus. Ceterum inficias ire nolo, Cl. Bonnettum tam judicii acumine quam brevitate dictionis mihi non minimam excitasse voluptatem, quin desiderium, plura ejusmodi eruditionis haud vulgaris specimina Bibliothecæ huic inserendi, quod ut benevole adimpleat, impense rogo. N. B.

vulgo credunt, linguarum confusio. Undis, igne, bello, animorum dissensione, insectorum multitudine, illud Deum efficere potuisse, quis negabit? 2) Nequeo mihi persuadere, ejusmodi confusionem linguarum adsequendo Dei fini adeo aptam fuisse. Fingas enim, vel singulos homines alia aliaque locutos esse lingua, vel singulas familias; certe non erat, quod digrederentur. Nam si singulos homines cogitata sua diversis protulisse dialectis, proptereaque a se invicem discessisse statuas; vel maritos uxores suas relinquere oportuisset. Tali vero ratione humanum genus propagari potuisse putes? Quodsi vero familiis tale quid accidisse videatur; quidnam, quæso, caussæ fuisse dices, cur altera ab altera sese divulserit? Pascua ibi locorum suppetebant exoptatissima, qualia vix alibi inventuri erant. Tanta enim erat ubertas, ut a pastu repelli pecora dicantur, ne satietas perimat. Vid. *Curtius* l. V. Quin imo anxia, me iudice, exspectatio, quo res tandem evasura sit, ceu arctissimum eos vinculum colligatura fuisset. Quis enim nostrum, tam insolitam suæ suorumve linguæ commutationem expertus, procul secedere audeat? 3) An una cum lingua illa primæva interiit quoque immutabilis iste atque ab ipsa natura omnium animis indi-

inditus fermo, quo ea, quæ cogitamus, nictationibus, nec non capitis, manuum, totiusque corporis geftibus exprimere folemus? Neque enim fola dialecti diverfitas quodvis hominum turbat commercium Quot inter nos dantur inftitores nonnifi Gallicam Italicamve linguam edocti? Quot numerantur urbes, quarum cives partim Germani funt, partim Galli? Tandem 4) perridiculum tale fpectaculum, fummoque adeo Numine indigniffimum videtur.

§. 2.

Has aliasque ob cauffas omnino laudandi videntur Viri doctiffimi, qui de commodiore hujus loci explicatione cogitarunt. Quem fupra allegavi, cel. VITRINGA duas quidem interpretationes reliquit, quarum altera nobis perfuadere vult, unanimem omnium confenfum exftitiffe in ædificanda urbe turrique, diffociatis autem poftea divinitus animis, diverfas illos terræ plagas petiiffe. Altera confufionem linguarum in pronuntiationis vitium vertit, omnesque, quotquot negotio interfuerunt, facit balbutientes.

§. 3.

Habet utraque, doctiffime licet expofita, quod me adhuc impedit, quo minus alte-

alterutri calculum adiiciam. In priori enim, fatente ipſo Auctore, conſtructio τοῦ שמע commate VII. inſolens eſt. Tum vero ipſe phraſin *confundere ſermonem* exprimendo illi diſſenſui, quem cœlitus vult hominum mentibus immiſſum, non ſatis congruam eſſe ſentiens, hiſtoriam allegorice ſcriptam eſſe a Moſe, ſtatuere videtur. Sed vix in narranda hiſtoria Moſen allegorice ſcripſiſſe, alicui perſuaſum erit. Quod denique ex *Heſiodi* Opp. & dier. v. CLV. ſeqq. pro ſententia ſua adfert Vir celeberrimus, ad Noachi tempora omnino referri nequit, ſiquidem ſole meridiano clarius apparet, ſermonem eſſe Poetæ de belli Trojani temporibus, quæ quidem multo ſunt recentiora, quam ut illuſtrandæ noſtræ hiſtoriæ inſervire poſſint.

§. 4.

In poſteriori autem explicatione, ſi vel maxime concedam, בללת שפה de titubantia oris accipi poſſe, cujus tamen rei argumenta aliquis requirat potiora iis, quæ VITRINGA ex Latio atque Græcia, nec non ex *Colbo*, attulit: nequeo reperire, quanam ratione, τὸ שפה אחת & דברים אחרים v. I. apte reddere poſſis. Num linguam fluxu verborum inſignem, ſermonem eleganter pronuntiatum, voces ſine hæſitantia pro-

prolatas? Sed unde probabis? Si vero unam eamque omnibus communem intelligas linguam; non erat, quod hoc loco Moses id observaret. Nihil enim ad rhombum. Ceterum ea, quae supra contra vulgarem sententiam monuimus, pleraque & huic tenent adversum. Miraculum inducit absque necessitate, idque fini Dei obtinendo haud satis aptum: ne dicam, quod Deo indignius atque indecentius videatur, quam quod vulgo statuunt. Quae quidem pace manium Viri adhuc venerabilis dicta sunto.

§. 5.

Alia igitur ratione huic loco mederi conabor. Quodsi vero & mihi res praeter spem ceciderit; facile, puto, veniam dabis, Lector, ubi eam tanto Viro sudorem excitasse vides. Paucis dicam, quid egomet sentiam. Et *confusionem linguarum*, & *gentium dispersionem* textum tradere, dubio caret. Hanc illius effectum esse, tantum non omnes textum probare clamitant. At dispersionem familiarum ordine inverso produxisse varietatem linguarum, pluribus l. c. demonstravit VITRINGA. Atque idem nos e textu sacro apparere probatum ibimus.

§. 6.

Quod igitur pertinet ad *primum comma*, illud cum plerisque de una, quae omnium

um communis erat, lingua interpretamur, quam Moſes, ab Adamo ad hoc Noachidarum ævum, incorruptam manſiſſe, innuit. Quæ vero ſubſequentibus tribus verſibus leguntur, ita ſunt comparata, ut nullum in brevi hac diſſertatione locum habeant; quippe quæ ad exſtruendam magis, quam deſtruendam turrim pertinent. Quare adeamus iam *quintum verſum.* En eum e fonte adſcriptum: וירד יהוה לראת את־העיר ואת המגדל אשר בנו בני האדם *Et deſcendit Iehova ad videndum urbem & turrim, quam ædificarunt filii hominis.* De radice ירד hic notare iuvat, quod cel. SCHULTENSIUS ſcripſit in *Orig. hebr.* l. I. c. VI. eam *deſcendere aquatum, in profundos aquarum gurgites immergi,* apud Arabes proprie ſignificare. Hinc deſcendiſſe gladium Iehovæ Eſ. XXXIV. 5. aves rapaces Gen. XV, 11. eo ſcopo, ut ſatientur ſanguine, lacerent & evertant cuncta. Hæc ille. Neque hic prætereundum eſt, quod *Auguſtinus* de C. D. ſcripſit: "non loco, "inquiens, movetur Deus, qui ſemper ubi"que eſt totus: ſed deſcendere dicitur, cum "aliquid facit in terra, quod præter uſita"tum naturæ curſum mirabiliter factum "præſentiam quodammodo ejus oſtendat.„ Hic quoque velim obſerves, radicem ראה de Deo dictam, interdum *iram* ac *vindictam*

innuere; quod pluribus adstruxit exemplis maxime venerandus meus Præceptor, Cel. SIMONIS, in *Lexico man. hebr.*; quibus addere lubet, quod Cel. VENEMA Comment. in Malachiam. p. 393. scripsit, potestatem huius radicis in *vibratione radiante* sitam esse, ideoque claram, splendidam ac fulgidissimam dicere manifestationem, cum signis maiestatis divinæ & certissimis veritatis indiciis coniunctam. Quidni hæc verba & nostro loco has suas potestates tueri affirmemus? Mihi quidem dubium non est, quin Moses hoc versu horrendam Babelis eversionem describat. *Descendit Iehova* horrendis instructus fulguribus, densisque stipatus nubium caliginibus, grandine atque nimbis, (qualis fere descendisse prædicatur Ps. XVIII, 10. seqq.) *ad videndum* cum ira ac vindicta, fulmina iaciens, diruensque non modo celsam graviore casu decidentem turrim, sed etiam universam reliquam urbem.

§. 7.

Non erit alienum, conferre, quæ Gen. XVIII, 21. Iehova, urbes Sodomam Gomorram, reliquas, fulgure deleturus, Abrahamo comiti dixit, ubi textus habet: ארדה-נא ואראה הכצעקתה הבאה אלי עשו כלה ואם-לא ארעה: quem ego quidem

ita

ita intelligendum esse existimo: Gravissima sunt Sodomorum peccata. *Descendam* igitur, ut funditus eos perdam, *&* cum vindicta fulmina vibrans mea, *videbo, utrum secundum clamorem eius ad me perlatum, consummationem fecerint*, i. e. penitus omnia perdiderint, omniaque ad perniciem sint profligata. *Quodsi vero minus* eo vesaniæ processere, *cognoscam* cum approbatione atque amore, ideoque parcam illis. Radicem ידע enim ita sumi posse, inter omnes pervulgatum est. Cf. imprimis cel. VENEMAE aureus *Commentarius ad Psalmos*, & quidem ad Ps. I. 6. Insuper observandum est, Iehovam hic humano more descendisse minime dici posse, textu non nisi descendentium duorum angelorum mentionem faciente. Adhæc unde noverat Abrahamus, Deum has urbes deleturum fuisse, tot Eum pro istis precibus adiens, nisi ex hoc Dei sermone cognosset.

§. 8.

Eversis igitur & turri & urbe, commate *sexto* Iehova, *Ecce*, ait, עם אחד ושפה אחת לכלם וזה החלם לעשות ועתה לא-יבצר מהם כל אשר יזמו לעשות: *Populus unus est & lingua eadem omnibus, atque hoc ab ipsis facere coeptum est, neque cohibebitur ab ipsis quidquam, quod facere* cogi-

cogitarunt. Tanta ſua claritate radiant hæc verba, ut vix fuſius ea exprimere opus ſit. Viderat Summum Numen, intentum eſſe omnium hominum animum in unica adeoque univerſali conſtituenda republica, eaque propter eos aliquantum poſt, mutui amoris vinculo conſtrictos opus eſſe reſumturos, dirutaque reſtauraturos ædificia.

§. 9.

Cui rei occurrendæ hoc Deus conſilii cepit: הבה נרדה ונבלה שם שפתם אשר לא ישמעו איש שפת רעהו *Age, deſcendamus: & confundamus ibi labium eorum, ut non intelligat unus labium alterius*. His quod immoremur verbis, non eſſet, niſi ſcripſiſſet VITRINGA: "Explicent nobis Auctores, quomodo *una* lingua dici poſſit *eſſe confuſa*? Explicent etiam illi, qui Hebrææ linguæ antiquitatem, dignitatem & præſtantiam tuentur, quomodo Hebræa lingua dici poſſit *confuſa* eſſe, quando conſtat, eam poſt id tempus apud poſteros horum populorum, qui *Babylonicam turrim* ſtruxerunt, integram permanſiſſe?„ Ego vero, hic laborem eſſe, hic opus, non exiſtimo. Quis quæſo linguam Latinam confuſam eſſe dicere addubitet, quando hinc ortam eſſe Italicam, Gallicam, alias, conſiderat? Quis etiam illam non confuſam eſſe

se dixerit, eo quod adhuc integra permanserit apud Eruditos? Adhæc confusis rei partibus rem ipsam non confundi quis asserat? Non ergo confundetur exercitus, confusis singulis ordinibus, nec librum confundet bibliopega, alteram licet cum altera confundat plagulam

§. 10.

Sed quanam ratione, ais, Deus primævam confudit linguam? En tibi respondet Moses versu octavo: ויפץ יהוה אתם משם על פני כל־הארץ ויחדלו לבנות העיר׃ *Et dispersit eos Jehova inde super facies universi orbis. Et ita cessarunt ædificare urbem.* Priori hemistichio medium contineri, quo Deus ad confundendam linguam usus est, luce clarius apparet. Quodsi enim hæc verba effectum confusionis linguæ proderent, utique scriptum fuisset: ונפץ אתם *atque ita dispergamus eos* &c. ut Dei esset sermo, non Mosis. Præterea non adeo concinne scripsisset Moses, Divinum de confundendis labiis consilium quidem tradens, neque tamen illud in effectum esse deductum docens. Quæ enim versu nono habentur, ad nominis *Babel* rationem reddendam pertinent. Accedit radicis פוץ minus apte in rem quadrans potestas. Hanc videlicet, in malam partem ubi adhi-

betur, ſicuti hic, *fugam* ſignare & *interitum*, ſimili ab aquis dilabentibus ſumto, Auctor eſt Cel. VENEMA ad Gen. XLIX, quocum conferatur Cel. Bibliothecæ huius Editoris, NICOLAI BARKEY, *Diſſ. inaug. in Pſalmum* XVIII. p. 32. ſeq. Verum tanta putes celeritate, tantoque disjectos eſſe homines metu, ſi ob ſolam linguæ confuſionem digreſſi eſſent. Quomodo autem, dices, homines Deus disjecit? Facilis ad hæc eſt reſponſio ex commate antecedente, ubi Deus, *deſcendamus*, ait, & *confundamus* cet. Quid autem ſignificet radix ירד ſupra docuimus. In quam nos hic conjecturam inciderimus, infra dicemus. Reſtat alterum verſus hemiſtichium, quo Moſes Deum ita ſcopum ſuum attigiſſe demonſtrat, idque maiorem lucem non deſiderat.

§. II.

Supereſt *ultimum* hiſtoriæ *comma*, quod *nonum* eſt: על-כן קרא שמה בבל כי-שם בלל יהוה שפת כל-הארץ ומשם הפיצם יהוה על פני כל-הארץ: *Propterea vocavit nomen ejus Babel, quia ibi confundere cœpit Iehova labium univerſæ terræ, ſiquidem exinde diſperſit eos Iehova ſuper facies univerſæ terræ.* Duo ſunt, quorum hic rationem reddere debeo. Prius ad vocem בלל pertinet, ubi GLASSII canonem

nem legas velim: verba actionem s. effectum notantia de occasione eius interdum intelligenda esse, ut adeo *confudit* idem sit, ac *occasionem dedit confusionis* s. *confundere cœpit.* Posterius particulam ו attinet, quam *siquidem* reddidi. Sed hunc ejus significatum vel Lexica demonstrant. Atque eundem hic obtinere oportet, cum ea, quæ subsequuntur, declarando Babelis nomini, quam quæ minime, subserviant, qui tamen scribentis scopus fuit. Conficitur hinc, ad proxime præcedentia esse referenda, quibuscum facillime ac verissime coniungi possunt. Quin imo prævidisse videtur scriptor haud difficulter subitaneam linguæ confusionem intelligi posse: quare denuo caussam confusæ linguæ dispersionem fuisse innuit, ut adeo & ταυτολογιας vitii Moses plane reus agi nequeat. Nisi vero magis arriserit, alterum hoc hemistichium ita explicare, ut ad totam potius historiam respiciat, quam ad ea, quæ proxime illud præcedunt. Modo ne effectum putes esse prioris. Quid enim illud hic addere opus erat?

§. 12.

Quænam illa sit coniectura, in quam ratione hominum dispersionis nos incidisse, supra (§. 10.) indicavimus, paucis his adiicere mens est. Cum radicis ירד, tum vis radicis פוץ, quæ quidem in describenda illa

adhibentur, nos de *aquis* cogitare iubent; Catarractarum ope atque nimborum Deum puto campos undavisse Babylonicos, intermixtis etiam tonitrubus adeo territasse mortales, ut quaquaversum fugerent meticulosi, suisque pecoribus alias aliasque quærerent valles, neque in perdita atque desolata loca unquam redire cuperent. Hæcce confirmare videtur nomen Pelegi, quod ipsi ob hanc hominum dispersionem datum fuisse, constat inter omnes. פלגים enim *torrentes* sunt ac *rivi*. Hinc etiam cel. LOESCHERUS in tractatu, quem inscripsit: *Aelteste Geschichte der Welt*, *Pelagum* ortam esse putat ex effusione Ponti Euxini, cuiusmodi ortum prodidit DIODORUS *Sic*. l. IV. *Biblioth*. Dignum etiam est memoria, plurium veteres Auctores diluviorum mentionem facere. XENOPHON de æquivocis: "Inundationes, scribit, plures fuere. Prima novimestris inundatio terrarum sub prisco Ogyge. Secunda Niliaca menstrua sub Aegyptiis, Hercule & Prometheo. Bimestris autem sub Ogyge Attico in Achaia,, cet. Conf. DION. GODOFREDI *antiq. Hist*. l. p. 47. Accessere forsan liquatæ Iugorum Armenicorum nives, quibus adeo accrevit Euphrates fluvius, cuius ibi fontes reperiri, neminem præterit, ut tota illa regio inundaretur. Hic au-

audias velim *Curtium* l. V. c. 1. ita narrantem: "Euphrates magnæ molis crepidini-"bus coërcetur. Sed omnium operum "magnitudinem circumveniunt cavernæ in-"gentes, in altitudinem pressæ ad accipien-"dum impetum fluminis: quod ubi apposi-"tæ crepidinis fastigium excessit, urbis te-"cta corriperet, nisi essent specus, lacus-"que, qui exciperent.„ Si verum esset, quod *Iosephus* scripsit, eos, qui turrim struxere, hunc habuisse finem, ut in altero diluvio haberent, quo se tuto reciperent; memoratu dignum foret, vana sic sua hominibus consilia demonstrasse Deum O. M. Sed hæc hactenus.

§. 13.

Obiicienti, admissa hac nostra explicatione, difficile esse comprehensu, unde tanta, quantam hodie observamus, oriri potuerit linguarum varietas, illa nempe non nisi diversas inferente dialectos: ita puto responderi posse. Primum observes velim, dispersorum illorum alios aliis rudiores, adeoque & vocum phrasiumque magis fuisse incurios, quorum posteri itaque coacti fuerunt, ut novas sibi formarent voces atque phrases, quæ quidem novæ linguæ elementa sunt. Tum vero notandum est, quam minime copiosam fuisse linguam

primævam, nemine infitias eunte, eo magis linguas pauperculas esse consuescere, quo maior rerum, & quod inde conficitur, conceptuum locum habet paucitas, quæ vero, nemine non largiente, tunc temporis exstitit maxima. Iisdem postea rebus, artibus, scientiisque ab aliis aliisque inventis, fieri non potuit, quin eidem significandæ rei plures eæque diversæ orirentur voces. Accedit, unius eiusdemque linguæ tantam, temporis successu, & hodie solere esse variationem, at vix avorum scripta sine nausea legant nepotes. Quid igitur, tot iam elapsis post Babylonis destructionem sæculis, linguas hodie adeo differre mireris, unius quamlibet omnes enunciem filias? Præterea maiorem linguarum omnium harmoniam observarunt quidam haud incelebres viri.

§. 14.

Quod reliquum est, coronidis loco brevem huius historiæ circumscriptionem annectere lubet.

v. 1. *Primis generis humani temporibus in toto terrarum orbe nonnisi una erat lingua, ita ut eædem omnibus & voces & locutiones essent.*

2-4. *Cumque homines forte in amœnissimam regionem Sinear pervenissent, hæc ipsis adeo*

adeo placuit, ut ibi urbem ac turrim ædificare constituerent, insimulque inducerent animum, coniunctos ibi permanere, atque rempublicam aut societatem universalem erigere.

5. *Verum hoc Deo, qui totum terrarum orbem incoli volebat, adeo displicuit, ut manifestissimis iræ suæ signis de cælo descenderet: urbemque ac turrim, quam filii hominis ædificaverant, iracundo oculo adspiceret, ventis, terræ motibus, fulguribus, procellis opus eorum inceptum horrendum in modum subvertens.* *)

6. *En vero populus iste, inquiebat Iehova, diutius hic uno loco habitavit, eademque est lingua omnibus: semel quoque in hac fœcunda regione coniuncti habitare constituerunt, neque hac quidem subversione coacti ab*


*) Plane cum his convenit hoc *Sibyllae* testimonium, apud *Iosephum* l. I. Antiq. c. V. παντων ὁμοφωνων οντων των ανθρωπων, πυργον ωκοδομησαν τινες ὑψηλοτατον. - - οι δε Θεοι ανεμους επιπεμψαντες ανεστρεψαν τον πυργον, και ιδιαν ἑκαστω φωνην εδωκαν, κ. τ. λ. Coincidit quoque testimonium *Abydeni* apud *Eusebium*, quod una cum priori plenius habet Cel. HOLLMANNUS in *Ueberzeugendem Vortrag von Gott und der Schrift*, p. 331. seq. Qui etiam, quæ de Titanomachia traduntur, huc respicere putat. Ast quem fugit, quo ventorum atque tonitruum sonitu illa describatur?

ab incepto suo desistent, sed potius opus resumturi, quo unum usque constituant populum, denuo turrim & urbem ædificare incipient.


7. *Age igitur, horrendis iterum tempestatibus & vi irruentis undæ eos territos persequar, ut in omnes terræ plagas vitæ suæ consulturi confugiant. Atque sic progressu temporis linguam ipsorum confundam, ut, si iterum convenire vellent, alter alterum haud intelligat.*

8. *Itaque maximo terrore perculsos in latum, qua patet, orbem quam celerrime homines dissipavit Iehova, atque hac ratione finem suum obtinuit, quo eos unam eamque universalem rempublicam constituere nolebat.*

9. *Hinc ortum est nomen* BABEL. *Hac enim ipsa hominum dispersione effecit Deus, ut lingua primæva paulatim confusa atque immutata sit.*



VIII.



VIII.

HENRICI KOOKEN

V. D. M.

IN VALKENSWAERD ET DOMMELEN

OBSERVATIO

AD

IAC. II, V. 18.

§. 1.

Constat omnibus, qui tantum fugitivo oculo inspexerunt variantes lectiones epistolæ Jacobi, eas etiam reperiri in *v.* 18. cap. secundi: loco enim lectionis vulgaris δειξον μοι την πιστιν σου εκ των εργων σου dantur Codices, qui legunt χωρις των εργων σου. Lectio hæc primo intuitu egregiam veri speciem præ se fert. Nam si verum est, quod is, quem Apostolus in hoc & antecedentibus commatibus sibi adversarium constituit, concedat se *fidem habere sine operibus*, vix aut ne vix quidem intelligi potest, quomodo Apostolus ab adversario exigere queat, ut is fidem suam demonstret ex suis operibus.

Quare

Quare *Clariſſimus* I. D. MICHAELIS inquit: „ accedit, quod connexioni ſermonis illud „ εκ των εϱγων σου ſatis ineptum ſit. Con- „ ceſſerat Apoſtolus adverſario ſuo, ut fidem „ ſe ſolam habere iactaret. Quomodo er- „ go ab eodem exigere poterat, ut fidem „ ex operibus demonſtraret? Nobis vi- „ detur εκ, quod vulgares habent codices, „ ex ſequente commate ab incauto ſcriba „ translatum. „ citante hæc Cl. MICHAELIS verba, *Viro*, dum viveret, *ſummo*, J. S. BAUMGARTENIO, *in examine variantium lectionum in epiſtola Jacobi obviarum pag.* 24. ſubiuncto *commentario in hanc epiſtolam.* Sed ego aut totus fallor, aut, præfiscine dixerim, planum faciam, receptam & in plurimis editionibus occurrentem lectionem ſe recte habere. Sed res paulo altius repetenda eſt.

§. 2.

Ordior igitur a commate 14. cap. ſecundi, ubi Apoſtolus dicit: „ Quæ utilitas, Fratres mei! ſi quis dicat fidem ha- „ bere; opera vero non habeat. Num „ poteſt fides illa eum ſervare. „ Ex his verbis liquidum eſt, quod is, quem Apoſtolus heic reſpicit, iactaret, ſe fidem habere, & per eam fidem ſe æternam ſalutem

consecuturum. Dum vero additur: *opera vero non habeat*: non adeo liquidum videtur, quomodo hæc verba capienda sint; an capienda tanquam verba adversarii, quibus ipsemet concedit, se quidem fidem, sed non opera habere, adeoque se fidem habere sine operibus? An vero capienda tanquam verba ab Apostolo addita, ut electis, quibus hæc epistola scripta est, constaret, iactatam illam fidem vanam esse? Si Apostolus indicare voluisset hæc adversarii verba esse, adeoque adversarium ipsummet concedere, fidem suam sine operibus esse: Apostolus non dixisset εαν πιστιν λεγη τις εχειν, εργα δε μη εχη, sed dixisset εργα δε λεγη μη εχειν, sive εργα δε μη εχειν: unde sequitur, verba, *opera vero non habeat*, ab Apostolo adiecta esse ad vanitatem illius iactatæ fidei omnium oculis exponendam. Quod vero per *opera* heic intelligenda sint eiusmodi opera, quæ cum salvifica fide indivulso nexu adeo cohærent, ut tanquam genuini fidei fructus ab ea abesse non possint, id extra omnem dubitationis aleam esse arbitror.

§. 3.

Ut vero certius constet, verba, *opera vero non habeat*, eo, quo dixi sensu, capienda esse, progredior ad comma 18, ubi dici-

citur. „ Sed dicet aliquis, tu fidem habes & ego opera habeo. „ In confeſſo eſt, quod heic adverſarius Apoſtolum alloquens introducatur, & quidem ita, ut tela, quæ Apoſtolus in adverſarium vibravit, adverſarius iam in Apoſtolum retorquere conetur. Apoſtolus enim adverſario attribuerat *fidem ſine operibus :* hoc telum adverſarius in Apoſtolum retorſurus, ad Apoſtolum ſe convertens dicit : *Tu habes fidem*, id eſt, non ego, ſed tu habes talem fidem, qualem *v.* 14. mihi adſcripſiſti, id eſt, fidem, a qua opera, genuini ſalvificæ fidei fructus, plane abſunt, adeoque fidem ſine operibus. Sed ego habeo opera, id eſt, vi oppoſitionis, ego habeo fidem, quæ efficax eſt eiusmodi operibus, quæ ſunt indubii fructus veræ & ſalvificæ fidei, adeoque demonſtrant, meam fidem eſſe veram ac ſalvificam fidem. Adverſarius igitur tam confidenter affirmans, ſe habere fidem operibus efficacem, eo ipſo concedebat, ex ſuis operibus, tanquam indubiis ſignis, demonſtrari poſſe fidem ſuam eſſe veram & ſalvificam fidem.

§. 4.

Hisce ita conſtitutis iam Apoſtolus adverſario reſpondet, dicendo : „ oſtende „mihi fidem tuam ex operibus tuis, & ego „oſtendam tibi ex operibus meis fidem me-

„am.„

„ am. „ Nervoſe admodum his verbis fiduciam, quam in cauſa ſua collocat, exprimit Vir ſanctus, & indicat, ſe certiſſime convictum eſſe, hac dèmonſtratione fidei ex operibus utrimque ſuſcepta, non tantum ex operibus adverſarii ſtatim apparitururm, ipſius fidem mortuam, ideoque ſalvificam fidem non eſſe, ſed & ex ſuis operibus appariturum, ſuam fidem eſſe vivam & ſalvificam fidem, Quæ cum ita ſint, quis non videt, quam pulchre heic omnia cohæreant. Adverſarius enim tacite, uti vidimus, conceſſerat, fidem ſuam ex operibus ſuis demonſtrari poſſe. Ex his conceſſis iam Apoſtolus argumentatur, adeoque ſummo iure exigit, ut adverſarius fidem ſuam ex operibus ſuis oſtendat non ſolum, ſed ad Adverſarium de æquitate huius poſtulati magis convincendum Apoſtolus viciſſim ſe promptum paratumque demonſtrat, ad fidem ſuam etiam ex operibus ſuis oſtendendam. Qui vero idem, quod ab adverſario ſuo exigit, etiam viciſſim adverſario in ſe ipſum concedit, ipſe cum adverſario æquiſſimo modo procedit, atqui ergo. Quis igitur non ex ipſa rei indole & Apoſtoli ratiocinio perſpicit, vulgarem lectionem εκ των εργων neceſſario heic requiri, adeoque genuinam eſſe? cum altera lectio χωρις των εργων heic locum habere non poſſit. Quomodo

enim Apoſtolus ab adverſario exigere potuiſſet, ut demonſtraret fidem ſuam ſine operibus, id eſt, fidem quæ eſt ſine operibus? cum adverſarius non tantum neget & perneget ſuam fidem eſſe ſine operibus, ſed & plane contrarium adſeveret, id eſt, ſe habere fidem efficacem operibus.

§. 5.

Si porro cum iis, quæ hactenus diſputavimus, comparemus, comma 19. huius cap. & Deut. VI, 4. ſat perſpicuum fore arbitror, adverſarium Apoſtoli fuiſſe Judaizantem. Iam vero cum notante ad com. 14. huj. cap. Illuſtri GROTIO, hæc opinio olim valde fuerit frequens apud Iudæos: omnem, nimirum, Iſraelitam, qui modo profeſſionem Iudaismi non abieciſſet, partem tandem habiturum in altero ſæculo, id eſt, in vita æterna: non improbabile videbitur, fidem huius adverſarii ſaltem magna ex parte conſtitiſſe in profeſſione Iudaismi, & ipſius opera in obſervatione legis Moſaicæ ceremonialis, & traditionum veterum; quæ opera cum adverſarius non obſervaret in Apoſtolo Jacobo, hinc ipſi exprobabat fidem ſine operibus.





IX.

CAROLI BUTTINGHAUSEN,

HIST. ECCLES. ET ELOQ. PROF. P. O. ET V. D. M. APUD HEIDELBERGENSES

OBSERVATIONES MISCELLANEAE.

I.

IN VITI

LUDOVICI a SECKENDORF

HIST. LUTHERANISMI LIB. I. SECT. 35. §. LXXXII. ADDIT. I. QUÆ AGIT

DE

JOHANNE SCHWEBELIO.

§. 1.

Illustris SECKENDORFIUS ex ipsissimis quidem fontibus hausit, & ferme ubique ad genuina documenta provocavit; sed & nonnunquam bonus hic dormitat Homerus. Illis saltem quæ lib. 1. Sect. 35. §. LXXXII. Addit. I. p. m. 131. de JOHANNE SCHWEBELIO occurrunt, limam addere licebit.

§. 2.

Missis illis, quæ ex J. H. MAJO de *Schwebelii* Epistolarum aut Scriptorum corruptione & interpolatione profert, moneo tantum, *Seckendorfium* id infirma consequentia ex ALTINGIO confirmare voluisse.

§. 3.

Videamus jam ordine, quæ ulterius de *Johanne Schwebelio* narrat:

"Scripta ejus Germanica, quæ hodie "rarissime inveniuntur, excusa sunt forma "octava Biponti anno 1605. Insertæ ibi le"guntur epistolæ ad eum *Melancbthonis*, *Bu*"*ceri* & aliorum.

Observationes.

I.) Doct. GERDESIUS florileg. libr. rar. p. m. 256. hæc SECKENDORFII verba quidem allegat & calculo suo approbat, sed, quod pace virorum Doctissimorum dixerim, varia heic emendanda veniunt.

II.) Nam annus a SECKENDORFIO laudatus mihi non satis videtur determinatus. Opera enim Germanica Tom. II. prodierunt 1598.

III.) Epistolæ vero *Melanchthonis* & *Buceri* non inveniuntur in istis operibus Germanicis, sed potius in centuria Episto-

larum,

larum. Opera igitur Germanica & Epistolæ minus recte inter ſeſe confunduntur. Id quod ex ſequentibus clarius adhuc patebit.

§. 4.

"Inter alia Melanchthon ad eum anno "1519. ſcribit: *Multo major, multo admi-"rabilior eſt Lutherus, quam quem verbis "poſſim adumbrare.*

Obſervatio.

Iſta *Melanchtonis* verba minime extant in operibus Germanicis, ſed in Centuria Epiſt. p. 8. & ſcripta ſunt A. 1520.

§. 5.

"Ipſius vero *Schwebelii* inſignes extant "epiſtolæ. Ex iis percipitur, vocatum "eum anno 1523. fuiſſe Heidelbergam a "*Ludovico* Electore Palatino, ſatisfacturo "ſcilicet mandato Imperiali &c.

Obſervatio.

Nimis celeriter & juſta minime adhibita diligentia hæc legit *Seckendorfius* in Operibus Germ. p. 84. ſeqq. Non enim vocatus eſt ab Electore Palatino Heidelbergam, ſed a Bipontino Duce Bipontum.

§. 6.

In ſequentibus Opera Germanica & Epiſtolæ ubique inter ſeſe confundit illuſt. *Seckendorfius.* Sed hæc ſpeciminis loco ſufficiant.



II.

MEDITATIONES IN APOC. XV, 3.

SECT. I.

DE CANTICO MOSIS ET AGNI.

Nuper admodum felicioris ingenii amicus ſuam in hunc locum conjecturam mecum communicavit, dubiaque varia mihi ſolvenda obtulit.

I.) Dubitabat, an canticum *Moſis, ſervi Dei*, primum occupare poſſit locum, cum agnus ſit ipſiſſimus Deus.

II.) Duplicem & diverſum hujus loci urgebat ſenſum. Canticum enim Moſis eſſe tale canticum, cujus auctor vel cantor ſit Moſes; Canticum autem agni enarrare laudes atque gloriam agni, cum Apocalypſis nunquam nobis exhibeat agnum canentem.

III.) Apoc. V. 6-9. aliud plane Cantici argumentum occurrere.

IV.) Obſervabat, totam noſtram pericopam alludere ad canticum *Moſis* & *Mirjam*, Exod. XV. laudatum; Adeoque heic legendum eſſe: *Canticum Moſis, ſervi Dei & Canticum Mirjam.* Quam ultimam vo-

vocem, cum non ſatis intelligerent deſcriptores, eo facilius in *canticum agni* mutare potuerunt, quo major ſit convenientia inter μαριαμ & αρνιον.

V.) An vero jam varians hoc loco obſervata ſit lectio, aliis examinandum relinquebat.

Ad hæc breviter reſpondebam:

I.) MILLIUM ſaltem nullam heic lectionem variantem obſervaſſe. Adeoque plane temerarium eſſe contra omnium omnino codicum auctoritatem novam ex ingenio fingere lectionem.

II.) Concedebam alluſionem ad Canticum Moſis Exod. XV. quam jam alii admiſerant. vid. cel. WOLFII Cur. Crit. ad h. l. Sed addebam, Johannem variarum rerum ideas in unico emblemate nonnunquam conjungere, vel locum noſtrum ſimul reſpicere agnum paſchalem, quo egredientes ex Aegypto Iſraelitæ utebantur.

III.) Non valet argumentatio: Apoc. V. 6-9. in Cantico agni aliud occurrit argumentum, ergo lectio hactenus recepta eſt falſa. Canticum enim agni, pro diverſitate temporis atque circumſtantiarum, diverſæ etiam eſt materiæ. En Exemplum in Cap. XIV. 1-9. ubi etiam in cantico agni aliud utique erat argumentum, & plane diverſum a Cap. V. 9.

IV.)

IV.) Denique obſervabam, ordinem verborum: *canticum Moſis atque agni*, explicandum eſſe ex oëconomia temporum, non vero ex dignitate perſonarum.

Alii forſitan ſolidiora adverſus' amici conjecturam in medium proferre non dubitabunt.

SECT. II.

DE REGE SANCTORUM.

Deus dicitur βασιλευς των ἁγιων. Hanc lectionem novo argumento impugnavit WOLFIUS ad h. l. p. m. 564. *Deus*, inquit; *alias nusquam*, *ſi recte memini*, *ita appellatur*. Verum enim vero, ſi ambabus, ut ajunt, manibus iſtam concederem conſequentiam, falſum tamen eſſet ſuppoſitum LXX. Dan. VII. 18. ita: και παραληψονται την βασιλειαν ἁγιοι ὑψιϛȣ. Heic ſubditi *Regis* dicuntur *ſancti*. En *Regum Sanctorum*! Cumque Johannes hoc noſtro capite reſpiciat tempora Moſaica, & egreſſum ex Egypto per mare rubrum, utique regem των ἁγιων ex eadem hiſtoria illuſtrare liceat. Jehova enim Iſraelitas Exod XIX. 6. ita alloquitur: ὑμεις δε ἐσεσθε μοι ἐθνος ἁγιον.

Quin

Quin imo, Moses in ipsissimo suo Cantico Exod. XV. loquitur *de monte Sanctitatis* &c. Nec etiam obstat, quod v. 4. μόνος ὅσιος nuncupetur Deus, & axioma tamen istud: βασιλευς ἁγίων, plures indicet sanctos. Isto enim argumento pugnantibus saniorem in rebus Theologicis apprecamur mentem.

ERRATA

IN CLASSE SECUNDA.

Pag. 523. l. ult. *lege* usum, p. 524. l. 16. eum, l. 17 placare, p. 535. l. 8. l. longanimitatis, p. 548. l. 13. l. adaptari, l. 16. l. præfixæ sut, p, 555 l. 28. l. alloquitur, p. 565. l. 30. l Ipsi, p. 567. l. 7. l. amatores.

IN CLASSE TERTIA.

Pag. 12. l 12. l. ringentibus hostibus, p. 13. l. 15. l. finitimos, p. 14. l. 4. l. *hicce*, p. 15. l. 7. l. alienissima, p. 17. l. 24. improbabilis opinio, p. 18. l. 20, l, prædictio, p. 19. l. 12. l. extera, p. 23. l. 14. l illum, p. 32. l. 23. l. restringatur, p. 35. l. 6. l. inclusam, p. 40. l. 9. l. designari, p. 52. l. ult. l. Familiariter, p 60. l. 11. l. §. 2. l. 13. l. *Bethomam*, p. 61. l. 24. l. suppleverit, p. 64. l. 9. l. supererant, p. 66. l. 5. l. penitus. p, 69. l, 10. l. ingenuum, p. 71 l. 19. l. toti, l. 72. l. præterea, p. 73. l. 20. l. falsis, p. 77. l. 11, l. rursus, l. 25. l. *fiet tibi, consotum*, p. 79. l. 14. l. sufficiant, p. 80. l. 19. l. gratissima sit, p. 93. l. 11. *dele* ad, p. 115 l. 11. l. œconomiæ, p. 119. l, 22. l. quo-

l. quorum, p. 120. l. 24. l. adeft, p. 123. l. 1. l. μιλ-νοντα, p. 135. l. 7. l. ην, p. 173. l. 25. l. LOSTBOHM, p. 174. l. 7. l. WOHLIN, p. 175. l. 15, l. WOHLIN, p. 176. l. 24. l. WALLENIUS l. 29. l. NOOF, p. 195. l. 3. l. v. 28., p. 205. l. 15. l. οχλοι, p. 207. l. 27, l. επιθυμων, p. 211. l. 27. l. coëgerunt, p. 219. l. 29 l. πυλαι, p. 226. l. 25. l. μαρτυρων, p. 234. l. 15 l. διξιων, p. 237. l. 23. l. filium, p. 266. l. 6. l. exponuntur, p. 267. l. 16. l. hieroglyphica, femel ftatuta fervarent, p. 272. l. 4. l. revelaffet, p. 287. l. 17. l. αρχιερεως, p. 302. l. 14. l. dicturi, p. 308. l. 5. l libris, p. 312. l. 25. l. regulas, p. 356. l. 2. l. remoram, p. 390. l. 33, l. Catalogus, l. 35. l. etiam, p. 391. l. 2. l. ab IHRE, p. 409. l. 13. l. illatum, p. 440. l. 16. l. dudum, l. 23. adnotationibus, l. 24. plantarum. p. 448. l. 6. l Ιερον, p. 452. l. 8 l. διδαχη, p. 468. l. 21. l. νεον, p. 476. l. 17. l. Calpurnium, p. 483. l. 20. l. cum Eo, p. 490. l. 15. l. PILATI, p. 509. l. 15. l. Verfio, p. 515. l. 16. l. non, p. 520. l. 28. l. meruerit.



l. ut
TBOHN,
OSLIN,
F, p.
, p.
erunt,
5. l.
l. 23.
267.
t. p.
ugine,
, p.
ram,
91. l.
. du-
448.
rior,
cum
Ver-
me-





